

V
B I
C
36500
I

METHODUS PRACTICA CATECHIZANDI RUDES DE SYMBOLO FIDEI

Ad vſum Catechiſmi Romani ſeu Parochorum.

JN GRATIAM CVRATORVM

Collegii Cracoviensis Soci: JESU post Incendium

AVTHORE

IOANNE NOSKOWIC. S. Th. D.
Decano Coſtenſi, Parocho Woneſcenſi.



POSNANIÆ,
Typis COLLEGII SOC: IESV.
Anno Domini. 1678.

Sanctus Athanasius.

Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt; ut teneat Catholicam fidem: quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

PERILLVSTRIBVS & REVERENDISSIMIS
DOMINIS PRÆLATIS
D. STEPHANO PIASECKI
Diuinâ Prouidentiâ Abbati Lubinensi.
S. R. M. Secr:
D. ALBERTO DOBRZELEWSKI
Coadiutori, Præposito Infulato Łascensi, Archidiacono Posnaniensi. S. R. M. Secr:
Celeberrimo Antiquissimoq; Conuentui Lubinensi, Ordinis S. BENEDICTI, Dominis & Patronis Colendissimis,
HONOREM ET DEBITAM REVERENTIAM.



Ognitio ante omnia Dei, eiusq; sincerus amor & dilectio, quantum sit homini ad salutem animæ, & ad consequendam beatitudinem necessaria, quantis etiam conatibus ac studijs conquirenda & comparanda, nemo est tàm hebetis ingenij, tamq; obtusæ mentis, qui non satis intelligat. Perillustres & Reuerendissimi Domini, Admodum Reuerendi & Religiosi Patres, Domini & Patroni Colendissimi. *Ex hac enim cognitione profluxit, quidquid est fidei, quidquid spei, quidquid charitatis, iustitiæ & reliquarũ virtutũ.* Nam nosse Deũ cõsummata iustitia est, & scire iustitiã & virtutẽ ei9, radix est immortalitatis: *& nisi Dei notitiâ imbuti fuerimus, credere in illum fide quæ per dilectionem operatur nõ possum9. Hinc est illud* Ierem: 9. Nõ glorietur sapiens in sapientia sua, & fortis in fortitudine sua, & diues in diuitijs suis, sed in eo glorietur, scire qui gloriatur & nosse me, quia ego

Sap. 15.

Gal. 5.

)2(Dimi-

Dominꝰ, qui facio misericordiā & iudiciū & iustitiā in terrá.
Vt enim nobilissimū diuinæ mētis opꝰ est, seipsum perpetuò cōtēplari, sem-
piternoq; amore complecti, ita huius quæ in nobis est diuinæ cognitionis,
immò totius pietatis ac religionis summa est Deum nosse, Deum amare.
Quo fit vt reuelata facie gloriam tantæ maiestatis speculantes, in ean-
dem imaginem amore quodam castissimo trasformemur. Et quid quæso
mysterij adumbrat duplex illud insigne, quod summus Pontifex in anti-
Exod. 28. *qua lege gestare consueuerat, alterum quidem in fronte in modum lami-*
næ aureæ cui insculptum erat ineffabile nomen Dei Tetragrammaton,
alterum verò in pectore, quod rationale iudicij dicebatur, duodecim la-
pidibus pretiosis exornatum, nisi totius Christianæ pietatis fastigium?
cognitionem scilicet & amorem Dei: cognitioni quidem sedes in capite,
amori in pectore meritò deputatur. Cuius verò pretij & æstimationis
ille Christianus, qui ignorat Deum suum quem amet, colat & adorando
Sap. 13. *veneretur?* Vani sunt, *inquit Sapiens,* omnes homines, in qui-
bꝰ nō subest sciētia Dei, & de his quæ vidētur bona nō puta-
uerūt intelligere eū qui est, neq; operibꝰ attēdētes agnouerūt
Rom. 1. quis esset artifex. *Quòd si quidā agnouerūt, nō tamē, sicut Deū glori-*
ficauerunt, sed agnitam Dei veritatem in iniustitia detinuerūt. Nobis
Ephes. 4. *Christianis in noua lege, post diuulgatum Euangelium, tàm necesse est*
cognoscere Deum per fidem, ut nemo adultus saluari possit, nisi expli-
S. Thomas *citè duo illa mysteria nouerit. Deum esse in Vnitate Trinum. Et Dei*
2. 2dæ. qu. *Filium pro redemptione humani generis incarnatum Hominem factum.*
20, art. 7. *Et ad hanc cognitionem ordinatur, quidquid prædicationis, doctrinæ &*
& 8. *Catechizationis in Ecclesia exercetur. Atq; hoc motiuo & hac intenti-*
one, quanquam agresti & plebeio stylo de Symbolo fidei (videns in mul-
tis ignorantiam) aggressus sum Catechizationem, cupiens aliquid de
mea tenuitate rudi & indoctæ plebeculæ ad profectum spiritualem im-
pertiri. Cuius verò Nomini & tuitioni, hæsi non semel dubius, hoc qua-
lecunq; est consecrarem, & tamen vbi inambulaui plurima compita, sta-
tus & dignitates virorum, ad Vos Perillustres & Reuerendissimi
Domini, Admodum Reuerendi & Religiosi Patres, *quasi in-*
citatum vehementi turbine flecti calamū meum sensi ad vos inquam
Patronos & Benefactores meos Colendissimos, Viros tantos quos de Ec-
clesia Dei plurimùm meritos, & palam est vbiq;, & omnium veridici
applau-

applausus fatentur. Testantur iudicia fori Ecclesiastici solerti mente à vobis celebrata: cùm & ad Palatia Regum pro Ecclesia murum posueritis, & Officialatus diœcesum, atq; Administrationis Episcopatuum, munere vestro præclarè functi essetis. Claruit Domus PIASECIANA *Viris Senatorij ordinis, decora eminentiâ Pontificali: nec desuêre Horöes Marte intrepidi, per hostiles phalangas prostratas nomen magnum promeriti. Ad Te nunc* Perillustris & Rndissime Dne, *quasi iure hereditario transmissa ista claritas. Nec* DOBRZELOWIORVM *Prosapia suis destituta encomijs & laudibus, quas quia enarrare titubans lingua deficit, balbutienti inter multa concedendum. Quare beatum felicemq; hunc Lubinensem ab antiquo celeberrimum* S. BENEDICTI *Conuentum iure dixerim, cui diuina prouidentia tantos semper largiatur Prælatos, Episcopali Pontificaliq; compari meritis, dignos extolli sublimitate. Beatum, inquam, Cœnobium in quo semper regularem obseruantiã & viguisse & nunc vigere palam est: tot viros non minùs Sanctitate quàm eruditione conspicuos, tanquam sidera cœlo sereno rutilantia, admiramur. Iam Beatos diuina visione Bernardos aliosq; Sanctitate spectabiles, qui B. Patris ad amussim regulam obseruant, intuemur. Non licet mihi tacere in hoc inclyto Conuentu studium Philosophicum & Theologicum præclarè floruisse: Viros doctissimos Hyacinthos, Theodoros & alios, quibuscum mihi maximè in concertationibus literarijs consuetudo fuit, testimonio eruditorum plausibiliter cursus peregisse, eorumq; vestigia nunc alios feliciter ingredi. Quare requirit à me* Perillustres & Rndissimi Dni, Adm. Rndi. & Religiosi Patres, Dni. & Patroni Colendissimi *Patrocinium Vestrum, obsequium; beneficium collatum quo iam quinquaginta annis sustentor, Officium: Et horum omnium Symbolum, exile est quod offero, ac manibus tantorum indignum contrectari: quia tamen ex reuerentiali affectu, in testimonium submissionis animi profectum, benignâ & innatâ vobis clementiâ accipite, meq; seruum & clientem vestra protectione conseruate; multum persuasus, quin ea, qua me, meos quoq; consanguineos beneuolentiâ prosequi dignemini.*

PP. & RR. DD. Vrarum

Servus & cliens

IOANNES NOSKOWIC

Paroch: Wonesc:



AD LECTOREM BENEVOLUM.

CAtechizationem istam de Symbolo Fidei ultra biennium in propria Ecclesia plebi parochianæ, diebus Dominicis pomeridianis horis explicatam, quam quia nunc in publicum educo, sunt quæ me ad hoc propositum incenderunt. Primò quidem amantium Fratrum videntium M. S, crebriores efflagitationes & exactiones, quorum instantijs non respondere, indignum existimavi. Adverti etiam Catechizationem de Fidei rudimentis, rudi plebeculæ apprimè utilem & necessariam, quæ dùm non omnia in Concionibus maiori apparatu exquisitis percipere potest, si se Catechista captui eius accommodare studuerit, magnum emolumentum & fructus spiritualis ex tali doctrina (quod mihi exploratum est) proveniet. Quare &
1. Tim: 5. Apostolus pluribus locis Catechizationem magni æstimat, nam & duplici honore dignos iudicat Presbyteros, qui laborant in verbo & doctrina: sacram doctrinam & catechi-
Act: 20. 20. sticam, quam ipse Mileti publica ac per domos annuntiando docebat vult intelligi; tradere autem sacram doctrinam sicut oportet & debet, non parvi laboris est, quare duplici
Galat: 6. honore digni sedulò catechizantes, nempe, *ut qui catechizatur verbo, communicet ei qui se catechizat in omnibus bonis*. Movit me etiam gravissimorum Theologorum Authoritas, quorum censuræ expositum opus, ut in publicum prodeat, suo sapienti judicio decreverunt. Impulit etiam desiderium pro gloria DEI & utilitate proximi, aliquid quantum vires prævalent agendi. Rudi autem & agresti

stylo,

ſtylo: tùm quia inter rudes & agreſtes agendo, tùm quia propter inſtructionem rudium ruricolarum accōmodatur, cum quibus ſermocinatio multùm placet DEO. Pertractavi ſimili methodo eidem mihi commiſſæ plebi de Sacramentis novæ legis, juxta quod mandat Sacrum Concil: Trident: ubi & de valore Sacrificij Miſſæ, ritibus ac ceremonijs obiter: tùm de Oratione Dominica: Salutatione Angelica: Decalogo: de triplici genere bonorum operum, quæ omnia in M. S. remanent. Ita enim ut ſedem fixi in tradita mihi Parochia, continuò pro ædificatione plebis Catechizationi dabam operam. Dumque has Catecheſes de Symbolo Fidei in lucem prodeuntes leges LECTOR humaniſſime, qualescunque ſunt boni conſules, & ſi fortè aliquid minùs convenienter videbis, tuâ prudenti diſcretione excuſabis & defendes.

Proverb: 3.

Seſſ. 24. cap: 7. de Reform.

VALE.



APPRO-

APPROBATIO.

ELaborátum Opus cui exſtat titulus METHODVS PRACTICA CATECHIZANDI RUDES, Authore A.R.D. JOANNE NOSKOWIC, Sac: Theol: Doct: Decano Coſtenſi, Parocho Woneſcenſi, cùm ſit ad DEI laudem ac Chriſtianorum Hominum ſalutem utile, tum & per Theologos perpenſum, ut typis mandetur, Facultatem in Domino concedimus. Poſnaniæ 19, Decemb: 1677.

FRANCISCVS MIELZYNSKI,
Cantor Prælatus Eccl: Cathedr: Poſnanien:
Locumtenens m: p.



APPROBATIO

Ex Commiſsione Officij.

OPus quod inſcribitur, METHODUS PRACTICA CATECHIZANDI RUDES, Authore A. R. D. JOANNE NOSKOWIC, Sac: Theol: Doct: Decano Coſtenſi, Parocho Woneſcenſi conſcriptum, accurratè legi, in eoq; nihil fidei, ac bonis moribus adverſum, ſed omnia ob ſtyli ac methodi facilitatem, ac etiam Scripturæ ſacræ, & Theologiæ Scholaſticæ eruditionem inſignem, Curatorum commodo utiliſſima, agnovi: dignum proinde cenſeo, quod luce publicâ donetur. Poſnaniæ 15. Decembris 1677.

JOANNES MORAWSKI
Societ: IESV, m. pp.



SVMMARIUM
Articulorum, Catechesum, Propositionum.
Quæ in hoc opere tractantur.

CATECHESIS PROOEMIALIS I.
DE NOTIONE FIDEI.

Propositiones continet tres.

I. *Quid per fidem intelligendum?*
II. *Vnde quærenda & petenda fides?*
III. *Quid præstet credenti fides?*

CATECHESIS PROOEMIALIS. II.
DE SYMBOLO.

Propositiones tres.

I. *Quid sit Symbolum?*
II. *A quo exordium sumpsit?*
III. *In quot partes diuidatur?*

ARTICVLUS SYMBOLI I.
Continet Catecheses vndecim.

CATECHSIS I.
DE IPSA CREDENDI RATIONE

In qua propositiones tres.

I. *Quid in se continet. Credo in Deum?*
II. *Cur homo obligatur in Deum credere?*
III. *Quid præcipuè credere debeat Christianus?*

CATECHESIS II.
DE INACCESSA MAIESTATE DEI

In qua propositiones tres.

SUMMARIUM.

I. *Quid nomine DEI importetur?*

II. *An credendum vnum tantùm DEVM esse?*

III. *Quid amplius de DEO credendum?*

CATECHESIS III.

DE VIRTVTE CREANTE

In qua propositiones tres.

I. *An in solo DEO sit virtus creandi?*

II. *An aliqua creatura possit esse instrumentum DEI ad creã-[dum?*

III. *Quis fructus ex horum consideratione?*

CATECHESIS IV.

DE CREATIONE VISIBILIVM.

In qua propositiones tres.

I. *Quare credendum vnum tantùm mundum esse creatum?*

II. *Quanto tempore mundus visibilis creabatur?*

III. *Quid mysticé in hoc considerandum?*

CATECHESIS V.

DE CREATIONE HOMINIS.

In qua propositiones tres.

I. *Qualis homo creatus quoad substantiam?*

II. *Qualis quoad gratiam?*

III. *Qualis quoad dominium?*

CATECHESIS VI.

DE STATV HOMINIS POST LAPSVM.

In qua propositiones tres.

I. *Qualis Adam effectus per peccatum?*

II. *Qualis posteritas eius per peccatum?*

III. *An post peccatum homo retineat liberum arbitrium?*

CATECHESIS VII.

DE ANGELORVM PRODVCTIONE

In qua propositiones tres.

I. Qua-

SUMMARIUM.

ARTICULUS II.

Continet Catecheses tres.

CATECHESIS I.

DE HÆRESIBVS CONTRA ISTVM ARTICVLVM.

In qua propositiones tres.

I. *Quæ fuerit hæresis Photini?*

II. *Quæ verò Sabellij?*

III. *Quid postremò Arius opinabatur?*

CATECHESIS II.

DE CREDENDIS IN SECVNDO ARTICVLO.

In qua propositiones tres.

I. *Quo conuincendi infideles, Filium DEI esse verum DEVM, Patri consubstantialem & coæqualem?*

II. *Quomodo intelligendum per Filium omnia facta?*

III. *Quare specialiter confitemur Filium Dominum nostrum?*

CATECHESIS III.

DE NOMINIBVS FILII DEI.

In qua propositiones tres.

I. *Cur dictus est IESVS?*

II. *Cur dictus CHRISTVS?*

III. *Quàm nomina ista veneranda?*

ARTICVLUS SYMBOLI III.

Continet Catecheses nouem.

CATECHESIS I.

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO.

In qua propositiones tres.

I. *Quàm*

SUMMARIUM.

I. *Quàm congruum fuit DEI Filium incarnari?*
II. *Quæ necessitas incarnationis?*
III. *Quid præcipuè de incarnatione, Christiano credendum?*

CATECHESIS II.

DE MODO INCARNATIONIS.

In qua propositiones tres.

I. *Quare dicitur de Spiritu S. conceptus?*
II. *Quid secundum naturam, & quid supra naturam in mysterio incarnationis?*
III. *Quàm accuratè Symbola loquuntur, fidem contra hæreses explicantia?*

CATECHESIS III.

DE PVBLICIS OFFICIIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

I. *Quomodo Christus est caput Ecclesiæ, mediator & Sacerdos?*
II. *Qualis Rex & Propheta?*
III. *Quomodo legislator & Iudex?*

CATECHESIS. IV.

DE OPERIBVS SALVATORIS.

In qua propositiones tres.

I. *Qualis fuit Vita Saluatoris Nostri?*
II. *Quæ eius doctrina?*
III. *Quæ miracula, & ad quid ordinabantur?*

CATECHESIS V.

DE TEMPORE INCARNATIONIS.

In qua propositiones tres.

I. *Cur non à principio mundi Verbum Caro factum?*
II. *Cur incarnatio ad finem mundi non est dilata?*
III. *Quàm ordinatè hoc tempore DEI Filius incarnatus?*

CATECHESIS VI.

DE CHRISTI NATIVITATE.

In qua propositiones tres.

I. *Quòd duæ sunt Natiuitates Domini & Saluatoris nostri.*

II. *Circumstantias temporalis natiuitatis expendens.*

III. *Conuenientiam Natiuitatis ex Virgine proponens.*

CATECHESIS VII.

DE VIRGINITATE MATRIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

I. *Quanta cura MARIÆ de seruanda Virginitate.*

II. *Quòd in Conceptione & partu Virgo permansit,*

III. *Quòd in perpetuum Virgo inuiolata.*

CATECHESIS VIII.

DE SINGVLARITATE EMINENTI MATRIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

I. *Qualis in ortu Virgo MARIA?*

II. *Quæ eius erga DEVM charitas?*

III. *Quibus donis DEI decorata?*

CATECHESIS IX.

DE NOMINE MARIA.

In qua propositiones tres.

I. *Nomen MARIÆ diuinitus reuelatum.*

II. *Nomen MARIÆ quid significat?*

III. *Nomen MARIÆ honorabile & terribile.*

ARTICVLUS SYMBOLI IV.

Continet Catecheses Septem.

CATE-

SUMMARIUM.

CATECHESIS I.

DE EXORDIIS PASSIONIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

CATECHESIS II.

DE NECESSITATE PASSIONIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

CATECHESIS III.

DE GENERE ET LOCO PASSIONIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

CATECHESIS IV.

DE MIRABILI EFFECTV PASSIONIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

CATECHESIS V.

DE MODO LIBERATIONIS NOSTRÆ PER PASSIONEM.

In qua propositiones tres.

II. *Vt mediator satisfaciendo.*
III. *Vt Sacerdos Sacrificando.*

CATECHESIS VI.

DE MORTE REDEMPTORIS.

In qua propositiones tres.

I. *Cur voluit mori?*
II. *Quòd Diuinitas nec à corpore nec ab anima separata.*
III. *Quem fructum nostræ salutis moriens attulit.*

CATECHESIS VII.

DE CHRISTI SEPVLTVRA.

In qua propositiones tres.

I. *Quàm conuenienti modo sepultus?*
II. *Corpus eius quomodo tribus diebus, & tribus noctibus in sepulchro fuit?*
III. *Corpus illud nulli corruptioni in sepulchro obnoxium fuit.*

ARTICVLUS SYMBOLI V.

Continet Catecheses Quinque.

CATECHESIS I.

DE IPSO DESCENSV AD INFEROS.

In qua propositiones tres.

I. *In quem locum descendit?*
II. *Quàm congruè descendit?*
III. *Quamdiu ibi moratus est?*

CATECHESIS II.

DE FRVCTV DESCENSVS CHRISTI AD INFEROS.

In qua propositiones tres.

SUMMARIUM.

I. *Cur descendit ad inferos ?*

II. *Quid descensus ille antiquis contulit?*

III. *Quibus in inferno nihil contulit ?*

CATECHESIS III.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE.

In qua propositiones tres.

I. *Quàm certa fides Christi resurrectionis.*

II. *Quòd resurrexit secundum scripturas.*

III. *Aliter quàm alij resurrexit.*

CATECHESIS IV.

DE QVALITATE CHRISTI RESVRGENTIS,

In qua propositiones tres.

I. *Quòd Christi corpus post resurrectionem verum Corpus.*

II. *Quòd gloriosum fuit.*

III. *Quare cicatrices retinuit.*

CATECHESIS V.

DE ARGVMENTIS RESVRRECTIONIS CHRISTI.

In qua propositiones tres.

I. *Quibus modis manifestata resurrectio Christi?*

II. *Quare Discipuli resurgentem non viderunt ?*

III. *Quare non semper cum illis conuersatus est?*

ARTICVLUS SYMBOLI VI.

Continet Catecheses tres.

CATECHESIS I.

DE IPSA DOMINI AD CÆLOS ASCENSIONE.

In qua propositiones tres.

SUMMARIUM.

I. *Quàm rationabiliter in cœlum ascendit.*
II. *Cur non statim post resurrectionem?*
III. *Quæ utilitas ex eius Ascensione?*

CATECHESIS II.

DE POTESTATE ASCENDENTIS.

In qua propositiones tres.

I *Quàm sublimiter Dominus ascendit?*
II. *Secundum quam naturam ascendit?*
III. *Qua veritate & potentia ascendit?*

CATECHESIS III.

DE SESSIONE AD DEXTERAM PATRIS.

In qua propositiones tres.

I. *Quid sit sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis?*
II. *Quæ illa natura quæ sedet ad dexteram Patris?*
III. *An solius Christi est sedere ad dexteram Patris?*

ARTICVLUS SYMBOLI VII.

Continet Catecheses tres.

CATECHSIS I.

DE IVDICIO PRIVATO SEV PARTICVLARI.

In qua propositiones tres.

I. *Quàm certum iudicium priuatum.*
II. *Quàm terribile?*
III. *Quæ in eo circumstantiæ spectandæ?*

CATECHESIS II.

DE FORMA IVDICII.

In qua propositiones tres.

I. *Quis sit Iudex?*

II. Qui

II. *Qui judicandi?*
III. *De quibus judicabuntur?*

CATECHESIS III.
DE CIRCUMSTANTIIS IUDICII EXTREMI.
In qua propositiones tres.

I. *Quæ signa præcedent judicium?*
II. *Quale erit illud judicium?*
III. *Quomodo mundus innouabitur?*

ARTICULUS SYMBOLI VIII.
Continet Catecheses tres.

CATECHESIS I.
DE NOMINIBUS SPIRITUS SANCTI.
In qua propositiones tres.

I. *Quòd nomen Spiritus Sanctus proprium tertiæ Personæ.*
II. *Quare Spiritus Sanctus dicitur amor?*
III, *Quare dicitur donum?*

CATECHESIS II.
DE SUBSTANTIA SPIRITUS SANCTI.
In qua propositiones tres.

I. *Quòd Spiritus Sanctus verus* DEUS *vnus cum Patre & Filio.*
II. *Quòd Spiritus Sanctus non factus, non creatus, non genitus, sed procedens.*
III. *Quòd Spiritus Sanctus sicut à Patre ita & à Filio procedit.*

CATECHESIS III.
DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI.
In qua propositiones tres.

SUMMARIUM.

I. *Quid sit missio inuisibilis?*
II. *Quomodo missio fiat visibilis?*
III. *Quæ mysteria in missione Spiritus Sancti?*

ARTICVLUS SYMBOLI IX.

CATECHESIS Vnica.

In qua propositiones tres.

I. *Quid sit Ecclesia?*
II. *Quibus in scriptura adumbratur Symbolis?*
III. *Quomodo cognoscenda?*

PARS SECUNDA ARTICULI.

De Communione Sanctorum.

ARTICVLUS SYMBOLI X.

Continet Catecheses tres.

CATECHESIS I.

DE VARIIS PECCATORVM GENERIBVS.

In qua propositiones tres.

I. *Esse quoddam peccatum quod Originale dicitur.*
II. *Præter Originale inueniri actualia.*
III. *Vnde grauitas peccatorum pensanda?*

CATECHESIS II.

DE EFFECTV PECCATI.

In qua propositiones tres.

I. *Quid sit Offensa DEI?*
II. *Quid macula ex peccato relicta?*
III. *Quid reatus pœnæ?*

CATE-

CATECHESIS III.

DE POTESTATE REMISSIVA PECCATORUM

In qua propositiones tres.

I. *Vnde potestas ista?*
II. *Quomodo remittatur Originale?*
III. *Quomodo actualia.*

ARTICULUS SYMBOLI XI.

Continet Catecheses tres.

CATECHESIS I.

DE IPSA CARNIS RESURRECTIONE.

In qua propositiones tres.

I. *Quàm congruè ista fiet resurrectio?*
II. *Quomodo ad vocem tubæ?*
III. *Quæ mira in resurrectione apparabunt?*

CATECHESIS II.

DE TEMPORE RESURRECTIONIS.

In qua propositiones tres.

I. *Cur resurrectio iu finem mundi differtur?*
II. *Cur tempus resurrectionis occultum?*
III. *Cur tempore nocturno fiet?*

CATECHESIS III.

DE QUALITATE CORPORUM RESURGENTIUM,

In qua propositiones tres.

I. *Quomodo corpora beatorum impassibilia erunt?*
II. *Quas proprietates eorum corpora habebunt?*
III. *Qualia resurgent corpora damnatorum?*

ARTICVLUS SYMBOLI XII.

Continet Catecheses Quinque.

CATECHESIS I.

DE IPSA RATIONE VITÆ ÆTERNÆ.

In qua propositiones tres.

I. *In quo ratio vitæ æternæ consistat?*

II. *Quòd vita æterna sedat omne desiderium.*

III. *Quòd in vita æterna omnis securitas.*

CATECHESIS II.

DE ADEPTIONE VITÆ ÆTERNÆ.

In qua propositiones tres.

I. *Qui intraturi sunt in vitam æternam?*

II. *Quid necessarium ap obtinendam?*

III. *Si iam aliqui intrauerunt?*

CATECHESIS III.

DE DONIS BEATORVM IN VITA ÆTERNA.

In qua propositiones tres.

I. *Quibus dotibus Beati exornantur?*

II. *Quibus in vita æterna aureolæ debentur?*

III. *Quid fructus significent?*

CATECHESIS IV.

DE POENIS DAMNATORVM.

In qua propositiones tres.

I. *Quid patientur damnati in corpore?*

II. *Quid verò in anima?*

III. *An pœna eorum finietur?*

CATECHESIS V.

DE PVRGATORIO.

In qua propositiones tres.

I. *Sitne*

SUMMARIUM.

I. *Sitne post mortem purgatorium?*
II. *In quo loco?*
III. *A quo animæ puniuntur & quàm grauiter?*

APPENDIX.

Ad Articulum Decimum.

DE VITIIS CAPITALIBVS.

Continet Catecheses Septem.

CATECHESIS I.

DE VITIO SVPERBIÆ.

In qua propositiones tres.

I. *Quid superbia & quæ eius species?*
II. *Quarum prolium sit procreatrix?*
III. *Quid humilitas opposita ei virtus?*

CATECHESIS II.

DE AVARITIÆ VITIO.

In qua propositiones tres.

I. *Quid auaritia & quæ eius species?*
II. *Quæ peccata ex ipsa oriuntur.*
III. *Quantæ præstantiæ liberalitas opposita ei virtus?*

CATECHESIS III.

DE LVXVRIÆ SCELERE.

In qua propositiones tres.

I. *Quid luxuria & quæ eius species?*
II. *Quorum vitiorum sit seminarium?*
III. *Quàm pulchra castitas opposita ei virtus?*

CATECHESIS IV.

DE INVIDIÆ CRIMINE.

In qua propositiones tres.

I. *Quid-*

SUMMARIUM.

I. *Quid inuidia & quæ ejus species?*
II. *Quorum peccatorum sit radix?*
III. *Beneuolentiæ virtus qualis?*

CATECHESIS V.

DE FERVORE IRÆ.

In qua propositiones tres.

I. *Quid ira & quæ ipsius species?*
II. *Quibus grauida vitijs?*
III. *Quàm commendabilis mansuetudo?*

CATECHESIS VI.

DE VORACITATE GVLÆ.

In qua propositiones tres.

I. *Quid vitium gulæ?*
II, *Quot sunt eius species?*
III. *Quæ peccata generat?*

CATECHESIS VII.

DE INERTIA ACEDIÆ.

In qua propositiones tres.

I. *Quid sit acedia?*
II. *Quorum sit fons & origo peccatorum?*
III. *Quid opposita virtute notandum?*



PRÆAMBVLVM



Atechizationem rudiorum, ſeu doctrinam Chriſtianam, quam per quatuor capita diſtributam, tradit Catechiſmus Parochorum, ſcilicet per Symbolum Apoſtolorum, Sacramenta, Orationem Dominicam, & Decalogum, ad tres claſſes ſeu Virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem, reuocare poſſumus: ita quòd in Symbolo, & Sacramentorum doctrina ea explicentur, quæ ad Fidem pertinent. In oratione Dominica ſecuritas ſpei, vt pote quæ ſperanda & optanda ſunt hominibus, petuntur. In Decalogo leges dantur, quarum *finis eſt Charitas*. (1. Tim. 1.) Et quia omnium quæ homini ad ſalutem ſunt neceſſaria, baſis & fundamentum eſt Fides, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo*: (Hebr. 11.) ideo huius doctrinæ Chriſtianæ explicationem, inhærentes prædicto Catechiſmo Parochorum, auſpicabimur ab ipſo ſymbolo Fidei propter imbecilles, *quibus lacte opus ſit*; (Hebr. 5.) idq; per breues Catecheſes, in quibus prudens Catechiſta, imperitum adhuc Chriſtianum inquirentem & addiſcere cœleſtem doctrinam ſatagentem, ſuis reſponſionibus iuuabit, inſtruet & docebit. Et quia pietatis eſt Chriſtianæ, omnia opera ad gloriam DEI ordinata, à ſigno Chriſtiano, quod eſt ſignum Sanctæ Crucis inchoare. ideo quæ myſteria in hac conſignatione Contineantur, Catechiſta ante omnia explicabit. Tria verò præcipuè Myſteria hic continentur; Primum SS. Trinitatis quod exprimit Chriſtianus voce, d. IN NOMINE PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI. Secundum Myſterium Incarnationis Filij Dei: & hoc exprimit Chriſtianùs manu in iſta conſignatione, vbi exprimit

mit totam Oeconomiam aduentus Christi. Nam primò ponit manum in fronte. d. IN NOMINE PATRIS, q. d. Filius Dei ab æterno genitus est à Patre, Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Deinde à fronte ducit manum ad pectus, d. ET FILII. q. d. ille Filius qui ab æterno genitus est à Patre, in tempore venit in mundum, in vtero Virginis factus Homo. de qua natus. Tandem ducit manum à pectore ad sinistrum humerum, d. ET SPIRITUS, q. d. ille Dei Filius qui ab æterno genitus à Patre, in tempore factus homo, ex Virgine natus, fuit in sinistra tribulationis, angustiæ, passionis, & mortis. Deniq; ducit manum à sinistro humero ad dextrum, d. SANCTI, q. d. hic Filius Dei, ab æterno genitus à Patre, in tempore ex Virgine Matre, qui fuit passus & mortuus, resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris. Tertium Mysterium Redemptio nostra, quod Christianus manu quoque exprimit, figuram crucis delineans in ista consignatione: nam per Crucem redempti sumus. Hoc peracto, & recitato symbolo Apostolorum, priusquam aggrediatur Catechista singulas eius sententias explicare, ponit.

CATECHESIM
PROOEMIALEM I.
De notione Fidei.

ILlud ante omnia prælibandum videtur. Quòd Catechismus est doctrina de cognitione Dei, propter rudes & ignaros instituta. Est verò triplex cognitio Dei, scilicet Rationis, Deuotionis, & Glorificationis: Cognitio rationis est, qua De-
Rom. 1. us cognoscitur per opera manuum suarum, nam *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur*. est enim totus mundus quasi ingens quidam liber, in quo legimus magnalia Dei. Cognitio deuotionis est, quæ fit per fidem, & oritur ex cate-
Rom. 10. chizatione atq; verbi Dei prædicatione. *Quomodo* enim *credent*

dent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? ergo fides ex auditu. Cognitio glorificationis in futuro, quando *facie ad faciem videbimus,* tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: *Videbimus enim eum ſicuti eſt.* Tunc implebitur illud, *Non docebit vltra vir proximum ſuum dicens, cognoſce Dominum,* & tunc *erunt omnes docibiles Dei.* Quia igitur nunc doctrina ordinatur ad cognitionem Dei per fidem, ideo in iſta prima Catecheſi procemiali, tria Chriſtianus à ſuo Catechiſta addiſcere ſtudebit.

1. Cor. 13. *1. Ioan. 3.* *Ierem. 31.* *Ioan. 6.*

I. Quid per fidem intelligendum?
II. Vnde quærenda & petenda fides?
III. Quid fides præſtet credenti?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane. Catechiſmus Parochorum multiplicem in diuinis literis fidei ſignificationem eſſe aſſerit: nam aliquando conſtantem veritatem in ſeruandis promiſſis oſtendit, ideo propheta Pſ. 144. *Deum vocat fidelem.* quod Aygnanus ex Auguſtino ponderans. d. Eſt Deus in ſuis promiſſis fidelis & verax, quia quidquid promittit facit & ſeruat. Hunc ſenſum confirmant verba Euangelij. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Aliquando ſignificat doctrinam fidei: ratione obiecti, Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides,* quia vnum commune ſymbolum, vna eius expoſitio, vt non alia ſit Waldenſium, alia Saxonica, Lutherana, Caluiniana: in hoc ſenſu dicitur fides Apoſtolica, Catholica. Dogma enim Catholicum eſt, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Habet plura alia fides ſignificata. Conſidera tamen Chriſtiane, fides de qua in præſenti, eſt ille habitus, cuius vi firmiſſimè aſſentimur ijs rebus quæ diuinitus ſunt traditæ, definiturq; ab Apoſtolo. *Subſtantia ſperandarum rerum, argumen-*

Magiſt: ſent. lib. 3. d. 23. c. *Matth. 5.* *Vincent. Lyrin. cap. 3.* *Hebr. 11.*

tum non apparentium. Nam quid tu ſperas Chriſtiane, niſi vera illa bona futuræ vitæ, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit*, nec intellectus viatoris capit? de quibus Pſ. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Et horum bonorum ſubſtantia eſt fides, quia fides facit vt bona futura, quæ nondum exiſtunt certa habeamus, certoq; futura credamus & ſperemus, perinde ac ſi iam ſubſiſterent, eaq; coram nobis cerneremus. Aut etiam, quia prima inchoatio cuiuſq; rei, quæ totam rem in ſe virtute continet, ſolet dici ſubſtantia; hoc modo & fides dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum, quia prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, qui virtute continet omnes res ſperandas. Eſt ergo fides argumentum non apparentium, id eſt conuictio intellectus authoritate Primæ Veritatis ad aſſentiendum non viſis. Nam *Deum nemo vidit vnquam*: & *Non videbit me homo & viuet*, fides tamen conuincit tanquam argumentum inſolubile intellectum noſtrum ad aſſentiendum diuinæ authoritati, quòd ſit vnus in eſſentia & Trinus in Perſonis. DICET fortaſſis quiſpiam. Si fides eſt argumentum, non debet dici non apparentium, ſed potius apparentium, & in manifeſto poſitorum; argumenta enim eo fine comparantur, vt rem quæ fuit occulta & non apparens, faciant apparentem, ℞. Obiectio currit de illis argumentis, quæ ſumuntur ex proprijs rei principijs, talia enim faciunt rem in ſe apparere, antea non apparentem: fides autem eſt argumentum ex diuina authoritate ſumptum, proinde non facit rem in ſe apparere, ſed in credibilitate. Obſeruat hîc prudens Catechiſta, licet verba in prædicta Apoſtoli definitione, non ordinentur ſub forma definitionis, ea tamen ad formam definitionis Doctor Angelicus reducit. d. *Fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum firmiter aſſentire, non apparentibus.*

S. Thom. 22. q. 4. a. 1. c.

Ioan. 1.
Exod. 32.

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane. Ecclesia fidem accepit à Christo & Apostolis, *Iren. l. 1. c. 2. & lib. 3. c. 1.* proinde illa ab Ecclesia petenda & discenda. Cùm enim sit *columna & firmamentum veritatis*, infallibiliter proponit articulos fidei à Deo reuelatos. *1. Tim. 3.* Atq; hoc modo in numerum Catechumenorum adsciscendi, ante omnia interrogantur. Quid petunt ab Ecclesia, qui fidem se ab Ecclesia non aliunde petere protestantur. Et huc ducunt scripturæ. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* *Deut. 32.* Patrem interroga qui præest vniuersæ Ecclesiæ, ad cuius authoritatem pertinet formaliter & finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Ad hunc sensum spectat illud Ecclesiastæ. 12. *Verba sapientum sunt sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt, à pastore vno.* *2. 2æ. q. 1. a. 10.* Item Deut. 17. quærenti fidem dicitur. *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint qui præsunt loco; quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neq; ad sinistram.* Hic ostenditur fides petenda ab Ecclesia, eaq; cum capite suo in omnibus dubijs fidei, audienda. Idem confirmat doctrina ipsius Christi, hortantis audire *doctrinam Scribarum & pharisæorum in cathedra Moysi sedentium.* *Matth. 23.* Præterea dùm sapiens Prou. 1. hortatur *non dimittere legem matris*, quid nisi de ore matris Ecclesiæ disciplinam fidei & pietatis addiscere vult Christianum? qui si contemnat in isto negotio audire Ecclesiam ἄπιςος *vt ethnicus & publicanus.* *Matt. 18.* Sed hic aliquis Catechistæ. DICET. Si credis propter authoritatem Ecclesiæ, assensus iste non est fidei Theologicæ, seu diuinæ sed alicuius inferioris ordinis: ℞. Aliud est loqui de assensu fidei, aliud de ministerio, Assensus fidei ad res credendas est ob authoritatem Dei reuelantis per se, addiscimus au-

tem fidem ministerio Ecclesiæ docentis & testificantis quid sit à Deo reuelatum, & quid minus. Assentior enim huic fide diuina, Christus est Deus & Homo, propter authoritatem Dei reuelantis, ministerio tamen Ecclesiæ addisco id à Deo esse reuelatum: sicut è contra, non possum fide Theologica huic assentiri, quòd Christi humanitas sit vbiq; quia me Ecclesia non docuit, nec testificatur id à Deo esse reuelatum. Hinc

COLLIGE Christiane, neque Paganos, neq; Iudæos, neq; Hæreticos fidem diuinam de vllo credendo habere, nam *fides* Rom. 10. *ex auditu*, id est ex auditu verbi Dei, quod sola Ecclesia prædicat, cùm nec Pagani, nec Iudæi, nec Hæretici audiant Ecclesiam, vnde ergo fidem acceperunt? nec obtendant suos deceptores, quomodo enim illi prædicabunt nisi mittantur? de quibus Ierem. 23. *Visionem cordis sui loquuntur non de ore Domini*; Et cap. 27. *Mendacium ipsi loquantur.* Sed aliquis politicus pro Hæreticis contra Catechistam.

DICET: Credunt Hæretici propter solam reuelationem diuinam, quæ est formalis ratio fidei, credunt vnum Deum in essentia, Trinum in Personis, propter diuinam authoritatem, quam audiunt 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*; Credunt Christum Filium Dei vnigenitum propter Verbum Patris dicentis. *Hic est Filius meus dilectus*, & similia. ℞. Credunt hæretici aliquos articulos persuasione humana, sed non fide diuina. non enim credunt per formale fidei, quod non est reuelatio diuina, ex propria humana persuasione accepta & credita, sed diuina reuelatio in scripturis & doctrina Ecclesiæ manifestata; *in his enim duobus integrum formale fidei consistit, in diuina reuelatione & manifestatione Ecclesiæ testificantis* Quia verò illi doctrinam Ecclesiæ non audiunt, fidem diuinam de nullo articulo habent. Quare cùm August. q. 11. in Matt. dicat. *Qui falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, hæreticus est, & foris est animo*: ita persuasum habeto Chri-

Matth. 3. & 17.

S.Thom: 2.2æ. q. 6. art: 3.

Christiane, qui pertinaciter errat in aliqua parte doctrinæ fidei, extra Ecclesiam est, extra Ecclesiam verò nulla est fides. Ad hunc sensum aliqua dixi, in Tractatu de cognoscenda vera Ecclesia, Conclus. 5. coroll. 5. membr. 1.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane. Fides Catholica innumera præstat bona, quorum primum ac præcipuum est vita æterna; nam dùm ante baptismum interrogatur Catechumenus, quid sibi fides ab Ecclesia petita præstet, vitam respondet æternam: nimirum quia per fidem in nobis inchoatur vita æterna: nam *vita æterna est cognoscere Deum sicut est.* & Ioan. 17. *Hæc est vita æterna vt cognoscant.* Hanc autem cognitionem inchoamus hic per fidem. DEINDE per fidem anima coniungitur Deo, & ceu sponsa quoddam spirituale matrimonium contrahit cum eo, Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide*: & dùm anima fidem respuit, vt adultera de fornicatione in scripturis arguitur. Huius delicti Synagoga Ierem. 2. arguitur. *In omni* inquit *colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Et cap. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis*, i. repudiata fide vnius veri Dei, seruiebat multis idolis. PRÆTEREA, Fides Catholica docet omnia necessaria ad benè beateq; viuendum, docet quòd Deus est remunerator bonorum & vltor malorum: docet aliam esse vitam præter præsentem, & alia multa huiusmodi, quæ hominem alliciunt ad bona opera, & à malis retrahunt; atq; ex hoc fructu fidei Moysen laudat Apostolus. Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* INSUPER. fructus fidei est, vincere tentationes, nam omnis tentatio vel est à diabolo, vel à mundo, vel à carne. Fides vincit tentationes diaboli. 1. Petr. 5. *Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui resi-*

1. Ioan. 3.

stite

stite fortes in fide. Vincit tentationem mundi. 1. Ioan. 5. *Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* quâ contemnimus prospera mundi, nec formidamus aduersa, credentes aliam vitam meliorem iustis, Ephes. 6. & deteriora mala iniquis parata. Vincit tentationem carnis, dùm docet inordinate inhærentes præsentibus delicijs, amittere æternas. Proinde hortatur Apostolus, vt *in omnibus sumamus scutum fidei.* Addit Catechismus Paroch. fidem nobis præstare id, quod acie humanæ mentis perspici non possit; nam altitudo æternæ beatitudinis superat intellectum nostrum, & eius cognitionem per fidem à Deo accipimus.

DIXERIT quispiam. Ad ea quæ superant rationem, nec videntur, non debet homo conari, iuxta illud Ecc: 3. *Altiora te ne quæsieris*: frustra itaq; credit quod nec percipit nec videt. ℞. Licet ea quæ superant cognitionem hominis, non sint ab homine per rationem inquirenda, ne scrutando opprimatur, à Deo tamen reuelata, sunt per fidem suscipienda. ℞. 2. Si homo inuisibilia perfectè cognosceret, illa credere non deberet, sed quia debilis intellectus ad superna pertingere non potest, defectum illius, fides supplet. Et quisquis non credit nisi ea quæ videt, stultus est & superbus, dicente Apostolo. 1. Tim. 6. *Si quis non acquiescit sermonibus sanis Domini nostri Iesu Christi, superbus est nihil sciens.*

CATECHESIS II.

DE SYMBOLO.

FIdei notione in præcedenti Catechesi explicata, iam de ipso Symbolo in quo fidem profitemur, priusquam singulas articulorum sententias aggrediamur, aliquid prælibandum in ista Catechesi, in qua tria sibi à Catechista explicari deposcit Christianus.

I. Quid

I. Quid sit Symbolum?
II. A quo exordium sumpsit?
III. In quot partes diuidatur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Symbolum ex doctrina antiquorum Patrum est *breuis & compendiosa fidei regula*; ita S. Leo. serm: 11. de passione Domini. Augustinus Enchiridij cap. 56. Et lib. 1. de Symb. ad Catechum. cap. 1. *Regula fidei nominatur quia dum Symbolum recitamus & retinemus, in vnitate & professione veræ fidei conseruamur*. Atq; regula ista fidei, iam dudum symboli nuncupationem retinet: tùm quia ex varijs sententijs in vnum collatis est conflatum: tùm quia est quasi nota quædam & tessera, qua à falsis & adulterantibus verbum Dei, internoscimur. Et quanquam in Concilijs sit compositum aliquod symbolum, explicãs quod in præteritis implicite fuit positum contra aliquam nouam exorientem hæresim, ordinatio tamen symboli, proprie pertinet ad Summum Pontificem. Vnde & S. Athanasij doctrina, symbolum appellatur, non quòd ipse per modum symboli scriptum suum fecerit, sed quia integram fidei veritatem breuiter continet, ita authoritate Summi Pontificis eius doctrina est recepta, vt quasi regula fidei habeatur. Hîc considera Christiane cùm vulgo tria symbola vnius fidei in Ecclesia habeantur, diuersis tamen temporibus recitantur. Et Apostolorum quidem symbolum in prima & completorio occultè & silentio recitatur, quia tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata: occulte contra tenebras errorum præteritorum & futurorum. Symbolum Nicænum recitatur in Missa post Euangelium clara voce, in quo populus ostendit se doctrinæ Christi in Euangelio per fidem assentire. Similiter symbolum Athanasij in

Catech. Paroch.

S.Thom. 1.p.q. 36.art.2.2m.

2.2æ. q.1.a. 10. 3m.

Ibid. q.1.a. 9. 6m.

prima diebus Dominicis. Eſt ergo ſymbolum ſummarium veram Dei diuinarumq; rerum cognitionem, qua ad benè beateq; viuendum cuiq; neceſſaria eſt, breuiter ac dilucidè ob oculos ponens.

3. p. q. 83. a. 4.

DIXERIS. Scriptura ſacra ita eſt regula fidei, cui nec addere, nec ſubtrahere quidquam licitum eſt. iuxta illud. Deut: 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neq; auferetis ab eo.* Et Apoc. 22. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas, &c.* ℞. Symbolum eſt regula fidei, non quòd addatur ſcripturæ, ſed quia ex ſcriptura ſumitur. Veritas enim fidei diffuſe in ſcriptura, & in quibuſdam obſcurè continetur, vt ergo omnibus, quibus non competit per ſtudium longo tempore fidei veritatem inquirere, ſummarie innoteſcat, pro regula credendorum ſymbolum proponitur. Quare non additur ſcripturæ, vt ei aliquid contrarium aut diſcrepans, quod in locis ſcripturæ allegatis prohibetur.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, indubium eſt, ſymbolum fidei ab ipſis Apoſtolis compoſitum eſſe, ſiue vnus vnam ſententiam, alius aliam, ſiue omnes in ſimul, quod mihi probabilius videtur, totum integre compoſuerint: & non quidem ſcripſerunt, ſed viua voce Eccleſiæ tenendum & recitandum tradiderunt. Ab Apoſtolis autem ortum, omnes Doctores, Concilia, Pontifices, vniuerſa deniq; Eccleſia ſemper agnouit & docuit, Iren. lib. 3. cap. 4. Hieron. in Epiſt. ad Pamach. Auguſt. in lib. de fide & operibus; ſpecialiter conſcribens quatuor libros de Symbolo ad Catechum. Ambroſius Symbolum ab Apoſtolis compoſitum & traditum, ab Eccleſia illibatum dicit cuſtodiri. Et enim cùm Sanctiſſimi Apoſtoli mandatum à Do-
2. Cor. 5. mino accepiſſent, vt *pro ipſo legatione fungentes*, in vniuerſum mundum proficiſcerentur, atq; *omni creaturæ Euangelium præ-*
Marc. 16. *dicarent*, Chriſtianæ fidei formulam componendam cenſuerunt,

runt, vt ſcilicet omnes idem ſentirent ac dicerent, *neq; vlla eſſent inter illos Schiſmata*, quos ad vnitatem fidei vocaſſent, *ſed eſſent perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*. Atq; hanc fidei profeſſionem à ſe compoſitam, Symbolum Apoſtoli appellarunt. Sed hîc Catechiſtæ quis 1. Cor. 1.

Obiiciat, Quomodo tu dicis Symbolum iſtud ab Apoſtolis editum, ſiquidem Apoſtoli, quos docuit Spiritus veritatis, nihil falsò pronunciare aut profiteri docuerunt; ſunt verò multi Chriſtiani, qui falsò verba illa ſymboli Credo In Deum. pronunciant, illi ſcilicet qui non habent fidem formatam charitate ~~carentes~~: non ergo Apoſtoli, ſed quiſpiam alius hanc fidei profeſſionem edidit. ℞. Verum quidem eſt, quòd credere in Deum eſt actus fidei formatæ per charitatem, ita enim Auguſt. Tract: 29. in Ioan. *Quid eſt credere in Deum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari.* Sed Apoſtoli Symbolum ita tradiderunt, vt in illo fidei confeſſio fieret ex Perſona totius Eccleſiæ, quæ per fidem vnitur. Fides autem totius Eccleſiæ eſt formata, quæ inuenitur in omnibus, qui non ſolùm numero, ſed etiam merito ſunt de Eccleſia. Deinde ideo Apoſtoli in Symbolo ita confeſſionem fidei ediderunt, vt etiam ſi qui fideles fidem formatam charitate non habent, ad hanc formam pertingere moniti ſtudeant.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Catechiſmus Parochorum, in tria capita Symbolum Apoſtolorum partitur, vt in primo capite oſtendatur prima Perſona diuinæ Naturæ, id eſt Perſona Patris, vnaq; opus creationis: in ſecundo capite, eiuſdem diuinæ Naturæ ſecunda Perſona id eſt Filius Dei, ſimulq; myſterium humanæ redemptionis: in tertio demum capite, tertia perſona Deitatis, Spiritus Sanctus, qui eſt fons Sanctificationis noſtræ. Quamuis enim trium Perſonarum diuinarum, vna ſit cognitio

quan-

quantùm ad vnitatem essentiæ: quantùm etiam ad distinctionem Personarũ, quæ est per relationes originis, in cognitione Patris includatur quodammodo cognitio Filij, non est enim Pater absq; Filio, & amborum Spiritus Sanctus est nexus, & ideo sufficeret de hoc vnus Articulus. CREDO IN DEUM. Ad vitandos tamen errores circa singulas Personas, de singulis Articuli sunt distinguendi. Arius enim negabat coæternitatem & consubstantialitatem Filij cum Patre. Macedonius negabat veram diuinitatem Spiritus Sancti, & sic de alijs. Quare vbicunq; occurrit aliquid speciali ratione non visum seu difficile, ibi etiam specialis Articulus distingui debet. Et hac ratione totum Symbolum in duodecim articulos à Patribus distributum accepimus, eo quòd ex illis duodecim sententijs, occurrit in singulis aliquid specialiter non visum & difficile.

DIXERIS. Si vbi specialis difficultas occurrit, specialis articulus constitui debeat, profectò de Sacramento Eucharistiæ debebat specialis articulus distingui, cùm specialem difficultatem habeat, ex eo quòd ibi miraculose Corpus Christi contineatur. ℞. De isto Sacramento non est opus specialem distingui articulum, sed difficultas tota de illo sub articulo primo de omnipotentia DEI continetur & explicatur.

QUÆSIERIS. Cur plures articuli de Persona Filij & Spiritus Sancti, quàm de Persona Patris distinguuntur? ℞. Quia Filius & Spiritus Sanctus, mittuntur ad sanctificandam creaturam, circa quod plura credenda occurrunt, & ideo plures articuli ad explicanda, circa Personam Filij & Spiritus Sancti distinguuntur: Pater autem nunquam mittitur. Sicut nec procedit, & ideo circa Personam eius sufficit vnus articulus.



ARTI-

ARTICVLVS
SYMBOLI PRIMVS.
Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ.

CAtechiſmus Parochorum docet his verbis explicari primam in Deitate Perſonam, ſcilicet Patrem Omnipotentem, cuius potentia cœlum & terra, omniaq; quæ cœli & terræ ambitu continentur, ex nihilo condita: reguntur & gubernantur prouidentiâ. Atq; vt myſteria in hoc articulo abdita fiant manifeſtiora. Sit ad hoc

CATECHESIS I.
DE IPSA CREDENDI RATIONE.

QUia primum hunc Symboli articulum, à vocabulo CREDO inchoamus, omniaq; in progreſſu ad Credo terminantur, ideo primam Catechesim, de ipſa credendi ratione instituimus; in qua Christianus à Catechiſta de tribus quæſitis erudietur.

I. Quid in ſe contineat Credo in Deum?
II. Cur homo obligatur in Deum credere?
III. Quid præcipuè credere debeat Chriſtianus?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, Duo hic quæruntur; vnum, Quid ſit credere? alterum, Quid ſit in DEum credere? vt tuis votis fiat ſatis.
℟. I. Credere, ſeu actum credendi cap. 2. de prædeſtin. San-

ctorum ita August: explicat, vt sit cum assensione cogitare: nec simpliciter cogitare, vt est quicunq; actus intellectus considerantis; nec cum dubitatione vt opinantis, sed credere est cogitare cum firma & immobili atq; immutabili adhæsione ad vnam partem. Fides enim ita firma esse debet, vt excludat omnem formidinem & dubitationem; ita certa debet esse fides, vt superet certitudine & constantia omnem Scientiæ adhæsionem, quamuis non sit euidentia rei creditæ, id est, quamuis non cernatur id quod creditur. Diuinum enim lumen quo credenda percipimus, nos dubitare de his non permittit, tametsi perspicacitatem non adferat, id quod Apostolus 2. Cor. 4. in hæc verba prosequitur. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Is credit qui pio mentis affectu sine vlla hæsitatione, Deo sua mysteria aperienti & reuelanti certo firmiterq; assentitur. Sed quia internus actus fidei, debet pro necessitate in externum exire, is qui credit, oportet, intimum mentis suæ assensum manifestè declaret, vt aperta fidei professione proferat, quod animo inclusum seruat, id quod in Ss. Apostolis & Martyribus suspicimus. Vnde cùm Ps. 115. Propheta. d. *Credidi propter quod locutus sum.* Ayguanus ponderans. d. *Credenti necesse est loqui, non enim perfectè credit, qui quod credit non loquitur.* Et vltra. *Hic verus & congruus ordo, prius credere posteà loqui, ne nondum credens audeat loqui, sed fidem sequatur confessio.* Hic disce Christiane, ad Confessionem fidei, ita nos esse obligatos, vt nunquam sit licitum negare, etiam cum manifesto vitæ periculo. Fuisse olim Hæreticos affirmantes, non peccare eos, qui in persecutionibus negant Christum externa voce, modo cum corde firmiter teneant, memorat Eusebius lib. 6. Histor. Eccles. cap. 37. Verùm huiusmodi assertio falsa, tenebat enim firmiter corde Christum Petrus, quem confessus erat Filium Dei viui, quia tamen externa voce negauit, quis immunem à peccato dixerit? Hinc ipse Christus Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram*

Matth. 16.
Matth. 26.
Marci. 14.
Luc. 22.
Ioan. 18.

ram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, qui autem negauerit me coram hominibus, & ego eum negabo coram Patre meo. Et August. Tract. 36. in Ioan. *Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.*

DIXERIS. Dùm quis est apud infideles tempore persecutionis, potest fugere vel se occultare, quod patet exemplis Sanctorum. Paulus enim fugit ex ciuitate Damascenorum, dum ad mortem quæreretur. S. Athanasius fugit nauiculâ, & postea latuit in sepulchro Patris, sic & alij, imò Christus ipse fugiebat, Luc. 4. Ioan. 8. atq; ita præcepit Matth. 10. *Cùm vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Nemo itaq; cum periculo vitæ ad fidei confessionem obligatur. ℞. Potest fugere vel se occultare quis, tempore persecutionis, non tamen interrogatus fidem negare, aliud est enim fugere vel se occultare, aliud manifestè fidem negare. Immò qui fugit corpore, eo ipso videtur quodammodo confiteri, nam ideo fugit, ne compellatur negare quod confitetur. Ad quæsitum *Act. 9. 2. Cor. 11.*

℞. 2. Credere in DEUM, est mentem pie deuoteque ad summum omnium Creatorem, Gubernatorem, Prouisorem & Conseruatorem eleuare: qui omnia creauit, omnia gubernat, omnibus necessaria vitæ prouidet. *Qui dat iumentis escam illorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Sed hîc obserua Christiane, triplicem actum credendi, distingui in ordine ad intellectum ex parte obiecti, vt aliud sit credere DEUM. Aliud credere DEO, atq; aliud credere in DEUM. Et quidem credere DEUM, est materiale fidei: credere Deo formale, est enim medium propter quod assentimur rebus credibilibus. Credere in DEUM, est illud imperium voluntatis, quo intellectus mouetur & excitatur. Magister sent: ita explicat. *Credere Deo, est credere vera esse quæ Deus loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini sed non in hominem. Credere Deum, est credere quòd ipse sit Deus, quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incor-* *Ps. 146.* *lib. 3. d. 23.* *August: tract: 29. in Ioan.*

incorporari, per hanc fidem iustificatur impius. Hic aliquis Catechistæ.

OPPONET. Credere Deum, inter actus fidei non debet numerari, siquidem de ratione fidei est ineuidentia, & quæ sciuntur non creduntur: porrò DEUM esse, euidens est, & per scientiam habetur. Ethnici enim Philosophi nullam fidem habentes, de DEO multa locuti sunt, & demonstratiuè à posteriori Deum esse probauerunt, quia ergo per scientiam tenetur, non creditur. ℞. 1. Quamuis de DEO per scientiam (quòd sit) teneatur, sola tamen fide tenetur quòd sit in vnitate trinus. ℞. 2. Quamuis Philosophi demonstratiuè sciuerunt DEum esse, tamen qui demonstrationem de eo non habent,
Vasq. 1. p. disp. 1. n. 4. fide oportet apprehendere. ℞. 3. Cùm fides certitudine superet omnem rationem, licet scientiâ teneatur DEUM esse,
2. 2æ. q. 2. a. 4. credi tamen debet: tùm propter maiorem certitudinem, tùm propter meritum; omnis enim actus humanus procedens
q. 4. a. 8. ex libero arbitrio moto per gratiam, est meritorius: & talis est
1. 2æ. q. 114. a. 3. & 4. actus intellectus assentientis veritati diuinæ, ex imperio voluntatis à Deo per gratiam motæ.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane. Credere in Deum ratione ab ipso dotali obligamur: non propter aliquod eius commodum, cui nihil abesse aut adesse potest, sed propter nostrum profectum & vtili-
Act. 17. tatem. Deus enim *humanis manibus non colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem & omnia,* proinde Dauid Ps. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Credere ergo obligaris in Deum Christiane, propter tuam magnam vtilitatem, & fructus quos fides vera profert.
1. Petr. 1. *Credens* quippe *exultabis lætitia inenarrabili & glorificata, reportato fine fidei tuæ, salute animæ.* Et *credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ*
Rom. 4. *Dei.* Vita æterna credenti in scripturis repromittitur. Ioan. 6.

Qui

Qui credit in me habet vitam æternam. Hinc August: de verbis Domini. *Nullæ inquit maiores diuitiæ, nulli maiores thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quàm fides Catholica, quæ peccatores iustificat, cæcos illuminat, infirmos curat, pœnitentes reparat, Virgines, viduas, coniugatos casto pudore conseruat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, & in æterna Societate cum Angelis collocat.* Lætificat illud Christi Ioan: 11. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum.* Et quia obligamur diligere Deum super omnia, *ex toto* scilicet *corde*, credere autem in Deum est eum diligere, & is solùm credit in Deum, qui eum diligit, qui habet fidem charitate formatam, nam fides informis, facit illa quidem credere Deo & Deum, sed non in Deum. DEINDE. Cùm *sine fide impossibile sit placere Deo*, finisq; ad beatitudinem in clara Dei visione consistens, qui homini propositus est, cùm altior sit, quàm vt humanæ mentis acie perspici possit, necesse est ipsius cognitionem à Deo per fidem accipere. Sed hîc

Deut. 6.

Catech. Paroch.

OBIICITUR. Si homo obligatur credere in Deum, ipsum credere est ad salutē necessarium: sed credere non ita ad salutem necessariū, vt sine ipso non possit haberi, sufficit enim cognitio naturalis. Nam ad perfectionem vnicuiq; rei sufficiunt ea, quæ ei conueniunt secundum suam naturam. Ergo & homini ad perfectionē & salutem ea sufficere debent, quæ ei secundum eius naturam conueniunt. Ergo quæ superant naturam non sunt quærēda; credere autem in Deum excedit naturalem rationem hominis: nam & antiqui saluati sunt nondum habentes fidem, iuxta illud Gal. 3. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi.* ℞. Sine fide in Deum nemo saluatur; & quia finis homini propositus excedit rationem naturalem, ideo & cognitio eius supernaturalis est necessaria. Neq; etiam perfectio creaturæ rationalis, in eo solo consistit quod ei competit secundum suam naturam, sed etiam in eo quod ei attribuitur ex quadam supernaturali participatione diuinæ

2.2æ. q.2. a. 3. 1m.

bonitatis. Neq; antiqui absq; fide in Deum sunt saluati, quod de illis ostendit Apostolus Hebr. 11. incipiens ab Abel, qui fide plurimam hostiam obtulit Deo. Cum verò dicit Apost *Priusquam veniret fides*, in eo loco accipit fidem pro rebus promissis in veteri testamento, q. d. priusquam venirent olim promissa, & iam isto tempore exhibita.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane. Cùm omnia quæ Deus reuelauit, & per suam Ecclesiam ad credendum proposuit, tum illa præcipuè duo prima Principia seu Mysteria debet ante omnia explicitè credere quisquis exoptat saluari, mysterium scilicet Trinitatis & Incarnationis. Quia enim per fidem in nobis vita æterna inchoatur, duo ista generalia principia fidei, ostenduntur Ioan. 17. *Hæc est* inquit *vita æterna, vt cognoscant & solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Vbi cùm dicit. *Vt cognoscant & solùm Deum verum*, insinuatur mysterium Trinitatis, vbi etiam particula exclusiua solus, secernit alias naturas ab vno vero in Trinitate Deo. Cùm verò d. *Quem misisti Iesum Christum*, manifestè mysterium Incarnationis explicatur. Hæc eadem duo Principia insinuat Apost. in illo Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Oportet enim credere quòd Deus vnus est in Natura & Trinus in Personis: oportet item credere, quia remunerator sit per Incarnationem Filij sui, *per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit*, vt remunerationem beatitudinis per eum consequamur. Itaq; mysterium Trinitatis semper credi oportebat, quia in principio libri Genes. inculcatur. *Faciamus hominem*
2. Petr. 1. *ad imaginem & similitudinem nostram*, vbi tres Personæ, vnius Naturæ diuinæ insinuantur, Sed antiquis sufficiebat implicita
Luc. 8. fides tanti arcani, quibus *in parabolis datum erat nosse* sicut alia ita quoq; istud secretum, atq; *in figuris omnia illis contingebant.*
1. Cor. 10. Iam verò in noua lege post tempus diuulgati Euangelij, omnibus

nibus postquam ad annos discretionis peruenerint, explicitè hoc mysterium necessitate medij creditu est necessarium. Nam ex præcepto Apostolis dato, & docendi & baptizandi sunt omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et hoc mysterium, quod omnes, qui in Christo renascuntur, adipiscuntur, est fundamentum omnium fide Christiana credendorum; dicit enim S. Thomas, super reuelatione facta Apostolis, de fide vnitatis & Trinitatis, fundaur tota fides Ecclesiæ, confitentis, Qui cum vnigenito tuo & Spiritu Sancto, vnus est Deus, vnus est Dominus, non in vnius singularitate Personæ, sed in vnius Trinitate Substantiæ: quod enim de gloria Patris eo reuelante credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Vt in confessione veræ, sempiternæq; Deitatis, & in Personis proprietas, & in Essentia Vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas. Simili modo mysterium Incarnationis omni tempore ad salutem aliqualiter credi oportebat, sed nunc iam explicite, sicut ante peccatum Adam credidit, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, ait S. Thomas. Post peccatum credebatur secundum quod ordinabatur ad liberationem hominis à peccato per passionem & resurrectionem, quod protestabantur illa Sacrificia. Post tempus diuulgati Euangelij, omnes tenentur habere explicitam fidem de ijs Christi mysterijs, quæ ab Ecclesia publicè Solemnizantur. Et ratio est, quia per quod homo salutem consequitur, illud semper credi oportuit: hoc enim proprie & per se ad fidem pertinet, per quod homo consequitur beatitudinem: talis autem est Incarnatio; cùm *non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri,* cui subscribit August. *Illa inquit fides sana est, quâ credimus, nullum hominem liberari à contagio mortis; & obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum Iesum Christum: cuius hominis eiusdemq; Dei saluberrima fide, etiam illi iusti, sunt salui facti, qui priusquam veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum.* Hic nectitur Catechistæ

q. 2. art. 7.

Act. 4.

Epist: 157.

NODUS. Constat illud necessarium necessitate medij, sine quo nullo modo finis haberi potest: sicut baptismus omnibus ad salutem ita est necessarius, siue in re, siue in voto, iuxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* : siue medium istud culpabiliter siue inculpabiliter omittatur: nam sine culpa ipsorum infantum omittitur, qui tamen non saluantur. Porro absq; explicata fide mysterij Trinitatis multi salutem consequuntur, illi videlicet quos experientia docet tum rudes esse, qui quantumuis doceantur, & ipsi conentur addiscere, explicite tamen capere non possunt. Damnabimusne istos? absit. Ergo explicita fides Trinitatis, non est de necessitate medij. ℞. Verum est, inuenire tàm rudes qui recto ordine secundum Origines Trinitatem Personarum pronuntiare non valeant, mente tamen & corde explicite concipiunt & retinent Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: nam & nos ipsi plura mente concipimus, quàm verbis effari valemus. Proinde condescendendum rudibus, in hac difficurtate pronuntiandi distincte, ordine debito, tres in Deitate Personas, modo interno cordis desiderio mysterium teneant.

VRGEBIT Catechistam vlterius nodus iste, Docet enim S.
2. 2æ. q. 10. a. 1. Thomas purè negatiuam infidelitatem non esse peccatum, & eos qui nihil de mysterijs Trinitatis & Incarnationis audierunt incredulitate non peccare: & si damnantur, non propter huiusmodi infidelitatem damnantur, sed propter alia peccata. Ergo inculpabiliter prædicta mysteria ignorans non peccat. Ergo fides explicita & notitia eorum, non est de necessitate medij. ℞. Non solùm est de necessitate salutis peccata vitare, & mala non agere, sed etiam bene facere: nemo enim fidelium negare potest bona opera esse media ad salutem. Quare transeat quod purè negatiua infidelitas non sit peccatum, illa tamen manente circa mysteria prædicta nemo saluatur, quia non tendit per fidem, tanquam per medium ad salutem

ſalutem. Fides itaq; explicita vtriuſq; myſterij prædicti, eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.

CATECHESIS. II.

DE INACCESSA MAIESTATE DEI.

PRimum in quod ſe extendit fides noſtra, & lingua confitetur, eſt Deus; idcirco de inacceſſa eius maieſtate iſta formatur Catecheſis, in qua, tria expedientur.

I. Quid nomine Dei importetur:
II. Quòd credendum, vnum tantum Deum eſſe.
III. Quid vlterius de Deo credendum?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, recte progrederis, cùm primò in DEum te credere profiteris, cuius maieſtatis incomprehenſibilitatem, cùm ex innumeris Scripturæ Sacræ locis, tùm ex Ierem: cap. 23. audis. *Cœlum & terram ego impleo,* dicit Dominus. Hinc Cyprianus in lib. de vanitate idolorum, *Dei* inquit *templum totus mundus eſt.* Et iterum. *Deus eſt totus vbiq; diffuſus.* Sed quia Chriſtiane quæris, Quid nomine Dei ſignificetur, ineffabile & inexplicabile. I. S. Thomas in explicatione ſymboli fidei dicit. Nomen Deus nihil aliud ſignificat quam *Gubernatorem & Prouiſorem rerum omnium. Ab ipſo enim* (dicit Catech. Paroch.) *Omnia, ad omnes creatas res, atq; naturas, perfecta bona dimanant.* Quem etiam Philoſophi *ſapientem, veritatis authorem, iuſtum, beneficentiſſimum,* & alijs nominibus appellarunt, quibus ſumma & abſoluta perfectio continetur. II. Damaſcenus lib. 1. cap. 12. dicit nomen Dei Græcè θεος dictum à θεειν, quod eſt currere, quaſi diſcurrens per omnia creata, ſingula conſeruet & foueat, Sap. 1. *Quomodo aliquid conſeruaretur niſi tu voluiſſes?*

luisses? vel ab αυθεειν, quod est ardere, seu vrere, quia Deus ignis dicitur. Vel ab αποτου θεασαι, quod significat prospicere, quia Deus omnia prospicit, Hebr. 4. *Omnia sunt nuda & aperta oculis eius*, Eccl 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sole, circumspicientes omnes vias hominum &c.* Vide Christiane quid agas ante conspectum eius, Iob. 34. *Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.* III. Sunt præterea hoc nomine Deus contenta, quæ soli ipsius maiestati conueniunt, & nulli creaturæ, sicut esse omnipotentem, omne bonum, omnia scientem, quia cognoscit omnia, præterita, præsentia, & futura, non per temporum vices, sed simul omnia præsentialiter. Quæ sint, quæ fuerint, veniantq; vno mentis cernit in ictu, canit Philosophia apud Boëtium. lib. 5. de Consol Metro. 2. *Solus cognoscit & in se videt occultas hominnm cogitationes.* IV. Nomen Dei, vt Nazian. Orat. 2. de Theol. d. significat principem quandam causam, quæ res omnes procreauit atq; conseruat. V. Nomen Dei significat Ens, quod est necessario, non ab alio, sed ab illo omnia. Exod. 3. Moysi dixit. *Ego sum, qui sum;* vsq; adeo, vt magis sit necessarium Deum esse, quàm possibiles esse creaturas. Nam etsi creaturæ non essent possibiles, Deum tamen fore esse necessarium. VI. Nomen Dei significat id, quo melius excogitari non potest, iuxta Anselm. in Prosolog cap. 2. Sed hic Catechistæ.

OBVIATUR. Frustra laboras circa explicationem nominis primi Entis, cui nullum nomen potest assignari, iuxta illud. Prou. 30. *Quod nomen eius, & quod nomen Filij eius si nosti?* Hinc Dionis. cap. 1. de diuin. nomin. d. *nec nomen, nec opinionem ipsius esse.* ℞. Nomen, Primo Enti non potest dari, secũdum quod in se est & perfecte: imperfecte tamen ex creaturis ipsi nomina dantur. Non potest inquam dari nomen Primo Enti secundum quod in se est, quia essentia eius est supra omne quo ipsum nominamus, & quod de illo intelligimus. Ex creaturis

autem sumuntur nomina & dantur Primo Enti, quæ ipsum quodammodo significent, sicut ex creaturis in eius cognitionem deuenimus.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Non te lateat errorem fuisse gentilium, qui plures deos colebant, quem errorem confutat Apostolus 1. Cor. 8. d. *Nullus est Deus nisi vnus*; nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra, (siquidem sunt dij multi & domini multi,) nobis tamen vnus est Deus. Manichæus Hæreticus duos excogitauit, vnum bonum à quo Spiritus sunt producti, alterum malum à quo corporalia. Alij diuinam substantiam in tres Personas diuisam voluerunt, qui & Tritheitæ sunt appellati, quasi deos tres colentes. Tu autem Christiane cum Symbolo Nicæno, fide Catholica vnum Deum confiteare: quod ex Symbolo Apostolorum accepisti. Credo in Deum, id explicat symbolum Nicænum. d. Credo in vnum Deum, nam vnitas maiestatis plurium vocabulo deos prohibet appellari, ait Nazian. Si enim naturaliter vnaquaq; res vnitati studet, quid de maiestate Authoris rerum omnium sentiendum? elementa homogenea si in partes distrahas, illæ partes vniri & ad se redire conantur, quod in ipsis aquæ guttulis perspicuum est. Et cum vnum & bonum idem sint; Summum bonum, summè vnum esse est necesse. Pulchrè id Philosophia proponit Boëtio lib. 3. de consol. prosa. 11. *Nostine* inquit *omne quod est, tam diu esse atq; permanere, quamdiu sit vnum, sed interire atq; dissolui pariter, atq; vnum esse desiterit*. Et vnitas quidem cùm permanentiam efficiat, Deus quoniam in æternum permanet, Ps. 101. *Ipsi peribunt, tu autem permanes & anni tui non deficient*. Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum & vltra*; Deus igitur est summè vnus. Philosophus quoq; in 8. Phys. vnum principium primum omnino immobile asserit; & quod principium illud nisi Deus, cuius laudes celebrat Philosophia apud

Bernard. Bu- lib. 2. lit. M.

pud Boët. lib. 3. metr. 9. d. *O qui perpetua mundum ratione gubernas, terrarum cœliq́ʒ sator qui tempus ab æuo. Ire iubes, stabilisq́ʒ manes, das cuncta moueri.* Deus nullâ specie motus, est mutabilis; non generatione & corruptione, quia non est generabilis nec corruptibilis, non augmentatione aut diminutione, cùm non sit quantus secundum molem: non alteratione aut loci mutatione, cùm sit vbiq; . Sed fortissimo robore Scripturarum vnitas Dei conuincitur. Deut: 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me*, Isai. 44. *Absq́ʒ me non est Deus*, Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides.* Trismegistus in Pymandro. Monas inquit genuit monadem, Sanè verò si duo essent dij, necesse esset vnum non pendere ab alio; nam Deum verum intelligimus eum esse, qui à seipso non ab alio pendet; quòd si vnus ab alio non penderet, vnus esset & existeret contra voluntatem alterius, atque ita, æqua esset in omnibus potestas & imbecillitas, ait Athanasius. Par quidem potestas, quòd alter alterius voluntatem vinceret, eo ipso, quòd altero inuito esse posset. Par item imbecillitas, quòd nolentibus ipsis, ea quæ nollent euenirent, siquidem vnus non posset alteri resistere, ne contra suam voluntatem existeret. Hinc Tertullian. contra Marcionem, *Deus*, inquit, si non vnus est, non est. DEINDE, Deus est id quod est potentissimum, immutabilissimum, optimum, & pulcherrimum, impossibile autem est plura esse potentissima, immutabilissima, optima & pulcherrima, vel vt dicit Catechis. Paroch. Deo tribuimus summam bonitatem, & summam perfectionem; impossibile autem est, id quod summum est, atq; absolutissimum in pluribus inueniri, si autem alicui deest aliquid ad summum, imperfectum est, non potest igitur ei conuenire natura Dei. Sed aliquis ex gentilitate Catechistæ.

S.Thom. super Boët.

Orat. contra idola.

lib. I. cap. 3.

OBUIABIT. Possunt esse duo dij æque boni, æque potentes & perfecti, qui necessario mutuo se diligant. ℞. Friuolum hoc

hoc & sine fundamento, nam duo isti, non solùm ipsi à seipsis, sed etiam cætera omnia ab ipsis esse deberent. Aut ergo ab vno solo, sine altero possunt res fieri & conseruari, aut non. Si possunt, ille alius superfluus erit, quia sine illo omnia fieri possunt. Si ab vno solo, sine altero non possunt res fieri & conseruari, vterq; imperfectus: & imbecillis, Deitatisq; impos: dicere etiam eos inter se conuenire, vt quædam ab vno, quædam ab alio libera voluntate producantur, ridiculum est.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, credere debes de Deo, quod & Ecclesia Catholica docet, quòd sit plenus omni perfectione vsq; adeo, vt omnium rerum perfectiones in eo reperiantur. Nam vt Dionys. cap. 5. de diuin. nomin. d. *Deus in vna existentia omnia præhabet idq; perfectiori modo.* Ratio quia effectus præexistit virtute in causa efficiente: & quidquid præexistit virtute in causa efficiente, perfectiori modo præexistit. DEus igitur cùm sit prima causa effectiua rerum, in ipso præexistunt perfectiones omnium rerum, modo perfectiori & eminentiori. Atq; secundum modum istum. Bernardus in serm. de omnibus sanctis d. *Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? sed à DEo omnia ista dona sunt nec dubium quin multo amplius reseruauerit sibi, quàm dederit creaturis. Pulchrum, pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans*, ait Boët. lib. 3. de consol. Philos. metro 9. Quare Sap. 13. arguuntur Ethnici insaniæ, qui ob pulchritudinem creatam in rebus, creaturas deos esse putauerunt. *Quarum*, inquit, *si specie delectati deos esse putauerunt, sciant quanto his Dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator omnia hæc constituit.* Credere debes Christiane DEUM esse Omnipotentem, sapientissimum, optimum. Omnipotentiam eius vbiq; celebrant scripturæ. Gen. 17. Abrahæ dixit. *Ego DEus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Gen. 43. *DEus meus omnipotens*, Exod. 15. *Omnipotens*

potens nomen eius, De ſapientia eius plurima. Iob. 9. *Sapiens eſt corde & fortis robore.* Pſ. 146. *Sapientiæ eius non eſt numerus*, ita vt nihil eum latere poſſit. Hebr. 4. *Omnia ſunt nuda & aperta oculis eius*, Eccl. 23. *Circumſpicit omnes vias hominum, & profundum abyſſi & corda hominum intuentur oculi eius in abſconditas partes*. Quamobrem Chriſtiane coram ſapientiſſimo, & omnia
Iob. 34. perſpiciente DEO caue peccare. *Non ſunt etiam tenebræ nõ eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem*. Speculator adſtat deſuper, qui nos diebus omnibus, actusque noſtros proſpicit à luce prima vſq; ad veſperam, canit Eccefia. Libros de conſol. Philoſ. his verbis Boët. concludit. *Magna vobis ſi diſſimulare non vultis indicta eſt probitatis neceſſitas, cùm ante oculos agatis iudicis cuncta cernentis*. De bonitate DEI clarius eſt quàm dici poſſit. Immo *nemo bonus niſi ſolus DEus*. Luc. 17. eius bonitatem rogat Pſ. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*. Thren. 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, ani-*
1. *Tim.* 2. *mæ quærenti illum*. ſane verò, quia etiam *omnes vult ſaluos fieri*. Sed contra Catechiſtam.

INSURGES. Creaturarum perfectiones inter ſe pugnant, vt Spiritus & corpus; rationale & irrationale. Deus autem ſummè vnus. Quædam etiam ſunt accidentia, at in DEO nullum accidens, non poſſunt de ipſo affirmari, & deberent ſi in ipſo eſſent: non enim dixeris, DEus eſt lapis, eſt albedo, nigredo &c. Quomodo igitur in Deo ſunt omnes perfectiones creaturarum? ℞. Recta eſſet iſta illatio, ſi perfectiones creaturarum in DEO eſſe formaliter concederetur: omnes enim perfectiones creaturarum ſunt formaliter finitæ & limitatæ, in DEO autem nihil finitum & limitatum, quatenus finitum & limitatum. Itaq; licet perfectiones creatæ non ſint in DEO formaliter, ſunt tamen eminenter, vt in cauſa efficiente: obiectiuè vt in intelligente: repræſentatiuè vt in idea & exemplari.

CATECHESIS III.

DE VIRTVTE CREANTE.

PRopter eos, qui ſublimioris ſunt intellectus & capacitatis, & præter vulgaria ſolent & affectant penitiora inſpicere & inquirere, hæc tertia Cathecheſis proponitur, in qua Chriſtianus tria à Catechiſta inquiret.

I. An in ſolo DEO ſit virtus creandi?
II. An aliqua creatura poſsit eſſe inſtrumentum DEI ad creandum?
III. Quis fructus ex horum conſideratione?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, ita eſt proprium DEI creare, vt nulla creatura poſſit produci, quæ in ſe habeat virtutem, vel minimam rem creandi; cùm enim illi tantùm cauſæ conueniat creare, quæ aliam vniuerſaliorem cauſam non ſupponit, ſolus autem DEus eſt eiuſmodi, ad illum ſolum referenda rerum omnium creatio. Quare Auguſt. lib. 3. de Trin. c. 8. docet, *neq; bonos, neq; malos angelos poſſe eſſe alicuius rei creatores.* Et Athanaſ. ſerm. 3. contra Arianos. d. *Adminiſtrare creaturam & ſeruorum eſt, condere autem & creare ſolius DEI eiusq; Verbi & Sapientiæ.* DEINDE, creare eſt ex nihilo aliquid producere, requirit igitur virtutem infinitam: nulla verò creatura habet virtutem infinitam: quia quia limitatæ, & finitæ eſſentiæ, qualis eſt omnis creaturæ, non poteſt eſſe virtus infinita. Soli DEO honor iſte à nobis deferatur, qui ſolus infinitæ eſt potentiæ, ſicut & eſſentiæ, & omnia poteſt. *DEus enim eſt immenſæ virtutis, viuens & potens.* vt lib. 8 de Trin. dicit Hilarius. PRÆTEREA. Si aliqua crecreatura poſſet creare deberet eſſe ſpiritualis & nobiliſſima,

omnium, eo quòd creatio sit perfectissima actio transiens. si nobilissima creatura, liberè non necessariò crearet, si liberè, certè in quantum intelligit & vult, qui sunt actus spirituales. Media autem intellectione & voluntate creata nihil potest creari, quia intellectio & volitio creata est accidens, non potest igitur esse principium creandi substantiam. DIXERIS. Perfectum est, quod potest sibi facere simile ex 2. de anima, Tex. 24. Ergo quanto aliquid perfectius, tanto melius facit sibi simile; creaturæ immateriales perfectiores sunt materialibus. Ergo melius sibi faciunt simile. Cùm igitur materiales faciunt sibi simile, ignis ignem, homo hominem, certe substantia immaterialis potest creare immaterialem: non potest autem generare. Ergo creare. ℞. Authoritas Philosophi intelligenda est de viuentibus corporeis perfectis non orbatis, qualia sunt animalia & plantæ, quæ tunc perfecta dicuntur, quando secundum tempus, tale alterum, cuiusmodi sunt, producere queunt. Fallit autem in DEO & substantijs separatis, neq; enim DEUS potest facere sibi similem alium DEUM. quia implicat, neq; substantiæ separatæ possunt alias creare, in quo errauit Auicenna dicens quòd prima substantia separata, à DEO creata, alias crearit. Potest & aliter responderi: duplex esse simile, vnum secundùm substantiam, aliud secundum perfectionem superadditam substantiæ, vt cùm præceptor docet discipulum, facit eum sibi similem, non secundum substantiam, sed secundum perfectionem superadditam, id est secundum scientiam. Viuentia itaq; corporalia faciunt sibi simile secundum substantiam, viuentia verò spiritualia possunt facere sibi simile secundum perfectionem superadditam substantiæ, sed non secundum substantiam.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Etsi id controuersum est inter Doctores de quo inqui-

inquiris, nam affirmant non pauci cum Magiſtro ſent. lib. 4. diſt. 5. c. plurium tamen eſt ſententia excedere id dignitatem & conditionem creaturæ, vt aſſumatur à DEO tanquam inſtrumentum creandi, Etenim quòd iam dictum eſt requiri infinitam virtutem ad creandum, creatura autem non eſt capax infinitæ virtutis, cùm ſit finitæ eſſantiæ & naturæ, quare nec inſtrumentum creandi fieri poteſt. DEINDE, vt inſtrumentum cum principali cauſa operetur ad effectum, oportet ex ſe habeat præuiam operationem aliquam, quod videre eſt in omnibꝰ inſtrumentis tàm artis quam naturæ: ſicut enim calor qui eſt inſtrumentum naturale ignis, habet ex ſe præuiam operationem ad producendum alium ignem, ita ſecuris quæ eſt inſtrumentum artis, ex ſe præuiam habet operationem ad ſecandum. Porrò nulla creatura poteſt habere præuiſam operationem ad creandum aliquid. Etenim cùm nihil præcedat rei quæ creatur, nullum etiam eſt ſubiectum, circa quod inſtrumentum præuia ſua operatione operetur. Præclare proinde Cyrill. lib. 2. contra Iulianum *Inacceſſæ* inquit *naturæ ſunt ea, quæ propria ſunt ſolius, & omnium ſummæ ſubſtantiæ, quem vnum eſſe dicimus efficaciter operari poſſe, vt Creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.* Quare ſicut ſolius Dei eſt creare, & ex nihilo aliquid producere, ita nullam creaturam eſſe capacem virtutis inſtrumentalis ad creandum confitendum eſt; ſolus propria virtute ſine adminiculo alicuius inſtrumenti, verbo ſuo creauit omnia, cuius *verbo cœli firmati* Pſal. 32.
ſunt, atq; *portat omnia uerbo virtutis ſuæ, per quod omnia facta ſunt,* Hebr. 1.
& ſine ipſo factum eſt nihil. Inde Mercurius ille Triſmegiſtus in Ioan. 1.
Pymandro Tacium filium ſuum adhortatur. *Mundum,* inquit, *verbo non manibus fabricatus eſt artifex, hoc verbum ô fili cole & adora.* al. opifex.
Hic quoq; Catechiſtæ,

OBIJCITUR. Verba Sacerdotis ſunt inſtrumenta: illa autem verba attingunt creationem totius ſubſtantiæ corporis Chriſti, quia attingunt efficaciter tranſubſtantiationem pa-

nis in corpus Christi, creatura ergo assumitur vt instrumentum creationis, ℟. Transubstantio illa non potest dici creatio, non ideo solùm quia est ex termino positiuo, creatio autem est ex nihilo, sed quia non est productio termini ad Quem, neq; enim transubstantiatio est productio, sed ordo est quidam vnius transeuntis in aliud, panis in corpus Christi, Vide Vasquez. 1. p. disp. 176. n. 38. m.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, si deuotè consideras rerum, totiusq; vniuersi creationem, multos inde fructus reportabis, Primò quidem peruenies ad cognitionem diuinæ Maiestatis, ostendit autem ratio naturalis opificem eminere operibus suis. Si DEus Creator vniuersorum, quanta eius præ omnibus eminentia! Solis & Lunæ aliquantum præ inferioribus videntes pagani eminentiam *deos esse putauerunt, sciant quanto his Dominator eorum Speciosior est, aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* Vnde quidquid potest esse aut cogitari, minus est DEO: quoniam *Magnus est Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* DEINDE cognosces Creatoris bonitatem, simulq; ad gratiarum actionem concitaberis: sciens enim DEUM esse creatorem omnium, scies ab eo omnia tibi data; nam quidquid es, & quidquid habes, ab ipso est, ideo debes ei gratiarum actionem. *Quid retribuam Domino* (ait iustus) *pro omnibus quæ retribuit mihi?* PRÆTEREA firmaberis in patientia. Etenim cùm omnis res secundum naturam suam sit bona, quoniam est à DEo, tamen si in aliquo tibi noceat & inferat pœnam, patienter ferre oportet, quia est à DEO, & omnis pœna quæ à DEO est, iusta est, & ad tuum commodum, nam *pœnæ purgant peccata, humiliant reos, bonos prouocant ad amorem DEi.* Iob. 2. *Si bona inquit suscepimus de manu DEi mala quare non sustineamus?* INSUPER, habes instructionem rectè vti creaturis, ad hoc nimirum, ad quod factæ

Sap. 13. *Psal. 144.* *1. Cor. 4. v. 7.* *August. lib. 1. Retract. c. 9.*

factæ sunt; sunt autem factæ creaturæ ad duo, ad gloriam DEI: Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*: ad vtilitatem nostram, Deut. 4. Quæ fecit Dominus *in ministerium cunctis gentibus*: proinde quidquid habes totum ad gloriam DEI conferre debes. POSTREMÒ inde perspicies dignitatem humanam, cùm propter hominem omnia facta sint. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris volatilibus cœli, & vniuersæ terræ.* DEUS ipse Dominus est vniuersorum, hominem fecit ad imaginem & similitudinem suam, tanquam alterum dominum vniuersorum, omnia subiecit sub pedibus eius. Quare vide Christiane, ne dignitatem tuam per peccata diminuas, vt de te dicatur. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis* Psal. 48. *insipientibus, & similis factus est illis.*

QUÆSIERIS. Cùm DEus ab æterno sit, cur non ab æterno creauit mundum, quia definito annorum numero mundus existere narratur? si enim potuit ab æterno creare, qui semper idem potens, cur non ab æterno creauit? ipseq; mundus potuit esse ab æterno. ℞. Potuit DEus ab æterno mundum creare, mundusq; potuit ab æterno esse, nulla implicantia, non tamen ab æterno, sed in tempore & cum tempore creauit, S. Thom. Opusc. 3. cap: 98. quia *DEus est agens voluntarium, omnia quæcunq; voluit fecit.* Bonau. in 2. Psal. 113. qui licet habuit voluntatem æternam producendi dist. 1. q. 2. b. aliquem effectum, non tamen aliquem effectum æternum ℞. 35. produxit. Ita Damasc. lib. 1. c. 8. Creatio in DEo cùm à voluntate proficiscatur, DEo profectò coæterna non est, quandoquidem hoc naturæ minimè comparatum est, vt quod ex nihilo in ortum producitur, eandem cum eo quod principij expers est, ac sempiternum est, æternitatem habeat. Mundum non ab æterno sed in tempore, & cum tempore produxit DEIus, quia hoc manifestius ducit in cognitionem diuinæ potentiæ creantis, quòd mundus non semper fuit, quàm si semper 1. p. q. 46. a. fuisset. Omne enim quod non semper fuit, manifestū est habe- 1. om.

re cau-

re causam, sed non ita manifestum est de illo, quod semper fuit. Et hoc indicat scriptura dicens. *In principio creauit DEus cælum & terram*: in principio scilicet temporis, vel vt aliter exponitur. *In Filio*, in quo condita sunt vniuersa, sicut enim principium effectiuum appropriatur Patri, propter potentiam, ita exemplare principium Filio propter sapientiam. Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti*.

Coloss. 1.

CATECHESIS IV.

DE CREATIONE VISIBILIVM.

SCriptura dicit. *In principio creauit DEus cœlum & terram*; idem Symbolum Apostolorum proloquitur. *Credo in DEum Patrem Omnipotentem creatorem, cœli & terræ*. Porrò Symbolum Nicænum duplicem creaturam à DEO productam distinguit, dum confitetur DEUM esse factorem visibilium & inuisibilium, i. corporalium & Spiritualium. Et quia à notioribus omnis doctrina sumit exordium, vt in 1. Phys. docet Philos. visibilia autem seu corporalia notiora sunt nobis inuisibilibus & spiritualibus, ideo Christianum, Catechista primo de creatione visibilium seu corporalium in hac Catechesi instituere conabitur, in qua tria inquiret Christianus.

I. *Quare credendum vnum tantum mundum esse creatum?*

II. *Quanto tempore mundus visibilis creabatur?*

III. *Quid mysticè in hoc considerandum?*

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, equidem potuit DEUS, & adhuc potest pro sua absoluta potentia aliud vniuersum, solo numero distinctum, cum alijs cœlis, elementis & mixtis producere: fide tamen

tamen diuina, ſicut credis vnum eſſe DEUM, factorem omnium tàm viſibilium quàm inuiſibilium, pariter crede vnum vniuerſum ſeu mundum ex viſibilibus & inuiſibilibus conflatum ab eo productum. Id mihi ex ſcripturis perſuaſum. quæ ſemper & vbiq; de vno mundo loquuntur. nec vſpiam plurium mundorum meminerunt. Natura quoq; vnum deſiderat, illudq; omni conatu inquirit, vt lib. 3. de conſol. proſa. 11. Boët. inculcat Philoſophia, teſtatur Mercurius ille Triſmegiſtus in Pymandro, Dialogo 4. d· *Monas genuit monaden, & in ſe ſuum reflexit ardorem.* i. vnus DEUS, vnum mundum propter ſui amorem creauit, vt exponit S. Thom. 1. p. q. 32. a. 1. 1m. DEINDE. Cùm DEI ſapientia & prouidentia mundus adminiſtretur, & omnia vno ordine ad vnum ordinentur, manifeſtum eſt, vnum eſſe mundum, cuius vnitatem tàm concinna & ſuauis harmonia profitetur, vbi omnia ad ſe inuicem & ad DEUM ordinantur. PRÆTEREA. cùm *omne agens agendo intendat finem.* profectò ipſe DEUS mundum fabricando: pluralitas autem mundorum repugnat rationi finis, quæ cùm ſit materialis tendit in infinitum: nemo proinde dixerit plures mundos eſſe à DEO creatos. Sed quidpiam.

1. p. q. 47. a. 3. c. 1m.

2. Phyſ. c. 8.

OBIJCIET. DEUS ſemper facit quod melius eſt, cùm ſit ipſe optimus, minimeq; boni inuidus, & naturam ad hoc inſtituit, vt quod melius eſt faciat, multo igitur magis ipſe; melius eſt autem plures mundos eſſe quàm vnum, quia plura bona meliora ſunt paucioribus. Ergo plures mundos DEUS creauit, quantumvis nobis non ſint cogniti. ℞. Democritus infinitos mundos poſuit, non ex ſapientia ordinante, ſed ex caſu; verùm iſtud friuolum. Quòd ſi dicantur meliores plures mundi quàm vnus, ſecundum multitudinem materialem dicerentur meliores; iam verò tale melius non eſt de intentione agentis ad finem, ex quo nullum agens intendit pluralitatem materialem ad finem.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane. S. Augustinus lib. 4. de Genes. ad lit. c. 22. & lib. 11. de Ciuit. c. 9. affirmat vno die & vno instanti mundum & omnia quæ in eo sunt à DEO producta esse. Communis tamen via Doctorum & Ecclesiæ laudat Sapientiam Creatoris, qui mundum successiuè, sex dierum spatio condidit & formauit. Atq; in hac via sunt plurima, Chrysost. Homil. 3. in Gen. Ambros. lib. 1. Hexam. c. 7. Basil. in Hexamero. Nazian. orat. 43. Hoc ipsum scriptura testatur tùm in principio Gen. tùm Exod. 20. Sex diebus inquit fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & quieuit die septimò. Quare in huius rei memoriam, Iudæis præceptum erat datum, de sanctificatione septimi diei seu Sabbati. Itaq; vt edisseramus fabricam mundi visibilis, iuxta seriem dierum in Genes. descriptam sic procedamus. PRIMA die, creauit DEus cœlum, terram & aquam, prout in Gen. legitur. *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Cœlum itaq; Empyreum in quo Maiestas DEi à beatis cernitur in primo instanti creauit DEus: per abyssum intellige aquam nimiam, quæ totum spatium à terra vsq; ad illud ipsum cœlum impleuerat. Eadem die creauit DEus lucem vt narrat scriptura, *Dixit Deus fiat lux & facta est lux, & vidit DEus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem, factumque est vespere & mane dies vnus.* Quæ fuerit illa lux, multam quæstionem inter se faciunt Doctores, verùm quæcunq; illa fuerit, ab oriente in occidentem discurrens successiue illuminabat tenebras. Eadem Die constituit DEus infernum pro supplicio malorum Angelorum; qui prima die peccauerunt. SECUNDA die produxit DEus firmamentum, id est aggregatum ex àére, igne, & omnibus cœlis mobilibus, ex aqua: ita scriptura narrat. *Dixit DEus fiat firmamentum in medio aquarum,*

& diuidat aquas ab aquis, & fecit DEus firmamentum, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita : vocauitq; DEus firmamentum cœlum, & factum est vespere & mane dies secundus; Hoc recolens Ecclesia canit, *Immense cœli Conditor. Qui mixta ne confunderent Aquæ fluenta diuidens, Cœlum dedisti limitem.* Esse autem aquas super cœlos, affirmat scriptura. Psal. 148. *Aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Daniel. 3. *Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt Domino.* TERTIA die discooperiendo terram, congregauit DEus aquas in locum vnum, produxit plantas, & arbores. *Dixit DEus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida.* Hinc Ecclesia canit. *Telluris alme Conditor, Mundi solum qui separans. Pulsis aquæ molestijs. Terram dedisti immobilem, &c.* Eadem die paradisum DEus plantauit, in quo postea posuit hominem, Gen. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.* QUARTA die produxit DEus omnia astra, solem, lunam & stellas. *Fecit inquit DEus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti, & stellas.* Ecclesia canit. *Quarto die qui flammeam, Dùm solis accendis rotam, Lunæ ministras ordinem. Vagosq; cursus siderum.* Magna luminaria vocantur sol & luna, ob magnam virtutem & efficaciam eorum in hæc inferiora. Hic Christiane contemplare bonitatem Creatoris, qui ob tuas vtilitates & commoda astra creauit. Primò vt tibi luceant super terrram; deinde vt diuidant diem ac noctem & sint in signa, & tempora, & dies & annos, tandem, vt sint in signa, id est, vt indicent aëris tempestates, ventum, pluuiam, serenitatem, opportunitatem seminandi, metendi, arandi, prout Astrologi ex ipsis cognoscunt, & prognosticant, ita explicat S. Thomas 1. p. q. 70. a. 2. 1m. QUINTA die produxit DEus pisces & aues ex aquis Gen. 1. *Creauit DEus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum.*

Et canit Ecclesia. *Magnæ, DEus potentiæ, qui fertili natos aqua, partim relinquis gurgiti; Partim leuas in aëra.* SEXTA die, produxit DEus animalia terrestria, bestias, & hominem, tanquam Dominum vniuersorum in consilio Ss Trinitatis. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs vniuersisq; terræ. &c.* Contemplarè Christiane benignitatem Creatoris erga hominem, quem in tantum honorauit, vt quasi alterum DEUM vniuersorum constituerit, propterea eum etiam vltimo creauit, tanquam opus perfectissimum, & complementum omnium operum manuum suarum. Ordinem seruauit DEus creando viuentia, ab imperfectis progrediendo ad perfectiora. Primo enim produxit plantas, secundo pisces, tertio aues, quarto animalia terrestria, quinto denique hominem, in quem tanquam in epithomen & paruum mundum omnia opera magni mundi colligeret. Hinc Ecclesia, *Hominis supreme Conditor, Qui cuncta solus ordinans, Humum iubes producere, Reptantis & feræ genus.*

DICES. Scriptura Eccl. 18. affirmat omnia producta vno momento temporis, nec fuisse distributum per sex dies opus creationis. *Qui* inquit, *viuit in æternum, creauit omnia simul.* aliud ergo per sex dies in scriptura positos, præter successiuum spatium temporis intelligi debet, præterea DEus omnipotentia sua, an non potuit vno momento omnia absq; tanta mora producere? ℞. Creauit DEus omnia simul, quia æquali potentia; vel simul omnia creauit, quia omnes species rerum, ita in principio mundi creauit, vt ampliùs novas species non creet. Compleuit enim die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo, i. amplius nouas species non creauit, Quòd autem tam lentè progressus fuerit per sex dies producendo, cùm vno momento potuerit totum, sit pro ratione voluntas eius, quâ *omnia quæcunq; voluit fecit.* Psal. 113.

QVAN-

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, quem vides ordinem seruatum à DEO in productione magni huius mundi, qui constat cœlo, terra, elementis & mixtis, eundem considera seruari ab ipso, in reparatione lapsi mundi parui, id est in iustificatione peccatoris; id ita perpende. In creatione magni mundi, audis prima die productam esse lucem ad dispellendas tenebras, quæ erant super faciem abyssi: & quia peccator tenebris mentis obuolutus est, Eccl. II. *Error & tenebræ concreata sunt peccatoribus*, I. Ioan. 2. *Qui odit fratrem suum in tenebris est*; ideo DEVS, cuius omnipotentia misericordia est, primo creat lucem, id est infundit menti peccatoris illuminationem, qui cognoscat semetipsum, statum & pericula. 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*, q. d. qui prima die fecit lucem ad dispellendas tenebras, idem illuminat corda nostra ad cognoscendum statum peccati, quam lucem petebat ille, Ps. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* Et quia secunda die produxit firmamentum, quo diuisit aquas superiores ab inferioribus, ita dùm iustificat peccatorem, producit firmamentum, id est timorem, à quo pœnitentia concipitur, vt dicit August: Hoc firmamentum diuidit aquas superiores & inferiores, id est appetitum rationalem à sensitiuo, vt homo qui sensu ad terrena inclinatur, ratione & mente ad cœlestia tendat, vt *quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram.* Absq; firmamento fuissent omnia confusa, sine timore non fit iustificatio. Firmamentum istud expetebat ille Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Tertia die, congregauit DEus aquas discooperiendo terram, & produxit de terra plantas, Homo peccator operitur aquis concupiscentiæ, & nullum affert fructum bonum. *Concupiscentia enim cùm conceperit parit peccatum*: dùm iustificat DEVS peccatorem congregat aquas, id est mortificat concupiscentiam per gratiam ne opprimat animum,

Coloss. 3.
Eccl. 1.
Iacob. 1.

mum, vt is fructus bonos afferat. Quarta die produxit DEUS in cœlo solem, lunam, & stellas: iustificando peccatorem producit solem, id est charitatem, lunam, firmam fidem; hesperum spem diuinæ misericordiæ, de quibus illud 1 Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas.* Quinta die produxit DEUS ex aqua pisces & aues: in iustificatione peccatoris dat humilitatem profundam, quâ cum piscibus profunda petas & humilia; dat contemplationem cœlestium, quâ cum auibus petas sublimia, Philip. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Sexta die creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam: hic Christiane oportet agnoscas bonitatem DEI; qui te ad imaginem suam fecit, iam collapsum restaurat & iustificat, abstersis per gratiam sordibus peccatorum. imaginem suam donis Spiritus Sancti & charismatibus collustrat. Quantum debeas Creatori & restauratori contemplare. Magister sent. lib. 2. dist. 1. d. *Si quæratur ad quid facta est creatura rationalis?* ℞. *ad laudandum DEum, ad seruiendum ei, ad fruendum eo, in quibus proficit ipsa non DEus.* Sed Christianus ex Catechista.

QUÆRET. Cur scriptura dicit, DEUM post opus sex dierum requieuisse, num fatigatus creando fuit? ℞. Propter eruditionem tuam id scriptura dicit. sex diebus operatus est, septimo requieuit qui non fatigatur, vt auarus discat, post laborem sex dierum & curas temporales, septimo die requiescendum in laude DEI & gratiarum actione pro beneficijs ab eo acceptis. Id scriptura docet Exod 20 *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Domini DEI tui est.* Disce etiam Christiane, post labores, afflictiones & tædia huius vitæ requiem in futuro seculo pijs & DEUM diligentibus repositum esse, Hebr. 4. *Itaq; Sabbatismus relinquitur populo DEI,* id est, gaudium cœleste figuratum per Sabbatum veteris legis.

CATECHESIS V.
DE CREATIONE HOMINIS.

QVodsi mundus iste visibilis propter hominem creatus est, tanqumam palatium propter regem, in quod inthronizandus erat, vt ponderat Nazian. Orat. 43. ideo cognitâ fabrica mundi, nunc de homine specialiter Christianus imbui à Catechista expetit, à quo tria de hominis creatione in ista Catechesi percipiet.

I. Qualis homo creatus quoad substantiam?
II. Qualis quoad gratiam?
III. Qualis quoad dominium?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, hic in primis considera vilitatem & dignitatem conditionis humanæ, Vilitatem ne te supra te efferas: Dignitatem vt bonitatem creatoris agnoscas, ipsum ames, & laudibus celebrare non desinas. Quare considera hominem ex duplici substantia conditum, vna corruptibili altera incorruptibili, ex corpore & Spiritu. Nam ex limo terræ, ita hominem corpore efficit DEus, & constitutum effinxit, ait Catech. Paroch. vt non quidem naturæ ipsius vi, sed diuino beneficio immortalis esset, & impossibilis, dicente scriptura. *DEus creauit hominem inexterminabilem*: atq; corpori ex terra formato inspirauit DEus animam rationalem. *Formauit*, inquit scriptura, *Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Atq; hæc anima rationalis est forma corporis, sicut in brutis anima sensitiua, quâ sentiunt internè ex externè; & in arboribus anima vegetatiua quâ vegetantur, nutriuntur & crescunt, ita in homine anima rationalis quâ primo intelligit est eius forma. Et enim illud

Sap. 2.
Gen. 2.

illud quo primo aliquid operatur, est forma eius, cui operatio attribuitur, homini autem attribuitur intelligere, & non alio intelligit quàm anima rationali, illa proinde est forma hominis. Cur vero in creatione hominis animam rationalem vniuerit DEus corpori, triplicem rationem assignat Magister sent. Vna quia sic DEO placuit, *& voluntatis eius* inquit *causa quærenda non est.* Deinde quia hoc fieri conueniebat in signum futuræ beatitudinis, quia vnio Spiritus & carnis ostendit possibilem vnionem animæ humanæ cum DEO, Tandem quia anima corpori mortali vnita, potest proficere ad maius meritum quàm si separata mansisset, sed hic sagax Christianus ex Catechista.

1. p. q. 76. a. 1.

lib. 2. d. 1. k.

QUÆRET. quia alia est anima vegetatiua in arboribus, quâ viuunt, nutriuntur & crescunt: alia sensitiua in animalibus, quâ sentiunt: alia rationalis in homine, quâ intelligit, num in vno homine tres animæ, quia operatio arguit formam? R. vna tantum secundum essentiam rationalis, quæ officijs omnium fungitur, axioma autem illud veritatem frequentius obtinet, quando huiusmodi operationes elucent in diuersis subiectis, non autem cùm in eodem porrò hæc anima rationalis est tota in toto homine, & tota in qualibet parte corporis totalitate perfectionis & essentiæ, quamuis non secundum totalitatem virtutis, *diuersa enim operatur in diuersis membris*, per oculum videt, per aurem audit &c.

Art. 3. Et opusc. 3. c. 90. 91. 92.

Rom. 12. 4.

OBSERUA Christiane rationes, ob quas anima hominis dicitur creata ad similitudinem DEI, Prima quidem quia sicut DEus immortalis, ita & anima humana: deinde sicut DEus est vbiq; totus & vnus implens omnia, sic anima est tota in toto, & tota in qualibet parte; tertio sicut DEus in dissimilibus creaturis dissimilia operatur, ita & anima: quartò, sicut DEus est vnus in Essentia Trinus in Personis, ita vna anima tribus prædita potentijs, memoriâ, intellectu & voluntate. Et intima horum consideratione istos reportabis fructus. Primò vt diligas DEUM, qui benigna voluntate sua, sibi te assimilauit; si

enim

enim similis es DEO, attentius ipsum dilige, ita enim *omne simile diligit sibi simile*; secundo vt imagini DEI in te condignum exhibeas honorem. Eccl. 10. *Fili in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum,* tertiò vt cui similis es in natura, studeas similis esse in gratia & gloria: *etenim cùm apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan. 3. *Eccl.* 13.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, primus homo creatus fuit in gratia, Eccl. 7. *DEus fecit hominem rectum,* id est gratia Sanctificante, quæ illi simul cum natura data fuit. Vnde Concil. Trid. Sess. 5. can. 1. *Si quis* inquit, *non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Domini fuisset in paradiso transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, Anathema sit.* Ius enim vitæ æternæ non potest haberi nisi per gratiam sanctificantem, quod ius Adam habuit ante peccatum, & per peccatum amisit tam sibi quam posteris, vt loco prædicto. Can. 2. dicit Concil. *Si quis Adæ præuaricationem, sibi soli & non propagini eius asserit nocuisse, & acceptam à DEO sanctitatem & iustitiam quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam perdidisse. Anathema sit.* DEINDE creatus fuit in iustitia originali, quæ subijciebat animam DEO, partes inferiores superiori, id est corpus animæ; hinc immortalis erat homo, qui si non peccasset: nunquam mortuus fuisset, sed sine morte translatus fuisset ad visionem beatam, & hæc immortalitas non fuisset homini naturalis sed supernaturalis. lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 26. August. dicit. *Mortalis erat conditione animalis, immortalis beneficio Creatoris.* Quare iustitia originalis data erat primis parentibus ea lege, vt ex illis in posteros cum natura simul deriuaretur si non peccassent: & quia peccauerunt amiserunt illam nobis, quæ continebat tria dona supernaturalia: quædam in anima scilicet in intellectu & voluntate, qualis gratia sanctificans, fides, spes, charitas: quædam in ap-

petitu irascibili & concupiscibili; quibus passiones animi componebantur: quædam postremò in corpore, contra mortem erat immortalitas, & à nocumentis conseruatio. Atq; hæc iustitia originalis fuit habitus supernaturalis subijciens corpus animæ, potentias inferiores rationi; & rationem DEO, propagataq; fuisset cum natura. Sed Christianus explorando.

1. p. q. 94. a. 1. q. 100. a. 1. 3m.

DICET. Quatuor virtutes cardinales immediatè comitantur gratiam, has autem primi parentes quia non habuerunt, nec gratiam habuerunt. Nam in primis iustitiam non habuerunt, quia præceptum DEI contempserunt: prudentiam non habuerunt, quia circumspecti non fuerunt; non temperantiam, quia aliena appetiuêre: non fortitudinem, quia prauæ suggestioni succubuêre. ℞. profectò Adam virtutes istas non habuit quando peccauit, peccando enim eas amisit, quas ante peccatum integras habuit, Hic quoq; Christiane.

OBSERUA. Statui iustitiæ & innocentiæ originalis connaturale fuisse donum scientiæ tàm naturalis, quàm supernaturalis: naturales quidem veritates omnes nouerunt, primi parentes, in supernaturalibus decipi non poterant; ita enim benignus Conditor, *disciplina intellectûs repleuit eos*, dicit Ecclesiasticus, c. 17. DICES. decepti tamen sunt, nam Eua Gen. 3. fatetur, *serpens decepit me*. ℞. Eua fuit decepta, non in statu innocentiæ sed in statu peccati, quia in ea iam præcesserunt peccatum superbiæ, internæ elationis, cùm enim se fore similem DEO audiuit, non statim credidit, sed voluntas prius deprauata & ambitione corrupta fuit, deinde illa traxit intellectum in errorem & deceptionem, ita enim error & tenebræ concreata sunt peccatoribus: hinc August. lib. 3. de lib. arb. cap. 12. *Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*: & Apost. 1. Tim. 2. *mulierem seductam esse in præuaricatione non ante præuaricationem.*

QVAN-

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Conditor DEus ita hominem *gloria & honore coronauit*, vt eum dominum verum omnium constituerit; Psal. 8. tradidit manui & potestati eius omnia animalia, *vt præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.* Gen. 1. Et hoc quidem naturale dominium hominis, fundatum est in dignitate imaginis & similitudinis ad DEUM. Et ratio horum est, quia diuina prouidentia inferiora per superiora gubernat, homo autem superior est animalibus & ceteris inanimatis, cùm sit ad imaginem DEI factus, ideo Dominus & gubernator omnium constituitur. Quapropter etiam in isto statu naturæ vitiatæ, vniuersa animalia ex primo aspectu horrent hominem tanquam Dominum sibi præpositum. Gen. 9. Noacho & filijs eius dictum. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram.* Peccatum etiam in hac parte multum nocuit homini; nam in statu naturæ integræ, hoc dominium naturale multo perfectius conueniebat homini quàm nunc, nunc enim solùm illi conuenit quoad ius & potestatem, tunc autem quoad vsum & executionem animalibus imperasset, plantis & animatis vsus fuisset absq; impedimento; si homo obediens permansisset DEO, omnia animalia ad imperium & nutum obediuissent homini. Vide Christiane quanti meriti & pretij obedientia, *Vir obediens loquetur victoriam*, quantæ Prov. 21. damnationis inobedientia! *Eiecit Dominus DEus hominem de paradiso voluptatis*, Gen. 3. quid nisi propter inobedientiam? omnia animalia non solùm siluestria, sed etiam domestica reluctantur homini, quid nisi in pœnam inobedientiæ?

QUÆSIERIT Christianus. In statu innocentiæ, si homo super homines, aut etiam super Angelos dominium habuisset? ratio dubitationis est, quia, si in hoc statu Angeli sunt in seruos hominum dati, iuxta illud Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij*

torij Spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quid impedit in statu illo naturæ integræ hominem habuisse dominium super Angelos? ℞. Nullum dominium conuenire potest homini super Angelos, cùm Angelus superior sit natura, neq; hoc ex verbis Apostoli elici potest: non enim ille dicit Angelos mitti vt seruos hominum, sed ad ministerium DEO exhibendum, circa procurandam salutem hominum. Quantum verò ad homines, istis in statu innocentiæ dominatus fuisset homo, non seruiliter sed directiuè, sicut Angeli superiores habent dominium super inferiores.

CATECHESIS VI.

DE STATU HOMINIS POST LAPSUM.

FEcit DEUS hominem, non in paradiso sed extra paradisum, cùm ideo *quia non erat in eo permansurus*, ait Magister sent: lib. 2. d. 17. cùm *vt non naturæ sed gratiæ omne melius assignaretur*: & eum de limo terræ formatum multis donis tàm naturalibus quàm supernaturalibus exornatum transtulit in paradisum, *vt operaretur & custodiret illum*. Gen. 2. Sed homo non intellexit suam dignitatem, quousq; iumentis insipientibus propter peccatum similis fieret; ex immortali mortalis, ex sapiente insipiens, perdita ratione, qua sola homo superior iumentis. Quare S. Bernardus conditionem hominis post peccatum ponderans dicit. *Heu quomodo de grege egregia facta est creatura!* puto dicerent iumenta si possent loqui, Ecce Adam factus est quasi vnum ex nobis, cùm in honore esset; certe quia habitabat in paradiso in loco voluptatis, nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat. Cùm itaq; Christiane aliquantisper cognoueris statum hominis primum innocentiæ, considera statum eiùs post lapsum in ista Catechesi; in qua tria proponuntur.

I. Qua-

I. Qualis Adam effectus per peccatum?
II. Qualis posteritas eius per peccatum?
III. An post peccatum homo retineat liberum arbitrium?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, postquam peccauit homo, pulsus est ex paradiso, & secundum animam, & secundum corpus mutatus est in deterius, vt considerat August. Enchiridij c.24. & de Ciuit. lib. 11. cap. 15. Secundum animam quidem, quia subiectus ignorantiæ, qui in creatione dotatus fuit sapientia naturali & supernaturali. Tanto vigore mentis pollebat, qui etiam omnibus animalibus coram se consistentibus nomina indiderit, quæ naturam vniuscuiusque & proprietates exprimerent, Gen. 2. *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*; iam post peccatum *cunctæ res factæ sunt ei difficiles*, Et *difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore*. DEINDE subiectus concupiscentiæ rerum nociuarum, non solùm illius ligni vetiti, cuius esum appetiuit, postquam in superbiam mente elatus fuit, sed etiam aliorum: quod vitium, nobis etiam pro natura inoleuit, nam *Nitimur in vetitum cupimusq; negata*. TANDEM in potestatem diaboli redactus est, & ad æternum cum eo supplicium condemnatus, vt August. dicit Enchiridij c. 25. Nam quamuis diabolus iniustè quãtum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum, sub seruitute teneret, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, iustum tamen erat, hominem hæc pati DEO permittente quantum ad culpam, & ordinante quantum ad pœnam, ait Ioan. Chrysost. Secundum corpus subiectus necessitati moriendi. *Quocunq; die* (inquit DEUS) *comederis, morte morieris*. quod ita ponderat Magister sent. *Primus homo secundum naturam* cor-

Eccl. 1.
Sap. 9.
Oper. imperf.

corporis terreni, & immortalis fuit quodammodo secundum aliquid quia potuit non mori; & mortalis quodammodo quia potuit mori. In illo namque primo statu habuit posse mori & posse non mori, & hæc fuit prima corporis humani immortalitas scilicet posse non mori: in secundo vero statu post peccatum habet posse mori, & non posse non mori quia in hoc statu est moriendi necessitas. Subiectus item post peccatum varijs miserijs, ægritudinibus, tristitijs laboribus. Sed hic Christianus.

QUÆRET. An homo peccauit aliqua necessitate? ℞. ita opinabatur Florinus, teste Augustino in lib. de hæresibus, & Bernardus Lutzcriburg. lib. 2. lit. F. Caluinus nunc criminatur DEUM esse authorem & causam peccati. Sed tu Christiane dic anathema istis erroribus, & scito nec necessitate, nec DEO authore, qui cùm sit summè bonus, causa mali esse non potest; sed suadente satana propria voluntate in superbiam elatus, Deum deseruit homo, eiq; rebellauit: quare tu Christiane contra fraudes diaboli esto cautus, & quasi à facie colubri fuge peccatum cuius sub te est appetitus.

QUÆSIER. iterum, sciens DEUS casurum hominem cur permisit à satana tentari? ℞. hoc quærit Magister. lib. 2. dist. 23. & respondet quòd *ad laudabilius bonum tentari permisit, laudabilius enim est, posse tentari & non consentire, quàm nec posse tentari, nec posse consentire.* Cur verò inquit Omnipotens non conuertit voluntatem hominis ad bonum vt non consentiret in peccatum? respondet quia *voluit eos relinquere naturæ suæ, vt nec infructuose boni essent, nec impune mali.*

QUÆRIT adhuc Christianus, Cur diabolus non aliam ad tentandum induit bestiam quàm serpentem? ℞. August. lib. II. de Gen. c. 3. *Satanam non fuisse permissum alio instrumento vti quàm serpentis ore, proportionabatur quippe in hoc calliditas diaboli calliditati serpentis,* de quo Gen. 3. *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus terræ.*

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, si Adam in originali illa innocentia perstitisset, similes sibi filios procreasset, scilicet secundum animam innocentes, & secundum corpus immortales. Innocentes inquam, quia cum natura, simul iustitia illa & innocentia in illos deriuaretur. Cap.10. de conceptu virgin. Anselm. d. quòd simul cùm rationalem haberent naturam, iusti essent, quos generaret homo si non peccaret. Immortales quoq; quæ immortalitas in originali iustitia contenta fuisset: iam verò per peccatum primi hominis tota posteritas est vitiata, & secundum animam & secundum corpus. Et quidem secundum animam, quia iustitiam originalem amisit primus homo, tàm sibi quàm posteritati: qui enim vigor in ipsa radice emarcuit, ad palmites transmitti non potest. Ideo qui ex Adam nascuntur in originali peccato nascuntur, quia sine iustitia nascuntur. Psal.50. Dauid plangebat. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Ephes. 2. Omnes nos *natura filij iræ*; quia primus homo peccauit *in ipso omnes peccauerunt.* Est autem hoc peccatum originale iuxta doctrinam S. Thomæ. *Languor naturæ, id est inordinata dispositio ex dissolutione harmoniæ iustitiæ originalis.* Secundum corpus vitiata natura hominis per primum peccatum, quia mortem & innumeras inuexit ægritudines & calamitates, *nunc enim omnes morimur & quasi aquæ dilabimur, statutumq; est hominibus semel mori.* Quare considera Christiane diuinæ iustitiæ seueritatem, quæ non patitur inultum peccatum; pœna siquidem primi peccati, amissio iustitiæ originalis & donorum supernaturalium, quibus natura fuit à DEO instructa, & hæc pœna æqualiter omnes nos premit, quam pœnam consequuntur etiam alia mala. Nudos se esse cognouerunt parentes nostri amissa iustitia originali, quia peccator, nudus est amissa per peccatum gratia DEI. Intulit DEUS pœnas peccatoribus, mulieri dixit.

Rom. 5. *1. 2æ. q. 82. a. 1.* *2. Reg. 14.* *Hebr. 9.*

Multi-

Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus &c. Adæ verò, *Maledicta terra in opere tuo in laboribus comedes ex ea &c.* vtrique communis pœna, mortis necessitas. *Puluis es & in puluerem reuerteris*, vide quantorum malorum causa peccatum! Eccl. 17. *Quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur.*

QUÆSIER. Si homo nunc formaretur ex muliere sine viro, num contraheret peccatum originale? ℞. Haberet omnes defectus naturæ sicut alij, sed non haberet rationem culpæ vel pœnæ, Ratio primi, quia defectus naturæ non possunt coërceri nisi per iustitiam originalem, qua careret hoc modo formatus, Ratio secundi, quia peccatum originale per Patrem trahitur.

QUÆSIER. iterum. Non peccante Adamo, si Cain peccasset, num peccatum Cain posteros infecisset? ℞. non infecisset; nec vitiasset, quia peccatum Cain tunc personale & particulare solùm fuisset, solùs autem, primus homo totius naturæ humanæ personam gerebat.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, cùm hæretici dicunt omnia nobis ex necessitate euenire, liberum arbitrium per peccatum primi hominis penitus extinctum & abolitum dogmatizant. Quorum errorem Concil. Trid. Sess. 6. Can. 5. de iustif. damnat. *Si quis inquit liberum arbitrium hominis, post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immò titulum sine re, figmentum deniq; à satana inuectum in Ecclesiam, Anathema sit.* Tu itaq; Christiane scito, hominem in statu naturæ corruptæ, retinere liberum arbitrium in actionibus naturalibus, nec vllo modo esse amissum per peccatum primi hominis: potest enim homo, pro suo arbitratu ire in agrum aut non ire, potest loqui aut tacere, & similia. Per gratiam verò tàm actualem quâ excitatur peccator, quàm per habitualem, quâ coram Deo Sanctus iustificatur, habet liberum arbitrium ad actus supernaturales

rales fide i; spei, charitatis &c. Huc tibi Christiane doctrina deducitur ex varijs locis scripturæ, quorum aliqua de peccatore, aliqua de iusto intelliguntur, Gen. 4. Caino dictum. *Sub te erit appetitus peccati tui, & tu dominaberis illius.* Iosue. 24. *Sin malum vobis videtur vt seruiatis Domino, optio vobis datur, eligite hodie quod placet,* 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.* Eccl. 31. *Potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Et quamuis homo nihil possit sine auxilio gratiæ in ijs rebus quæ pertinent ad salutem, tamen per gratiam præuenientem excitatus, & à DEO adiutus, ita potest operari, vt possit etiam non operari, potest gratiam acceptare aut respuere. Prou. 1. *Vocaui & renuistis,* Matth. 23. *Volui congregare filios tuos, & noluisti,* Act: 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Quare Christiane cùm quid mali perpetrâris, noli accusare diuinam voluntatem cum illo de schola Caluini, qui cùm ad supplicij locum ob flagitia sua duceretur, dixit. Ita DEVS uoluit, vt ego peccarem: voluit quidem DEus te pro scelere tuo puniri, sed non illud facere. DEus enim *non est volens iniquitatem,* quam prohibet mandato suo, *& est intentator malorum.* Quare agnosce tui arbitrij libertatem. Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* *Psal. 5.* *Iacob. 1.*

QUÆSIERIS. Si per peccatum primi hominis non est læsum nec sublatum liberum arbitrium, cur August: Enchiridij cap. 30. d. *Libero arbitrio male vtens homo, & se perdidit & ipsum:* id est ipsum liberum arbitrium. ℞. Perdidit homo liberum arbitrium, non quoad vires eius naturales, nec quoad opera naturalia aut ciuilia, sed quoad vires supernaturales, & quoad opera quæ prosunt ad salutem. Læsum ergo est liberum arbitrium per peccatum primi hominis, quia ea libertas quam habuit Adam cum donis supernaturalibus ad vitam æternam promerendam, per peccatum sublata est, nec potest recuperari, nisi ex meritis Christi dona illa supernaturalia recupe-

rentur quæ ad libertatem requiruntur, ita quod post peccatum primi hominis nemo possit credere in DEUM, diligere DEUM, operari propter DEUM sine auxilio gratiæ. Ita enim Concil: Trid Can. 3. sess. 6. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti gratia atq; eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Anathema sit.* Hoc ipsum August. lib. 1. cap. 2. contra duas epistolas Pelagianorum docuerat. d. *Quis nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato, perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam.* S. Thom 1. p. q. 83. art. 2. 3m. dicit, *Homo peccando dicitur liberum arbitrium perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem quæ est à coactione, sed quantum ad libertatem, quæ est à culpa & miseria: non enim liberi sumus à culpa vel à morte, & alijs pœnalitatibus,* vide etiam si placet Boët. lib. 5. de consol. prosa. 2. vbi modos libertatis aliquos ostendit.

CATECHESIS VII.

DE ANGELORVM CREATIONE.

IN Symbolo Apostolorum ita confiteris Christiane, *Credo in DEum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ:* ex quo cognouisti, productionem à DEO factam eorum, quæ cœli & terræ ambitu continentur. Symbolum tamen Nicænum explicantius loquitur, nam præter visibilium productionem, etiam invisibilium, id est Spiritualium substantiarum, scilicet Angelorum creationem ad credendum proponit. d. *Credo in vnum DEum Patrem Omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Et quia Apostolus Rom. 1. dicit, *Inuisibilia DEI per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* tanquam à notioribus igitur, ad ea quæ minùs nota sunt nobis, in hac doctrina Christiana progredimur, id est à visibilibus ad inuisibilia

lia & Spiritualia, id eſt ad Angelorum creationem. Tria ergo de illorum creatione à Catechiſta perdiſcere Chriſtianus poſtulabit.

I. Quales Angelos DEVS creauit?

II. Quando boni gloriam, mali pœnam acceperunt?

III. Ad quid Angeli præſunt hominibus?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, de exiſtentia Angelorum, multi cum Saducæis dubitabant; eos tamen exiſtere in rerum natura, non ſolùm bonos ſed & malos, quod euidenti ratione demonſtrari nequit, ſacrarum literarum authoritate eſt manifeſtum. Bonos quidem ſæpiùs Sacræ literæ cùm noui, tùm veteris teſtamenti memorant, Gen. 3. *Eiecit Dominus de paradiſo voluptatis Adam, & collocauit ante paradiſum Cherubim*, Gen 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere.* Gen. 21. *Vocauit Angelus Domini Agar de cœlo* Gen. 22. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit.* Matth. 26. *duodecim legiones Angelorum* nominantur. De malis angelis Pſal. 77 *Immiſſiones per Angelos malos*, 1. Reg. 18. *Inuaſit Spiritus DEI malus Saul.* Iob. 1. & 2. *Satan nominatur.* In Euangelio res manifeſta, vbi Chriſtus ſæpe dæmonia id eſt Angelos malos eijciebat. Fides docet Angelos à DEO creatos eſſe. Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni ſiue Dominationes.* Creati ſunt Angeli à DEO naturæ Spiritualis, nulla corpora habentes, Spiritus puri, quod ſcripturæ teſtantur. Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus*, ob quam cauſam in ſcripturis Spiritus abſolutè vocantur, & ideo incorruptibiles ſunt, & immortales, cùm non conſtent ex contrarijs inter ſe pugnantibus elementis. Aſſumunt autem Angeli corpora tanquam motores tam boni quàm mali, & in

ipsis apparent hominibus: boni quidem ex condensato äre vt
1.p.q.62. a.3. plurimum, mali etiam cadauera assumunt damnatorum. Porrò quantum ad conditionem, in gratia sanctificante Angelos
lib. 12. de Ciuit. cap. 9. DEus creauit, condens naturam & largiens gratiam, vt dicit August. *Cum bona voluntate*, id est amore casto quo illi adhærerent. Nam de Lucifero Ezech. 28. sub figura regis Tyri. d. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ donec inuenta est in te iniquitas.* Acceperunt autem gratiam iuxta quantitatem suorum naturalium, de quo Magister sent. *Qui* inquit *natura magis subti-*
lib. 2. dist. 3. *les, & sapientia magis perspicaces creati sunt, hi etiam maioribus gratiæ muneribus præditi sunt, & dignitate excellentiores alijs constituti: qui verò natura minùs subtiles, & sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora dona gratiæ habuerunt, inferioresq; constituti sunt, sapientia DEI æquo moderamine cuncta ordinante.* De sapientia Angelorum manifestum est, nam ita in scripturis nominatúr. Eccl. 1. *Prior omni creata est sapientia*: illa enim sapientia, quæ DEus est creata non est, ait Magister. Qua ratione sapientiam Dauid, extollens illa Thecuitis. 2. Reg. cap. 14. confert illam cum sapientia Angelica. *Tu inquit Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus DEI, vt intelligas omnia super terram. Habuerunt autem Angeli triplicem cognitionem naturalem, quâ sciebant quòd facti erant: & à quo facti erant: & cum quo facti erant, & habebant aliquam boni & mali notitiam, intelligentes quid appetendum vel respuendum illis foret*: Hæc Magist. Augustinus verò duplicem in Angelis beatis distinguit cognitionem. *Matutinam & claram*, quâ cognoscunt creaturas in Deo, siue vt aiunt in Verbo. *Vespertinam & obscuriorem*, quâ cognoscunt res in seipsis, seu in proprio genere. *Potentes virtute* Spiritus creauit DEus Angelos,
Psal. 102. qui magna miranda possunt efficere. 4. Reg. 16. *Vna nocte de exercitu Sennacherib, interfecit Angelus centum octoginta quinq; millia*, localiter mouere possunt corpora etiam maxima & subito. Daniel. 14. Habacuc Prophetam subito portauit Angelus ex Iudæa in Babylonem, *In impetu Spiritus sui*, id est In virtute

tute ait Lyran. ita Act: 8. Philippum detulit in Azotum. Lapidem magnum valde Marci 16. reuoluit ab ostio monumenti: immò orbem cœlestem in spatio vnius diei mouet Angelus; quamobrem virtutes & exercitus Domini in scriptura appellantur. Si etiam de numero eorum Christiane aliquid exploratum habere volueris, scito eos in numero ingenti esse creatos qui nobis est ignotus, Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Ex quo colligimus, alios esse assistentes tanquam intimos aulicos, alios ministrantes, & ad nutum paratos: & inter ministrantes, alios disponentes seu ordinantes, alios exequentes. Per nouem choros seu ordines distincti, vt dicit S. Greg. nam *supremi sunt Seraphini, qui præ alijs ardent charitate, Cherubim pleni sapientia, Throni, qui tanta diuinitatis gratia implentur.* ait Greg. *vt in eis sedeat DEVS, & per eos decernat iudicia atq; informet, Dominationes præordinantes quæ agenda sunt, Virtutes primò mouentes ad opus Potestates coërcentes omne quod potest obuiare executioni diuini imperij, Principatus qui præsunt regnis & prouincijs, Archangeli qui nuntiant hominibus ea, quæ superant rationem, id est mysteria fidei,* Et hic assistunt personis publicis, regibus, principibus & alijs, sicut B. V. MARIÆ, quæ fuit publica persona assistebat Gabriel Archangelus: Angelorum vltimus ordo, ex quo sunt custodes nostri, singuli singulis hominibus à DEO deputati. Immò cuilibet speciei animalium Angelus præest; omnibus viuentibus, arboribus, herbis; in super elementis, igni, àëri, aquæ, terræ. Apoc. 16. Vers. 5. nominatur *Angelus aquarum,* id est, qui præpositus erat elemento aquæ. Et cap 14. v. 18. *Angelus habens potestatem super ignem.* Eo autem fine istis etiam speciebus bonitas DEI præposuit Angelos bonos, vt defendant à Satana, cuius malitia omnia cupit euertere. Hic ex Catechista Christianus. *Orige. Homil. 14. in Numer.*

QUÆRIT. In quo loco creati sunt Angeli? S. Thom. 1. p. q. 61. art. 4. in cœlo Empyreo creatos esse docet, quia ibi satanas

 tanas

tanas peccauit & inde pulsus. Luc. 10. *Vidi satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo.* Et Apoc. 12. *per Michaëlem inde diabolus eiectus.*

QUÆRIT iterum. Quare Lucifer Isai. 14. *in cœlum voluit ascendere* si in cœlo creatus fuit? Magister sent. lib. 2. d. 2. dicit, *Cœlum vocat DEI celsitudinem, cui parificari volebat,* q. d. ascendam ad æqualitatem DEI.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Omnes Angeli in primo instanti meruerunt de condigno primam gloriam per actum dilectionis DEI: in secundo instanti boni meruerunt augmentum gratiæ & gloriæ: mali peccauerunt. In tertio instanti (puta, quæ instantia per Angelicas actiones distinguuntur) acceperunt gloriam respondentem, primæ gratiæ & augmento eius. Quia sicut homines non consequuntur gloriam nisi per meritum, infantes quidem per solùm meritum Christi, adulti verò etiam per sua merita; *nam nemo coronabitur nisi legitime certauerit,* ita quoq; Angeli per meritum gloriam sunt consecuti. Quare Apoc. 21. in cœlesti Ierusalem dicitur *eadem esse mensura hominis quæ Angeli,* vt obseruat S. Thom. 1. p. q 62 art. 4. Hoc verò diuina bonitas in melius creaturæ rationalis ordinat: nam ceteris paribus, melius est habere aliquid ex merito quàm sine merito. Vnde quanto maior gratia & augmentum gratiæ, quæ est fundamentum meriti, tanto maior & gloria. Itaq; quanto Angelus quisq; perfectior fuit in natura, tanto maiorem accepit gratiam, maius meritum habuit, maiorem quoq; gloriam accepit, cùm gratia sit semen gloriæ. Atq; hanc gloriam nunquam amittent, *cùm sit firma possessio summi boni, & status bonorum omnium congregatione perfectus, excludens omne malum, omnemq; defectum.* Apostatæ verò peccauerunt in secundo instanti, nolentes subesse DEO, cupientesq; inordinate alijs præesse, proinde sicut boni in tertio instanti acceperunt præmium & glo-

2. Tim. 2.

Boët. lib. 3. de consol. Philos. prosa 2.

riam, ita apoſtatæ in tertio inſtanti acceperunt pœnam & damnationem. *DEus enim angelis peccantibus non pepercit* (ne forte nec tibi ô peccator parcat) punit in intellectu, quia illis cognitio præcluſa ſupernaturalis, Ezech. 28. *perdidiſti ſapientiam:* in voluntate, quia obſtinati in malo, per ſubtractionem gratiæ; puniti carentia viſionis beatificæ, quæ pœna grauiſſima rationali creaturæ: igne infernali cruciantur, exigente diuina iuſtitia, & vim igni conferente; *qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*, Hic aliquis Catechiſtæ. 2. Petr. 2.

OBIJCIET. Non videtur Angelus in ſecundo ſed in primo inſtanti peccaſſe, quod ſcripturæ conformè videtur dicenti: *ab initio diabolum peccaſſe*. ℞. Initium in iſtis ſcripturæ locis; non ſumitur pro inſtanti primo angelico, ſed pro ipſo mundi principio vt mundus creatus eſt. Peccaſſe autem in primo inſtanti; aut potuiſſe peccare, ne in ipſum naturæ Authorem illud peccatum deriues, caue dicas, quæ verior & melior ac tutior Theologorum ſententia. Ioan. 8. 1. Ioan. 3.

QUÆSIER. An imputandum apoſtatis quòd auerſi ſunt? Ratio dubitandi, quia ſine gratia cooperante non potuerunt conuerti; quæ illis ſine illorum culpa non fuit data, ℞. Imputandum eſt illis, alioquin iniuſtè damnarentur, porrò *apud DEum non eſt iniquitas*. Quòd autem eis non eſt data gratia, culpa illorum fuit, quia cum poſſent ſtare, quouſq; eis gratia apponeretur, noluerunt, ſed per ſuperbiam ceciderunt. Potuerunt autem non cadere ſed ſtare per id, quod eis in creatione collatum fuit: & nihil erat quod eos ad cadendum compelleret, niſi ſpontanea eorum voluntas. Iob. 34. 10. Pſal. 91. 17. Rom. 9. 14.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane. Cùm *vniuerſa propter ſemetipſum, & propter gloriam ſuam operatus ſit Dominus*, eius immenſa bonitas ordinauit Angelos bonos præeſſe non ſolum hominibus, ſed omnibus viſibilibus creaturis. Tam dignatur DEus honorare animam Prou. 16.

mam hominis, vt ei tàm præstantem naturam deputet ad custodiam: quod dùm ponderat Hieron. d. *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu suo habeat Angelum ad custodiam sui delegatum.* Qui Angelus custodit incunctanter, nec deserit hominem vsq; ad mortem; immò post mortem deducit animas saluandas ad suum locum. Docet S. Thomas quòd *Angelorum custodia principaliter ordinatur ad illuminationem, secundario ad arcendum dæmones ne noceant aut tentent, quamdiu volunt.* Tob. 8. Raphaël Angelus compescuit dæmonem, à filia Raguelis vxore Tobiæ. Sunt tutelares Angeli qui de malis liberant. Gen. 19. cùm Dominus puniret Sodomam, Lotum eduxerunt. Act: 12. Petrum Apostolum Angelus eduxit de custodia, Gen. 48. Iacob Patriarcha beneficium Angeli erga se agnoscit; *Angelus inquit eduxit me de cunctis malis.* Custodit Angelus retrahendo à malis operibus. Num: 22. Cohibuit Balaamum à maledicendo Israeli. Quod si obstinatus fueris in malo, ad tempus nutu DEI permittit Angelus te cadere. Ierem. 51. *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam,* Gloss. d. *Medici sunt Angeli quos à nobis repellimus, dùm eorum consilio non acquiescimus.* Custodit Angelus bonos cogitationes immittendo, excitans ad bonum inchoandum & prosequendum. Cap. 13. Lætabatur Iudith. castissima de custodia Angeli, *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis.* Custodit, quia docet de mysterijs diuinis, quod patet in plurimis locis scripturæ; in quibus Angeli Diuina hominibus reuelabant. Hinc Dionys. cap. 4. cœlest. Hierarch. *Reuelationes* inquit *diuinorum perueniunt ad homines mediantibus Angelis.* Omnibus itaq; indiscriminatim hominibus bonis & malis, reprobis & prædestinatis, fidelibus & infidelibus, etiam Antichristo ad custodiam Angelus datur. Primi parentes nostri tametsi in gratia & sanctitate creati fuerint, indiguerunt tamen Angeli custo-

1. p. q. 113. a. 5. 3m.

1. p. q. 111. a. 1.

custodia: quia poterant tentari & peccare, sicut & factum est. Quare magnam curam & diligentiam Sanctorum Angelorum circa procurandam salutem hominum intuere Christiane: sicut enim *Diabolus circuit quærens quem deuoret*, ita Angeli Sancti vigilant ne homo pereat. Non enim minor est charitas Angelorum erga homines (cum quibus ipsi vnam Ecclesiam, vnam Sanctam ciuitatem constituunt) quàm odium diaboli contra eosdem, satanas insidiatur vt impediat orationes nostras, Sancti Angeli eas offerunt DEO. Sed hic est aliquid quod possit Catechistæ.

1. Petr. 5.
1. Thess. 2. 18.
Apoc. 8. 3.
Tob. 12. 12.

OPPONI. Vt quid omnibus hominibus datur custos Angelus cùm non omnibus sit necessarius? Primò quidem Christus cùm in similitudinem hominum factus fuerit non indigebat custodia Angelica: nec primus homo in statu innocentiæ, qui in omnibus circumspectus in nullo potuit decipi. Deinde custos Angelus vtiq; ad vitam æternam ducit, excitando ad bona opera & muniendo contra insidias diaboli: vitam verò æternam præsciti ad damnationem nunquam consequentur. ℞. Christus secundum quod homo, quia immediate regulabatur à Verbo, & secundum animam fuit comprehensor, ideo non indiguit custodia Angelorum, sed vtebatur ministerio, ratione pusillitatis corporis vt viator. Primus autem homo quia subiectus erat periculo tentandi ab exteriori, indiguit custodia. Tandem infideles, præsciti & Antichristus non destituuntur custodia Angelica, qui sicut muniuntur auxilio interiori naturalis rationis, ita etiam non priuantur exteriori auxilio, toti humanæ naturæ diuinitus concesso, scilicet custodia Angelorum. Et licet per hanc custodiam non consequuntur vitam æternam, quia eam bonis operibus non merentur, per eam tamen retrahuntur à malis operibus, quibus & sibi & alijs nocere potuerunt.

CATECHESIS VIII.

DE PROVIDENTIA DEI.

QVoniam DEus summa sapientia vniuersa creauit, omnibus quoq; creatis prouidet: prouidere enim omnibus ad eum spectat. de quo Xenophon, *DEus* inquit *rerum omnium est Author & Actor, æterna & prouida mens, quæ cœlorum perennes orbes, quæ siderum inæquales cursus, quæ elementorum æternas vices, quæ deniq; omnes res inferas & superas temperat, moderatur & gubernat.* Et alius *DEI* inquit *prouidentia mundus administratur.* Dicto igitur Symboli iuxta exigentiam huius primi articuli de creatione rerum, iam de prouidentia quæ est gubernandorum, seu ratio ordinandorum in finem aliquid vel paucis dicendum, proinde in ista Catechesi tria proponentur.

I. Quid de prouidentia veritas tenere mandat?
II. Quis sit vniuersorum prouisor & gubernator?
III. Gubernatio vniuersi quo tendat?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, rectè inquiris quid de prouidentia tenere debeas, de qua multum antiqui gentilium Philosophi errârunt. Et Prothagoras quidem DEUM in dubium vocauit, Diagoras palam negauit, similiter alij Athei prouidētiam omnem sustulerunt, vt omnia casu & fortuna fierent. Huic si dementiæ immiscuerunt illi Iob. 21. dicentes. *Quis est Omnipotens vt seruiamus illi, aut quid proderit si orauerimus eum?* Et cap 22. *Quid enim nouit DEus? quasi per caliginem iudicat.* Epicurus prorsus negauit prouidentiam. Empedocles regimen vniuersi fortunæ & casui perperam deferebat. Sed isti expenderint, quomodo id quod incertum & instabile est, qualis fortuna & casus, stabilem & certis legibus constantem ordinem efficere potest? Quare

Quare Christiane cogita cùm res creatæ sine prouidētiæ regimine esse non possint, omnia à diuina prouidentia pendere. Quid verò (quæris) est prouidentia? *est ipsa diuina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit*, ita Philosophia apud Boëtium lib. 4. de Consol. Prosa. 6. Tot tamq; enormes in hoc argumento deuita Christiane errores & atheismos, inueniuntur qui dixerint, DEUM vniuersalibus & incorruptibilibus rebus proximè & per seipsum prouidere, humanorum autem & singularium penitus curam non habere. *Nubes* (aiunt illi Iob. 22.) *latibulum eius, & nostra non considerat, circa cardines cœli perambulat*: ast ille minimis rebus etiam formicæ prouidet. Sap. 8. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Si etiam lilia agri vestit DEUS, profectò singulari prouidentia, quod absurdum visum fuit Philosopho, *Primam scilicet Mentem de quibusdam cogitare*, & melius esse quædam non videre quàm videre. Agnosce autem Christiane in eo maxime elucere DEI prouidentiam, quòd in vsum fidelium suorum, cùm expedire iudicauerit, etiam illa præstat ex creaturis, quæ naturalem causam excedunt. Israelitis quidem *dedit manna in deserto, dedit aquam de petra, in Cana Galileæ vinum ex aqua, turbis sequentibus auditionem verbi DEI Panes multiplicauit.* Sed hic versutus quis ex Catechista.

Matth. 6.
Lib. 12. Metaph. cap. 2.
Exod. 16. & 17.
Ioan. 2.
Matth. 14.
Marc. 6.
Ioan. 6.

QUÆSIER. Si prouidentia est, infallibilis est, si infallibilis, necessitatem rebus imponit: illud enim necessario euenit, quod infallibiliter euenturum DEUS præuidit; si necessario quomodo prouidentia simul stabit cum libero arbitrio? quomodo liber sum in mea actione, quam infallibiliter DEUS præuidit inuariabiliter futuram? ℞. Equidem Tullius lib. 2. de diuinat. negauit diuinam prouidentiam de futuris contingentibus ex libero arbitrio dependentibus. Verùm Boët. lib. 5. de Consol. Philos. quæstionem de conuenientia prouidentiæ DEI cum libero arbitrio satis diffuse tractat, ostendens quomodo inter se conueniant. Ego autem breuiter dico, ita

res eueniunt, ficut DEus præuidet euenturas: etenim quas necessario euenturas præuidet, necessario eueniunt; quas contingenter & liberè euenturas præuidet, contingenter & liberè eueniunt. Et quidem res naturales ex causis necessarijs, necessario euenturas præuidet, necessario item eueniunt: illas autem quæ ex causis liberis euenturæ sunt, libere euenturas præuidet, atq; etiam liberè eueniunt, vt ex diuina præscientia nulla vis libero arbitrio inferatur.

1. p. q. 22. a. 4. 2m.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Stulti homines quorum plena sunt omnia, sæpè dæmonibus tribuunt potestatem in mundi gubernatione. E. G. cùm DEus punit peccata eorum aliquibus plagis, non à Deo vindice, sed à diabolo, sagarum interuentu, omnia euenire autumant, vt cùm affliguntur frigoribus, penurijs, egestate, infirmitate, calamitate & alijs id genus. Non tamen curant reatum suum agnoscere & culpam corrigere, atq; illius meminisse. *Quis est qui noceat vobis si boni æmulatores fueritis?* Quare abolita ista persuasione (quâ malè imbuti sunt) à mentibus eorum, à DEo omnia fieri, etiam malum pœnæ persuasum habeant, nec sine eius voluntate atq; regimine aliquid occidere, qui quod condidit regit & gubernat, teste scriptura. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Gredor. lib. 24. Moral. cap 26. d. *Mundum per seipsum regit DEus, quem per seipsum fabricatus est.* Et quia prouidentia duo in se continet, rationem scilicet gubernationis, quâ DEus apud se disponit quæ sunt facienda, seu rationem ordinis rerum prouisarum in finem, vt loquitur S. Thomas, deinde includit executionem ordinis, seu ipsam gubernationem. Itaq; quoad rationem ordinis seu gubernationis, ipse DEus immediate prouidet omnibus, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum. Quoad executionem ordinis seu ipsam gubernationem, prouidet mediantibus alijs,

1. Petr. 3.

Iob. 34.

1. p. q. 22.

qui-

quibus dedit virtutem exequendi ordinem gubernationis; atq; hoc modo gubernat inferiora per superiora, corpora per Spiritum, vt August: lib. 3. de Trin. c. 4. docet. *Omnia* inquit *corpora per Spiritum vitæ rationalem: & Spiritus vitæ rationalis desertor atq; peccator, per Spiritum vitæ rationalem pium & iustum, & ille per ipsum DEum*. Et quoniam quoad executionem ordinis & gubernationis per alia DEus gubernat mundum, Hinc Christianus.

QUÆRIT. Num hoc ob defectum virtutis, num ipse insufficiens in singulis exequi ordinem gubernationis? ℞. Non quòd non sufficiat ipse, qui sufficientiam & virtutem tribuit alijs, & se solo potest, quidquid cum causa secunda potest: sed quia bonus est, & bonum suipsius diffusiuum, iuxta Dionysium, etiam alijs tribuit hunc honorem, vt eos admittat ad consortium suæ gubernationis. Et sicut terreni Regis augetur maiestas ex ordine ministrorum, ita Rex æternæ gloriæ suam in eo maiestatem declarat, quia alijs communicat gubernationis executionem. *Cap. 4. diuin. nomin.* *3. Reg. 10. 5.*

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane. Sicut creationis ita & gubernationis finis est gloria DEI. Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, quoniam ipsum cognoscimus ex operibus eius, & *inuisibilia DEI per ea quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas*. SI QUÆRAS: Gubernante DEO cur mala quoq; irrepant inter bona? scito ob decorem bonorum DEO permittente & ordinem ponente. Malum enim bene ordinatum, & suo loco positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora sint, dum conferuntur cum malis, vt pulchra cum turpibus. *DEus enim cùm sit summè sapiens; bonus & omnipotens, melius iudicauit de malis, benefacere*, ait August. *quàm mala nulla esse permittere*. Si effectum gubernationis diuinæ mente assequi desideras, est *Rom. 1.* *Cap. 11. Enchir.*

rerum in esse conseruatio: gubernando enim conseruat creaturas, quæ quidem rerum conseruatio, est earum quædam continua creatio, quâ non minus continuo res ex nihilo extrahitur, quàm in principio cum primum creata fuit. Quare Apost. Hebr. 1. conseruationem rerum ostendens, dicit *DEum portare omnia verbo virtutis suæ,* cùm sit omnium prima causa, non solùm in fieri, sed etiam in esse: proinde *omnis creaturæ* Greg. lib. 15. Moral. c. 18. *esse, ita dependet à DEo, vt nec ad momentum creatura subsistere possit, sed in nihil redigeretur, si non operatione diuinæ virtutis in esse conseruetur.* Sap. 11. *Quomodo aliquid permanere posset nisi tu voluisses aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?* August: lib. 4. de Gen. ad lit. c. 12. d. *Virtus DEI ab eis quæ creata sunt regendis si cessaret aliquando, simul & illorum cessaret species omnisq; natura concideret.* Et in lib. Colloq. c. 11. *Sicut Domine non eram, & de nihilo fecisti me, sic si me non regis, adhuc ad nihilum redigor in me.* Nam si DEus subtraxerit influxum suum, quo conseruat creaturam, necesse est continuo illam in nihilum redire, sicut ex nihilo creata est, Ierem 10. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Hîc aliquis sagacior audiens Catechistam de annihilatione dicentem, explorando, QUÆSIERIT. Quandoquidem DEus est causa rerum per bonitatem, ita quòd in quantum bonus, sumus, prout ponderat August. lib. 1. de doctr. Christiana, c. 32. nonne repugnaret bonitati eius aliquid in nihilum redigere? ℞. Non repugnaret, quia bonitas DEI est causa rerum, non ex necessitate, sed per liberam voluntatem, Vnde sicut potuit sine præiudicio bonitatis res non producere in esse, ita absq; detrimento eiusdem bonitatis, potest res in esse non conseruare & in nihilum redigere. *Quis enim prior dedit illi vt retribuatur ipsi? quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Rom. 11.

CATE-

CATECHESIS XIX.

DE PRÆDESTINATIONE.

QVia prædestinatio est pars prouidentiæ, nam prouidentia versatur circa omnes creaturas, prædestinatio circa solas rationales: & prouidentia est respectu omnium finium, tam naturalium quàm supernaturalium, prædestinatio autem respectu vnius tantum supernaturalis finis, scilicet vitæ æternæ. Cùm latius pateat prouidentia quàm prædestinatio, rectè prædestinatio pars prouidentiæ, non quidem subiectiua sed obiectiua nuncupatur. Quare cùm iam audisset Christianus nonnihil de prouidentia DEI, restat ex consequenti nunc de prædestinatione aliquid dicere in ista Catechesi, in qua tria Catechista explicabit.

I. Quam certa & immutabilis prædestinatio.
II. Quomodo aliqui in libro vitæ scribantur.
III. Quare aliqui reprobantur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, profundum & inexhaustum prædestinationis, pariterq; reprobationis arcanum, in lib. soliloq. cap. 28. dùm contemplatur S Augustinus, expauescere se & obstupescere fatetur, de *altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI*, Rom. 11.
quoniam ex eodem luto, *alia quidem vasa facit in honorem, alia in contumeliam sempiternam*. Tu quoq; hîc mentèm paulisper erigas ad contemplandum finem vltimùm, & cogita quàm certa est prædestinatio bonorum & reprobatio malorum, quæ nullo modo mutari potest, ita vt nec prædestinati damnentur, nec reprobi saluentur. Hæcq; certitudo pendet ex firmitate diuinæ præscientiæ, quæ falli non potest. Cùm enim DEUS sciat certo & infallibiliter, qui bene & qui male vsuri sunt
Rom. 9.

medijs ſibi præparatis & collatis ad ſalutem, ſicut etiam infallibiliter qui intraturi ſunt ad vitam, & qui in æternæ damnationis chaos delapſuri. Inde eſt illud Apoſtoli, *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri Imagini Filij ſui.* Et ipſe Dominus Ioan. 10. d. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Si non peribunt in æternum, certiſſime ſaluabuntur, qui prædeſtinati ſunt, vt ex hac definitione prædeſtinationis in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. ab Auguſt: data colligitur. *Prædeſtinatio* inquit *eſt præſcientia & præparatio beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicunq; liberantur.* Idipſum probat illud Apoſtoli 2.Tim. 2. *Firmum* inquit *fundamentum DEI ſtat, habens hoc ſignaculum, cognoſcit Dominus qui ſunt eius, vt diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini.* Duo ſunt iſta ſignacula, vnum, DEI præſcientia, alterum coöperatio liberi arbitrij, præſcit enim DEUS, qui libere & conſtanter fidem & gratiam retinebunt, & qui liberè ac neminè cogente gratiam repudiabunt. Quare qui prædeſtinatus eſt, poteſt damnari & non poteſt, poteſt quidem ex parte mediorum, quibus ſi male vtatur, pro ſua libertate poteſt damnari; at ex parte diuinæ præſcientiæ non poteſt damnari, certo enim & infallibiliter DEus ſcit illum bene vſurum. Porrò quantus ſit numerus prædeſtinatorum aut reproborum nobis incertum eſt, ſoli DEO

Pſal. 146. cognitum. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat.* Aliqui coniectant tot eſſe prædeſtinatos: quot Angeli de cœlo ceciderunt, vt eorum loca poſſideant; alij tot, quot ſteterunt; alij tot quot creati ſunt Angeli: Illud certum maiorem eſſe numerum reproborum quàm prædeſti-

Matth. 7. natorum, *arcta eſt enim via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam, Spatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.*

QUÆSIER. An quis poſſit certo ſcire ſe eſſe prædeſtinatum? ℞. Apoſtolus Rom. 11. *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ*

ſcientiæ DEI, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, nam de lege ordinaria nemo ſcire poteſt. *Vtrum amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Auguſt: in lib. de corrept. & gratia cap.13. *Quis*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu viuitur in hac vita mortali, in multitudine prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?* id tamen ſpecialiter aliquibus reuelatum fuit, Quare etiam Apoſtolus Rom. 8. d. *Certus ſum, quia neq; mors, neq; vita &c.* Hanc doctrinam definit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. d. *Niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.* Et Can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Quare in hoc negotio ſedulò monet Apoſtolus. 2. Petr. 1. *Magis*, inquit, *ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Eccl. 9.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, In libro vitæ ſcribuntur electi ad gloriam, in quo ſcripti erant diſcipuli Domini, quibus Luc. 10. dicebat. *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo.* Eſt enim liber vitæ conſcriptio ordinatorum ad vitam æternam, ait S. Thomas. aut clariùs, eſt notitia DEI, quâ firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinâſſe ad vitam æternam! tanquam ad finem vltimum. Et ſcito Chriſtiane duas eſſe paginas libri vitæ. Vna eſt præſentis iuſtitiæ, altera præcognitionis æternæ. Et de prima quidem pagina aliqui delentur, iuxta illud Pſal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*; illi ſcilicet qui deficiunt à gratia & præſenti iuſtitia, & qui ſunt ordinati ad habendam vitam æternam, non ex prædeſtinatione diuina, ſed ſolùm ex gratia, ex qua digni erant vita æterna, & habuiſſent ſi permanſiſſent. Iam verò ex pagina ſecunda nemo deletur. quia ibi ſcripti ſunt ſimpliciter ad habendam vitam æternam, ex prædeſtinatione diuina vt eam habituri in ſe ipſa. Cùm enim ſit duplex vita, vna gratiæ in præſenti, altera glo- 1. p. q. 24. a. 3.

ra gloriæ in futuro, ſcripti in libro vitæ gloriæ per æternam prædeſtinationem & præſcientiam, non poſſunt deleri, quia ſcientia DEI, qua cognoſcit ſe aliquos prædeſtinâſſe ad vitam gloriæ eſt certa & immutabilis: qui autem ſcripti ſunt in libro vitæ gratiæ ſæpe delentur per peccatum mortale. *Fuge*
Eccl. 21. ergo Chriſtiane *peccatum,* (quod tantum nocere poteſt) *quaſi à facie colubri.* Ergo non deleri, de libro vitæ inter præmia iuſtorum & electorum numeratur. Apoc. 3. *Qui vicerit ſic, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.*

QUÆSIER. Si nemo deletur de Pagina præcognitionis æternæ libri vitæ cur Moyſes ſine culpa Exod. 32. dicit: *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti?* ℞. Multæ ſunt expoſitiones huius verbi, congrua tamen eſt illa vt dicatur, id Moyſen dixiſſe ex magna confidentia, qui ſicut non timebat deleri de libro vitæ, ita etiam confidebat peccatum dimittendum illi populo.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, dùm inquiris cur aliqui reprobentur. ſcito peccata eorum præuiſa mereri reprobationem, à regno cœleſti excluſionem, & pœnis æternis deputationem. Id præclarè
Epiſt. 106. inſinuat Auguſt: ad Paulinum. *Quenquam* inquit *immeritum & nulli peccato obnoxium, ſi DEus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et lib. 3. contra Iulian. *Bonus eſt DEus, iuſtus eſt DEus, poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Id ſcripturæ teſtātur, Matth. 25. *Diſcedite maledicti in ignem æternum* Quare? *eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare.* Rom. 2. *Ira & indignatio in omnem animam hominis operantis malum.* Quare toto cœlo errant Caluiniſtæ, dùm aſſerunt ante præuiſa peccata deſtinari aliquos ad æternam damnationem, ex ſolo DEI beneplacito. Errant inquam, ſicut enim DEus neminem in tempore excludit à gloria & condemnat ad mortem niſi propter peccata, # ideo Magiſter

Ita ab æterno neminem efficaciter decreuit excludere à gloria et ad pœnas damnare nisi propter peccata

ster sent. lib. I. dist. 40. reprobationem in hunc modum definit, vt sit *præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem*; cùm sit præscientia iniquitatis, profectò non ex solo beneplacito DEI quis reprobatur. Et S. Thomas 1. p q. 23. art. 3. cùm dicit reprobationem includere voluntatem inferendi damnationis pœnam, non simpliciter & absolutè, sed pro culpa. Caue proinde omni conatu Christiane peccata, in quibus obduratur peccator, qui est effectus reprobationis: nam si peccando deseris DEUM, mereris vt vicissim à DEO deseraris & obdureris id quod de infidelibus Rom. I. ostendit Apostolus. d. *Sicut non probauerunt DEum habere in notitia, tradidit illos DEus in reprobum sensum,* Sed hîc.

QVÆSIER. Si ex præuisis peccatis reprobat DEus, & non ex solo beneplacito suo, quomodo illud saluabitur. *An non habet figulus luti potestatem, ex eadem massa aliud vas facere in honorem, & aliud in contumeliam?* ex quo loco ostenditur æque ex suo beneplacito alios ad gloriam, alios ad contumeliam prædestinare. ℟. Sicut liberum est figulo ex eadem informi massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam exhibere, ita liberum est DEO, ex eadem massa peccati alterum ex misericordia assumere, alterum ex iustitia reijcere, alteri condonare peccatum, alterum damnare propter peccatum.

CATECHESIS X.

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

QVia summa totius fidei & doctrinæ Christianæ est mysterium SS. Trinitatis, ideo plebs Christiana sedulò instruenda & imbuenda, vt credat vnum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in vnitate. Hanc fidem Catechumenus priusquam baptizetur confiteri postuletur. Credis in DEUM Patrem Omnipotentem? Credis in IESUM Christum Filium eius vnigenitum?

cum? Credis in Spiritum Sanctum ab vtroq; æternaliter procedentem? quod vbi integrè confessus fuerit, ad salutare baptismi lauacrum admittitur. In hac itaq; Catechesi trium Christianus percipiet explicationem à Catechista.

I. Quomodo Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt vnus DEVS?

II. Si vnitas essentiæ Patris & Filij, & Spiritus Sancti naturali ratione cognosci possit?

III. Si Trinitas vnitatis per similitudines aliquo modo inuestigari possit?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Trinitatem esse in Diuinis, cum Paganis & Iudæis negârunt hæretici. Tu verò crede in DEUM in vnitate Trinum, & firmiter ac fideliter persuasum habeto, impossibile esse, in diuinis non esse Trinitatem. Est enim DEUS vt Catholicè confitearis increata Trinitas, seu trium personarum indiuisæ naturæ vnitas: & si vis salvus esse, hoc corde crede, & ore confitere. Hæc enim fides Catholica, vt vnum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur, neq; confundentes, Personas (quod Sabellius) neq; substantiam separantes (quod Arius & Tritheitæ fecerunt) Crede itaq; firmissime Christiane & nullatenus dubites, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vnum esse DEUM, vnum vnitatè naturæ, quod audis à Filio, Ioan. 10. propalatum. *Ego & Pater vnum sumus*. Vtrumque audis (inquit August.) vnum, & sumus, & à charybdi & à scilla liberaberis; Quod audis vnum, liberat te ab Ario, quòd dicit sumus, liberat te à Sabellio. Nihil certius, nihil firmius, nihil veriùs, quâm quòd vnus sit tantúm DEus: id enim scripturæ clamant: *ex vnitate motus vnitatem

1. p. q. 31. a. 1. August. de cognitione veræ vitæ, cap. 10.

* [handwritten: Ex philosophia lumine naturali euidenter ostendunt.]

moto-

motoris indagantes. Porrò Patrem esse verum DEUM, Filium verum DEUM, Spiritum Sanctum verum DEUM abunde in scripturis proclamatum. Patrem quidem verum esse DEUM, nusquam in dubium fuit vocatum, Filium esse verum DEUM, innumeri scripturæ loci protestantur. Isai: 35. cùm de aduentu Christi sermo fieret, ita dictum. *DEus ipse veniet & saluabit nos.* Rom: 9. *Christus super omnia DEus benedictus.* Tit. 2. *Magnus DEus*, Luc. 1. Zacharias celebrat aduentum Christi, & dicit impletum esse in eo, quòd DEus promisit daturum se nobis, dedit autem Filium suum IESUM Christum. Ergo Filius DEI IESUS Christus est verus DEUS. Isai. 8. *Dominus exercituum erit in lapidem offensionis &c.* sed Luc. 2. *Christus in ruinam*, Rom. 9. *lapis offensionis.* Ergo est Dominus exercituum. Isai. 45. *DEo curuabitur omne genu.* Sed Christo in iudicio curuabitur omne genu. Ergo verus Deus. Ioan. 14. in Christum sicut in Patrem credendum. Ergo verus DEus. Spiritus Sanctus & hic verus DEus, nam verus DEus replet omnia, Ierem. 23. *Cœlum & terram ego impleo dicit Dominus.* Spiritus autem Sanctus Sap. 1. *repleuit orbem terrarum.* Et Psal. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo.* 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda DEI.* Act. 5. *Ananias non est mentitus hominibus sed DEo*, mentitus est autem Spiritui Sancto. Ergo Spiritus est DEus. Hæc & similia cùm dicantur in scripturis, quæ non possunt dici nisi de vero DEO, dicuntur autem de Filio & Spiritu Sancto. Ergo Filius & Spiritus Sanctus sunt cum Patre vnus verus DEus. Quare Christiane id semper credas & confitearis. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* August: lib. 9. de Trin. *Credamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vnum esse DEum, vniuersæ creaturæ conditorem & rectorem, nec Patrem esse Filium, nec Spiritum Sanctum vel Patrem esse vel Filium, sed Trinitatem relatarum ad inuicem personarum.* DEINDE. vbi vnum nomen, vna virtus & potentia, vna natura, vnus & DEus: Patris & Filij & Spiritus Sancti, vna virtus & poten-

tia regeneratiua Filiorum DEI in baptismo in vno nomine. Matth. 28.
Quis eat inficias vnum confitendum & adorandum DEUM? Fulgentius de fide ad Petrum. *Vna est*, inquit, *natura siue essentia Patris & Filij & Spiritus Sancti, sed non vna persona.* Athanasius in Symbolo confitetur. *Alia est Persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, sed Patris & Filij & Spiritus Sancti vna est diuinitas, æqualis gloria coæterna maiestas.* Et serm. 4. contra Arianos. *Non tria*, inquit, *principia aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ, cùm non tres soles ad comparationem adducimus, sed vnicum solem eiusq; splendorem, & ex vtroq; lucem procedentem.* Quòd si sciolus Sophistes contra Catechistam prodeat &

DICAT. Tres personæ non possunt esse vnus verus DEUS. Verus enim & vnus DEUS est Pater Domini nostri IESU Christi, 2. Cor. 1. Et 1. petr. 1. porrò tres personæ non sunt Pater Domini nostri IESU Christi. Quomodo igitur tu doces Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse vnum verum DEUM? ℞. In isto Sophismate est fallacia à Logicis dicta, à non distributo ad distributum. Cùm enim dicitur, Verus & vnus DEUS est Pater Domini nostri IESU Christi, Ly DEUS non distribuitur plenè, sed particulariter & distinctè ac determinatè pro vna persona supponit; dùm verò ex eo Sophistes conatur inferendo concludere Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non esse vnum DEUM, Ly DEUS vniuersaliter indistinctè & indeterminatè ponitur pro natura seu Deitate, quæ communis est tribus personis, Adhuc in gratiam Catechistæ.

DICES. Si tres personæ ita sunt vnus DEUS, vt sint vnius & eiusdem essentiæ, tres personæ sunt idem inter se, iuxta illam maximam. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, paternitas verò & filiatio sunt eadem res cum essentia. ℞. Hæc maxima non est vera vniuersaliter, nisi quando aliqua sunt eadem vni tertio adæquatè, sicut patet in Mathematicis, vbi si duæ lineæ sint æquales vni tertiæ, vniuersaliter sunt æquales inter se, quia ibi est summa adæquatio. At verò si dicas homo

&

& equus sunt idem re animali: Ergo & inter se? non valet, consecutio, quia homo & animal non sunt idem re adæquatè. Ita etiam paternitas & essentia non sunt idem adæquatè, quia essentia ad plura se extendit.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, hoc sublime mysterium DEI in Vnitate Trini, est supra naturam, ita sola natura duce, seu solo lumine naturali in eius cognitionem deuenire non possumus. Ratio, quia omnis naturalis cognitio, qua DEUM in hac vita cognoscimus, oritur ex cognitione creaturarum, & effectuum diuinorum. DEUM enim cognoscimus ex operibus eius, ait quidam, creaturæ autem non manant à DEO quatenus Trinus, sed quatenus Vnus, quandoquidem à potentia DEI emanant quæ est attributum essentiale. Vnde si quis vellet hoc mysterium naturali ratione demonstrare, in multa incideret absurda. Derogaret fidei quoad eius dignitatem, cùm enim mysteria fidei sint non apparentia, & supra humanam rationem, non est dignum ea rationi subijcere. Tùm etiam meritum fidei minueretur, nam *fides non habet ibi meritum, vbi ratio humana quærit experimentum*, ait Gregor. Deinde derogaret diuinæ reuelationi; quâ hoc mysterium habemus reuelatum, cùn non esset ratione naturali inuestigabile, Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matth. 16. *Beatus Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* q. d. quod ex te & natura duce cognoscere non poteras, cognouisti ex reuelatione Patris. Ioan. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*, id est, nemo fide diuina potest credere in Filium DEI nisi per reuelationem Patris. Profectò mysterium istud vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse nobis enarrauit. Hinc August. Tract. 106. in Ioan. ponderans illud Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*, ita dicit. *Non id nomen quo vocaris DEus, sed quo vocaris Pater meus.* *Ioan. 1.*

Et vl-

Et vltra. *In hoc quòd DEus fecit hunc mundum, notus in omnibus Gentibus, in hoc quòd non est cum falsis dijs colendus, notus in Iudæa DEus; in hoc verò quòd est Pater huius Christi per quem tollit peccata mundi, hoc nomen prius occultum, nunc manifestauit eis.* Pulchrè idem August. in lib. Soliloq. cap. 31. ponderans illud Psal. 113. *Cœlum cœli Domino*, exclamat. *Soli tibi Trinitas integrè nota es; Trinitas Sancta, Trinitas supermirabilis, superinenarrabilis, superinscrutabilis &c.* quam neq; dicere, neq; cogitare, neq; intelligere, neq; cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum, quam neq; Cherubim, neq; Seraphim perfectè cognoscunt. Hoc enim certum, Angelis in ipsa creatione mysterium istud fuisse reuelatum, quod & viatores crediderunt.

DIXERIS. Gentiles Philosophi lumine naturali mysterium istud cognouerunt; nam Mercurius Trismegistus in Pymandro dixit, *Monas genuit monadem & in se suum reflexit ardorem.* id est, Vnus DEus Pater, genuit vnicum Filium, & ex mutuo illorum amore procedit Spiritus Sanctus. ℞. Non de Filij DEI generatione aut Spiritus Sancti processione illud dixit Trismegistus, sed de mundi creatione, vnus enim DEus vnum mundum produxit propter sui amorem. *Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Quòd si quis contentiosè voluerit de mysterio Trinitatis locutum esse Trismegistum, ex aliqua sibi facta reuelatione locutus, quæ & Sybillis facta fuit, non ergo naturali lumine.

Prou: 16.

DICES adhuc. Quia generatio Filij DEI ad omnipotentiam Patris pertinet: quam quia naturali lumine cognoscimus, etiam ipsam generationem naturali lumine cognoscimus. ℞. Omnipotentiam DEI naturali lumine cognoscimus, generationem tamen Filij DEI non cognoscimus naturali lumine, non enim ad omnipotentiam pertinet. Nam ad omnipotentiam DEI solùm pertinet, quòd omnem effectum possibilem extra se DEus producere potest, proinde Hilar. lib. 1. de Trin. *Non putet homo sua intelligentia generationis Sacramentum posse consequi.*

Et Ambros. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. *Impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet*, nam Isai. 53. dictum. *Generationem eius quis enarrabit?* Cognouerunt ergo Philosophi potentiam DEI ad extra productiuam creaturarum, non tamen cognouerunt potentiam ad intra generatiuam Filij, aut spiratiuam Spiritus Sancti.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Supposito lumine fidei, per similitudines creaturarum, poteris sumere congruentias ad explicandum mysterium SS. Trinitatis, quanquam insufficienter: & quidem cùm non sit contrarium naturali rationi in tribus hypostasibus esse vnam naturam, quæ congruentia ita declarari potest. Inuenitur quippe in vna natura vna hypostasis, vt in vno Angelo, & plures in pluribus Angelis: plures naturæ in vna hypostasi, vt in homine corpus & Spiritus. Ergo credibile est, esse quoq; vnam naturam in pluribus hypostasibus, vt in Patre & Filio & Spiritu Sancto. Insufficienter hoc inquam, dicit enim August. *per creaturarum contemplationem sufficiens notitia Trinitatis non potest haberi, aliquantula tamen haberi potest.* Et *oportet* inquit, *vt Creatorem per ea quæ facta sunt intellectu conspicientes Trinitatem intelligamus.* Equidem vnaquaq; res creata, & vnitatem in se ostendit, & speciem & ordinem, quæ tribus personis appropriari possunt. Nam in DEO, Trinitate est vna summa origo omnium rerum, & perfectissima pulchritudo, & beatissima dilectio. *Vnam summam originem Christiane intellige DEVM Patrem*, dicit August: in lib. de vera religione. *à quo sunt omnia, à quo Filius & Spiritus Sanctus, perfectam pulchritudinem intellige Filium, qui est splendor gloriæ & figura substantiæ, & imago DEI inuisibilis; per beatissimam dilectionem, intellige Spiritum Sanctum, qui est amor Patris & Filij.* Iterum lib. 14. de Trin. in anima humana ostendit imaginem SS. Trinitatis. *nam licet*, inquit, *mens humana non sit eius naturæ cuius est DEus, imago ta-*

Lib. 6. de Trin.

Hebr. 1.

Coloss. 1.

go tamen illius, quo nihil melius est ibi quærenda & inuenienda est: nam ſicut vna eſt eſſentia animæ, tres tamen potentias habet memoriam, intellectum & voluntatem; & ſicut anima humana ſeu mens cum ſeipſam intelligit actualiter, ex memoria producit intellectum, & ex memoria & intellectu voluntatem; ita ſumpta licet imperfecta ſimilitudine, vna eſt diuina eſſentia & tres perſonæ realiter diſtinctæ. Pater intelligendo ſe, format Verbum, & ſic per modum intellectus producit ſeu generat Filium; Pater autem cum Filio diligentes ſe mutuò, per modum voluntatis ſimul ſpirant Spiritum Sanctum. Et ſicut quælibet potentiarum animæ noſtræ capit omnes tres, & omnes tres capiunt quamlibet ipſarum; ita diuinæ perſonæ ſunt inter ſe æquales, & nec vna minùs quàm omnes tres, nec omnes tres magis quàm vna. *Tota diuina eſſentia in tribus, & tota in ſingulis, totus Pater in Filio & Spiritu Sancto, totus Filius in Patre & Spiritu Sancto, totus Spiritus Sanctus in Patre & Filio, nullus horum extra quemlibet ipſorum,* ait Fulgentius. Conſidera Chriſtiane, quamuis trinitas creata in anima ſit Imago Trinitatis increatæ, magna tamen cum diſſimilitudine. Primò quidem quia Trinitas increata, quæ eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, iſtæ tres perſonæ ſunt vnus DEus eſſentialiter, & è conuerſo, vnus DEus ſunt tres perſonæ: anima tamen humana non ſunt iſtæ tres potentiæ, ſicut DEus Trinitas eſt tres perſonæ, ſed anima dicitur habere iſtas vires ſeu potentias. Deinde Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt perſonæ ſubſiſtentes, memoria autem & intellectus & voluntas non ſunt perſonæ ſubſiſtentes; ſed potentiæ connaturales vnius perſonæ. Sed hic ſolers Chriſtianus.

QUÆSIERIT. Si ante fidem reuelatam aliqua rerum Symbola potuerunt hominem inducere in cognitionem Trinitatis increatæ? Ratio quæſiti, quia Philoſophi per numerum ternarium magnificabant in Sacrificijs DEUM vnum, eminentem proprietatibus eorum quæ ſunt creata, vt habet Ariſtoteles

les lib. 1. de cœlo & mundo, videntur ergo ex numero ternario Symbolicè deueniſſe in cognitionem Trinitatis increatæ. Tex. 2.
℞. Nulla Symbola rerum, ante fidem in cognitionem Trinitatis increatæ inducere hominem potuerunt. Philoſophi autem magnificabant DEUM per numerum ternarium, non quòd in diuinis cogitauerunt numerum ternarium, ſed id faciebant tantùm propter perfectionem quandam numeri ternarij, continentis principium, medium, & finem.

CATECHESIS XI.

DE PERSONA DEI PATRIS.

MEthodicè docendus eſt Chriſtianus, qui cùm didiciſſet debere ſe explicitè credere tres in vna Deitate perſonas, ita quòd alia ſit perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, quarum vna eſt indiuiſa Deitas, vna natura & eſſentia: de ſingulis quid ſpecialiter ſibi ſit credendum, iuxta ordinem Symboli Apoſtolorum explicabitur. Ac primò de prima Patris perſona, de qua Catechiſta tria Chriſtiano explicabit.

I. Quare prima perſona, Patris nomine appellatur?

II. Quare illi omnipotentia appropriatur?

III. Quare illi creatio rerum attribuitur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, cùm de Patre, id eſt prima Deitatis Perſona doceris, ſcito nomen Patris duobus modis vſurpari, eſſentialiter & notionaliter ſeu perſonaliter; de hoc ita Catechiſmus Parochorum dicit. *Quoniam Patris vox, non vna ratione DEO tribuitur, illud prius declarandum erit, quæ ſit magis propria huius loci ſignificatio.* Et quia eſſentialiter ſumptum nomen Patris conuenit tribus perſonis & vni eſſentiæ, idq;

respectu creaturarum Metaphoricè aliquot modis, qui DEO concedente & donante in explicatione orationis Dominicæ in principio explicabuntur. Nunc quomodo nomen Patris tantum primæ personæ propriè respectu Filij notionaliter conueniat. Pater enim est qui genuit Filium, non de nihilo, sed de sua substantia. Scire tamen oportet Christiane, non ita de substantia Patris genitum esse Filium DEI, sicut homo generat filium cui partem suæ substantiæ communicat. DEus autem Pater totam suam substantiam quæ omnino est indiuisibilis communicat Filio per æternam generationem. Prima itaq; Deitatis persona dicitur hîc Pater, personaliter accepto nomine Patris, nec potest alijs conuenire personis: *nam* Athanas. *vnus est Pater, non tres Patres, & vnus Filius non tres Filij, vnus etiam Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti*; propter notiones & proprietates personales, *Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens*: nec actus notionales ibi ad plures personas terminari possunt. Dicitur ergo Pater æterna generatione, Mich. 5. quia Filium in æternitate genuit, *cuius egressio à principio, à diebus æternitatis eius*. Cùm enim DEus sit potentissimus, sapientissimus, optimus, potest, scit & vult se summè communicare; hoc autem est maiestatis suæ plenitudinem alij dare. Ergo Pater DEus ab æterno æqualem sibi per omnia Filium genuit, cui diuinitatis suæ essentiam communicauit. Et hæc ratio Ioan. 17. cur prima in Deitate persona Patris nomine vocatur, qui modus vocandi Patrem ante fuit abstrusus, nouissimis verò diebus per vnigenitum eius manifestatus.

QUÆSIER. Cur DEUM Patrem vocas primam in Deitate personam, cùm ibi non detur primum sicut nec postremum. Athanas. *In hac enim Trinitate nihil prius aut posterius*. ℞. DEUM Patrem dicimus primam in Deitate personam, ordine enumerationis, Opusc. 1. c. 9. qui respondet ordini originis, ait S. Thomas, est enim Pater principium sine principio, principium inquam Filij & Spiritus Sancti. Hinc Concil. Tolet. 6. cap. 1. *Credimus Patrem ingeni-*

genitum, fontem & originem totius diuinitatis, scilicet quia est principium Filij & Spiritus Sancti, in quibus singulis est tota diuinitas.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Equidem toti SS. Trinitati communis est Omnipotentia: nam *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.* ait Athanasius. Quemadmodum enim DEum Patrem, DEum Filium, DEum Spiritum Sanctum, neq; tamen Tres DEos sed vnum DEum dicimus, ait Catech. Paroch. ita æque Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum Omnipotentem confitemur. Et hæc omnipotentia DEI, opportunè, nobis in principio Symboli manifestatur, cuius mira opera credenda proponuntur. Nè verò curiose disquiramus, quomodo aliquid eorum fieri potuit, tota ratio nobis est, quia DEus Omnipotens est, *cui nihil difficile, nihil factu impossibile.* Manifestat autem nobis suam Omnipotentiam multis modis. Tùm creando res ex nihilo, tùm conseruando, cùm puniendo peccatores. 2. Petr. 2. *DEVS angelis peccantibus non pepercit,* ne fortè nec tibi parcat. tùm conuertendo ad se quoscunque voluerit, etiam maximè rebelles. Act. 9. Saulum. tùm peccata pro sua voluntate dimittendo, tùm vilissimos homines ad æternam gloriam perducendo, vt latronem. *Luc. 23.* Deniq; credimus & confitemur Omnipotentiam DEI, quâ potest plus quàm facit, aut cogitatio nostra comprehendit: potest etiam alium mundum creare, *potest de lapidibus filios Abrahæ suscitare.* *Luc. 3.* potest facere *vt camelus per foramen acûs transeat,* *Matth. 19.* quod nos contra Caluinistas de absoluta DEI potentia confitemur. Quare Christiane cum es in magnis periculis, de quibus ope humana euadere non possis, spera in Omnipotente DEO, *Psal. 21.* & ipse liberabit te, sicut sperauerunt Sancti & liberati sunt. *Quoniam in me sperauit liberabo eum.* *Psal. 90.* Sed hæc de potentia quatenus communis est tribus personis. Appropriatur autem DEO Patri, quia omnis originis fons est, ait Catech. Paroch.

 id est

id est ipsi adest omnis potentia etiam ad intra, potentia videlicet generatiua Filij & spiratiua Spiritus Sancti, ab ipsoque communicata est Omnipotentia Filio & Spiritui Sancto, quia communicata essentia.

OBSERUAT Magister Sent. lib. 1. dist. 34. congruentiam, cur DEO Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas tribuatur, cùm hæc tria attributa omnibus sint communia. Et Patri quidem tribuitur potentia, *ne*, inquit, *ratione antiquitatis (vt contingit in hominibus) impotens credatur Filio sapientia, ne ratione iuuentutis insipiens existimetur. Spiritui Sancto bonitas, ne ratione impetuositatis crudelis censeatur.*

DIXERIS. Quomodo asseris Omnipotentiam DEI, cùm DEus non possit facere quòd præterita non fuerint, nec ea quæ non facit, quia non præsciuit nec præordinauit ea se facturum? ℞. ad hæc, & primò ad primum, non potest DEus facere quòd præterita non fuerint, sed hoc non arguit impotentiam in DEO, verùm impossibilitatem rei; implicat enim contradictionem: potest DEus facere omnia quantum ad perfectionem suæ potentiæ, sed quia aliqua deficiunt à ratione possibilium, ideo non subduntur eius omnipotentiæ. & hoc modo impossibile est præterita non fuisse: *impossibile etiam quòd virgo post ruinam non fuerit corrupta*, vt Hieron. dicit ad Eustochium. ℞. ad secundum, illud enim dicitur de potentia ordinaria, nihil tamen prohibet esse aliquid in potentia DEI absoluta, quod non vult, & quod non continetur sub ordine quem rebus statuit, & quod tribuitur potentiæ secundum se consideratæ, potest DEus secundum potentiam absolutam: & huiusmodi est omne illud, in quo potest saluari ratio entis. Nam quia non exhibuit DEus Pater Christo duodecim legiones Angelorum ad defensionem contra hostes, ergo non potuit exhibere? quis tàm insanus vt hæc dicat? cùm & Christus id à Patre potuerit impetrare, quod Euangelium disertè ostendit.

QVAN-

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Verus DEus tuus illustri ea nota à falsis paganorum dijs discernitur, quia possit creare, quòd illi non possunt, qui non dij, sed vel dæmones immundi, vel homines mortui, vel muta elementa, vel animalia, vel aliquid eorum quæ non viuunt, fuerunt, quorum impotentia & imperfectio Isai. 41. in derisu. *Annuntiate* inquit *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos, &c.* DEus autem tuus Christiane est res tàm viua, tamq; efficax vt prorsus omnia creârit. Cur verò creârit si quæras, non est alia causa, nisi vt rebus quæ ab ipso effectæ essent bonitatem impertiretur, nempè *bonum est sui diffusiuum*, ait Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. Boëtius quoq; lib. 3. de Consol. Philos. metro 9. *Quem non externæ pepulerunt fingere causæ, Materiæ fluitantis opus sed insita summi Forma boni; &c.* Et plato in Timæo. *Bonitas DEI est causa factionis mundi, & originis omnium rerum.* DEus autem sicut natura sua beatissimus est, nullius rei indigens, ita sua bonitate adductus, *omnia quæcunq; voluit fecit*, non per exemplar aut formam externam, sed quia in sua mente & intelligentia continentur exemplaria omnium rerum; ea exemplaria intuens in seipso summus iste artifex, summa sapientia & infinita virtute, quæ ipsius propria est, rerum vniuersitatem initio procreauit. Quod vlterius prosequitur Boëtius. Tu inquit *cuncta sereno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse, mundum mente gerens similiq; ab imagine formans.* Mundus in mente diuina præexistens archetypus dicitur, quasi principalis similitudo. DEus enim cùm sit agens per intellectum producens mundum, ipse præhabuit in mente sua exemplar mundi & omnium partium eius, ad cuius imitationem produxit mundum extra. Quare hîc cùm Apostolis in Symbolo credimus, & confitemur. *DEum Creatorem cœli & terræ:* cum Patribus Nicænis, *Factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Triplex est autem

Psal. 15.
Act. 17.
Psal. 113.

tem creaturam, corporalis tantùm seu visibilis, vt elementa: Spiritualis tantùm seu inuisibilis, vt Angeli & anima humana, composita ex his, vt homo. Dum ergo confitemur DEUM Creatorem cœli & terræ, nomine cœli & terræ (quæ extrema sunt huius mundi corporalis & visibilis) omnia omnino creata, quæ cœlo & terra continentur & conspiciuntur, expressa intelligimus. In cœlo produxit DEus solem, lunam & stellas. In terra quam iussit DEus in media parte mundi consistere, produxit herbas, arbores, virgulta, animalia, denique hominem. Et quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indiuivel vt Dionys. dicit *Communia sunt totius Diuinitatis*, quidquid creat Pater, creat Filius, creat Spiritus Sanctus, quia hi tres sunt vnus DEus, vnius essentiæ, potentiæ, voluntatis, intellectus & sapientiæ. Ioan. 5. *Quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Appropriatur tamen Patri id, quod commune est omnibus tribus personis. Ratio huius est, quia in eo quasi in Æthio residet potestas creandi; quam cum essentia communicat alijs personis: atq; iuxta hunc sensum Filius in Euangelio ad Patrem tanquam ad æthium omnia sua refert.

QUÆSIER. Num dissonant Symbola, cùm Apostoli DEUM vocant Creatorem, Nicæni autem Patres Factorem confitentur, cùm creare sit ex nihilo aliquid producere, facere autem est ex præiacenti materia aliquid statuere? ℞. Nulla est in hoc dissonantia, quando interdum vnum pro alio promiscuè ponitur, creare pro facere, & facere pro creare. Ita enim etiam in scriptura creare pro generare ponitur. Cùm Eccl. 24. Sapientia DEI de se pronuntiat. *Ab initio & ante secula creata sum*, cùm tamen genita sit non creata. Et è contra Deut 32. generare pro creare vsurpatur. *DEum qui te genuit dereliquisti*, & crebriùs sunt multæ metaphoræ. Iacob. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, Ita in præsenti creare pro facere, & facere pro creare ponitur, vt in vtroq; significantia productionis exprimatur, contra errores eorum primò, qui dicebant mundum

Gloss. Bedæ.

dum non incepisse sed ab æterno extitisse, propterea dicitur DEus factor cœli & terræ; si enim facta sunt, profectò non semper fuerunt, sed esse inceperunt. *Dixit & facta sunt.* Deinde est contra errorem Minichæorum dicentium omnia visibilia creata esse à diabolo, sola inuisibilia à DEO, vt refert Bernardus Lutzemb. in Catalogo hæret. lib. 2. lit. M. & ideo contra hunc errorem confitemur DEUM esse opificem tàm visibilium quàm inuisibilium. Tandem contra errorem dicentium mundum esse factum ex præiacenti materia, dicimus DEUM Creatorem cœli & terræ, vt ostendatur mundus ex nihilo factus. *Psal. 148.*

COROLLARIVM ARTICVLI I.

PRimus iste fidei articulus, quam nobis in isto Symbolo tradiderunt viua voce Apostoli, docet te Christiane credere vnum verum DEUM: vnum, inquam, in essentia & natura diuina, Trinum in personis, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, docet te credere non tres sed vnum creatorem cæli & terræ, qui omnia visibilia & inuisibilia propter se & suam bonitatem, solus sine alicuius adminiculo ex nihilo produxit, regit, & gubernat: omnibus creatis prouidet, atq; omnia conseruat, rationales mentes ad vltimum æternæ beatitudinis finem destinat & gubernat ordinatq;. Quare Christiane vt fructum spiritualem ex doctrina huius articuli reportes, istum tuum Creatorem, Gubernatorem & Prouisorem super omnia ama, ipsi seruito. Nam si quæras (inquit Magister sent.) ad quid creata sit rationalis creatura? respondetur ad laudandum DEUM, ad seruiendum ei, ad fruendum eo, in quibus proficit ipsa, non DEUS. DEUS enim perfectus & summa bonitate plenus, nec augeri potest nec minui. Quòd ergo rationalis creatura facta est à DEO, referendum est ad Creatoris bonitatem & ad creaturæ vtilitatem. *lib. 2. dist. 1.*

ARTICVLVS II.

Et in IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum, Dominum nostrum.

CUm credis Christiane in DEum Patrem, oportet credas in IEsum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum: hæc enim ratio fidei & confessionis Ioan. 14. à te exigitur. *Creditis in DEum* (ipse Dominus dicit) *& in me credite*. Oportet credas & confitearis DEI Filium, DEum esse verum, Patri consubstantialem. Nam sicut Pater est increatus, immensus, æternus, Omnipotens, DEus verus; ita vnicus eius Filius est increatus, immensus, æternus, Omnipotens, DEus verus de DEO verò, genitus non factus, consubstantialis Patri per quem omnia facta sunt. Et sicut credis, DEum esse Patrem, consequens est, vt credas Filium habere. Petrus id testimonio Patris declarat. *Non doctas*, inquit, *fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri IESV Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim à DEO Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est Filius meus dilectus*. Tanta necessitas est fidei in Dominum nostrum IEsum Christum, vt nemo credat in Patrem, nisi credat in Filium. 1. Ioan. 2. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium & Patrem habet*. Et cap. 4. *Quisquis confessus fuerit, quoniam IESVS est Filius DEI, DEus in eo manet, & ipse in DEo*. Quod vt firmius mentibus nostris imprimamus, ipse Christus vocat DEum Patrem suum, seq; Filium DEI nominat. Eaq; de causa Apostoli inter articulos fidei posuerunt, quod Christus est Filius DEI, dicentes, *Et in IESVM Christum Filium eius vnicum*. Et postea Patres Nicæni, *Et in vnum Dominum nostrum IESVM Christum, Filium DEI vnigenitum, & ex Patre natum ante*

2. Petr. 1.

Matt. 17.

omnia

omnia secula, DEum de DEo, lumen de lumine, DEum verum de DEo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Non siluit & Athanasius. *Filius,* inquit, *à solo Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Proinde Christiane vt completam doctrinam huius secundi articuli accipias, hæreses tibi primò contra ipsum profligandæ, postea quid in eo iuxta doctrinam Ecclesiæ continentur, aperiendum. Sit itaq;

CATECHESIS I.

DE HÆRESIBVS

Contra istum Articulum.

INfesti humano generi, ipsiq; DEI Filio, malitiam Draconis Apoc. 12. describit Ioannes dicens. *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cùm peperisset Filium eius deuoraret.* Quid draco iste Hæreticorum progenitor nisi Diuinitatem Filij DEI demoliri satagit? tot hæreses excitando, quæ fidem de vera Diuinitate Filij DEI abolere contendunt; verùm cassi eorum omnes conatus, nam qui regit gentes in virga ferrea, ad Thronum DEI Patris raptus, potestatem omnem in cœlo & in terra obtinuit. Quare in ista Catechesi tres hæreses confodientur.

I. Quæ fuerit hæresis Photini?

II. Quæ vero Sabellij?

III. Quid postremò Arius opinabatur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, ante omnia oportet te circumspectum esse, & vitare atheismos hæreticorum contra veram & Catholicam fidem, vt in ipsa stabilis & immobilis permaneas. Præcauet enim Apostolus. *Filioli nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Et iterum, 1. *Ioan.* 2.

 Omnis

Omnis Spiritus qui soluit IEsum ex DEo non est, & hic est Antichristus.
Cap: 4. En habes Photinum hæreticum, circa annum 374. vt dicit Bernard. Lutzemb. lib. 2. lit. F. qui dicebat Christum non aliter esse Filium DEI, quàm sunt viri boni, qui benè viuendo meruerunt dici Filij DEI per adoptionem, facientes DEI voluntatem: ita de hoc eius errore narrat S. Thom. in expositione Symboli Apostol. *Vide quàm turpiter errauit non agnoscens*
1. Ioan. 2. *Christum, DEI Filium esse secundum naturam. Et qui Filium negat, neq; Patrem habet.* De hoc argumento ipse Christus cum Iudæis loquitur, à minore ad maius vt dicunt Logici. *Nonne*, inquit,
Ioan. 10. Psal. 81. *scriptum est in lege vestra, ego dixi dij estis? si illos dixit deos ad quos sermo DEI factus est, & non potest solui scriptura, quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius DEI sum.* Talis ac tantus *Filius qui est in sinu Patris.* Idem hæ-
Ioan. 1. reticis dixit, Christum non fuisse antequam natus esset ex Maria Virgine. Tu Christiane crede secundum diuinitatem fu-
Prou. 8. isse ante omnia secula. *Nondum erant abyssi*, id Patres Nicæni confitentur. *Ex Patre natum ante omnia secula. Æternus Pater,*
Athanas. *æternus filius, Antequam Abraham fuerat ego sum.* Et quoniam insa-
Ioan. 8. nus iste hæreticus, Dominum nostrum JESUM Christum ex adoptione tantum Filium DEI esse dogmatizabat, pro ampliori instructione Christianus ex Catechista.

QUÆRIT. Si Christus non adoptivus, cur Apostolus Rom. 6. *vocat ipsum primogenitum ex multis fratribus*, nam primogenitus eiusdem conditionis est cum ceteris? R. Vocat Apostolus Christum primogenitum in multis fratribus, non quòd vel secundum humanam naturam sit adoptiuus, (neq; enim natura sed persona adoptari dicitur) sed quia ipse solus naturalis, multos sibi similes habet secundum analogiam, qui sunt Filij adoptiui. Primogenitus ergo dicitur respectu adoptiuorum, ipse solus existens naturalis. Quomodo etiam inter homines naturalis Filius cui sunt adoptiui fratres, primus siue primogenitus inter eos dicitur. Est ergo Christus primogenitus in mul-

multis fratribus id eſt fidelibus, Sanctis & electis DEI. Primò quia ipſe eſt naturalis, cùm ceteri ſint tantum adoptiui: deinde quia ipſe ante omnes fuit prædeſtinatus ad hanc filiationem & vnionem cum verbo. Tandem quia ipſe finis, ſcopus, & exemplar omnium electorum & prædeſtinatorum.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, declina aliam hæreſim & atheiſmum Sabellij circa annum 260. qui confundebat diuinas perſonas, ita vt diceret non eſſe tres perſonas in vna DEitate realiter diſtinctas, nec Filium DEI eſſe alium à Patre, ſed qui eſt Pater idem & Filius; Patrem natum eſſe dicebat, paſſum in humana carne. Et quòd illa ſingularis perſona diuina, nunc appellatur Pater propter creationem rerum & mundi gubernationem, Filius quia aſſumpſit carnem ex Virgine propter humani generis redemptionem, Spiritus Sanctus, ſecundum quòd creaturam rationalem ſanctificat & ad vitam mouet. Te verò Chriſtiane docet Eccleſia Catholica credere ita eſſe vnum DEUM Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vt tamen in vna Deitate ſint realiter diſtinctæ perſonæ: nam alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, ſed Patris & Filij vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas, vt Athanaſ. & Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. I. dicit. Vna eſt eſſentia Patris & Filij & Spiritus Sancti; in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quamvis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Ioan. I. *Verbum erat apud DEVM*, Filius ſcilicet DEI (qui iuxta vſitatum loquendi modum in ſcripturis, Verbum dicitur) erat apud DEUM Patrem; conſtat profectò aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filij, vt quæ fuerit apud Patrem, cùm nemo apud ſe eſſe dicatur, ſed apud alium. Ioan: 8. de ſe Chriſtus dicit. *Ego ex DEo proceſſi*, & quia Ly Ego, in natura rationali perſonam denotat, apparet aliam eſſe perſonam procedentem, & aliam

à qua procedit. Et adhuc. *Solus*, inquit, *non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater*; profectò nemo mittitur à ſeipſo ſed ab alio, ſi Filius mittitur à Patre, alia eſt perſona à Patre; in quantum etiam mittens deſignatur vt principium perſonæ quæ mittitur. ait S. Thom. & nihil ſuimetipſius principium eſſe poteſt,

1. p. q. 43. a. 8. c.

Sed docentem Eccleſiam attentius audi Chriſtiane, quæ myſterium, iſtud in præfatione pro Feſto Ss. Trinit. completè proſequitur, vt eius verba referamus. *Qui* (inquit) *cum vnigenito Filio ſuo & Spiritu Sancto, vnus eſt DEus, vnus eſt Dominus. Non in vnius ſingularitate perſonæ, ſed in vnius Trinitate ſubſtantiæ. Et vltra. Vt in cõfeſſione veræ, ſempiternæq; Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas.* Hic Chriſtianus.

INQUIRIT. Quomodo Filius alius eſt à Patre, cùm alietas diuerſitatis ſubſtantiæ relationem contineat. ℞. Eò Filius alius eſt à Patre, quia Pater à nullo eſt, Filius autem à Patre per generationem æternam: nam Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus, Filius à ſolo Patre non factus, nec creatus, ſed genitus. Hinc Nicæni dicunt *DEVM de DEO, lumen de lumine, DEum verum de DEo vero.* Alius ergo, cùm ſit ſicut quoddam particulare nomen tenet ſe ex parte ſuppoſiti, ad cuius rationem ſufficit diſtinctio perſonæ. Quare Filius dicitur alius à Patre, ſed non diuerſus.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, poſt atheiſmum Sabellij confundentis diuinas perſonas, conſidera venenoſiſſimam Arij perfidiam, qui licet diceret aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filij, tria tamen peſtilentiſſima dogmata de Chriſto divulgauit, vt S. Thom. dicit. in expoſit. Symboli. Vnum quòd Filius DEI fuerit creatura: alterum quòd non fuit ab æterno ſed ex tempore nobiliſſima creaturarum à DEO facta: tertium quòd non fuit eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, ac proinde non verus DEus. Quare Chriſtiane ſicut credis & confiteris tres perſonas reali-

Circa annum 328. *Lutzẽb.*

ter

ter distinctas in DEO contra Sabellium, ita nunc crede & confitere eos esse vnius naturæ & essentiæ. Christum DEI Filium non creaturam sed Creatorem vnum esse cum Patre. *Per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Crede coæternum Patri, ita quòd nunquam fuerit DEus Pater sine vnigenito Filio suo, quem ex substantia sua ab æterno genuit. Non de alia natura factus Patri comparabilis, sed de eius essentia natus ipsi æqualis, ait S. Leo. Crede consubstantialem Patri cùm audis dicentem, *Ego & Pater vnum sumus.* Vnum non in persona, sed in natura Deitatis. Sed hic Christianus pro ampliori instructione à Catechista indagando.

Ioan. 1.

In Homil. de Transf.

QUÆRET. Quomodo Filius genitus à Patre? horret edicere Isaias. cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* nam DEI generatio in infinitum discrepat ab aliarum rerum generatione. Generatur DEI Filius à Patre non carnaliter sed mentaliter, per intellectum tanquam per principium proximum. Quo. Sicut enim cùm homo cogitat, ex anima eius oritur conceptio intellectus sicut ex Patre, & vocatur verbum intellectus; sic & Filius DEI nihil est aliud quàm Verbum DEI, non exterius prolatum, sed interiùs conceptum, & ideo Verbum DEI est substantia eiusdem naturæ cum Patre, & generanti æquale. Hîc considera Christiane pro consolatione tua mirificum & vberrimum fructum ex fide & confessione huius articuli. 1. Ioan. 4. *Quisquis confessus fuerit quoniam IESVS est Filius DEI, DEus in eo manet, & ipse in DEO.* Petrus quoq; vbi confessus est. *Tu es Christus Filius DEI viui,* beatitudine donatus, *Beatus es Simon Bar Iona.* Considera quoq; quàm seuerè puniti sunt, iniurij in Filium DEI. Iudæi qui nolebant super se regnare: negarunt ante faciem Pilati, dispersi sunt inter gentes, Iudas sacrilegus venditor, suspendio seipsum necauit, Arius similem pœnam tulit, de quo Magister Sent: *Arij,* inquit, *hæc fuisse perfidia legitur, vt Christum creaturam fateretur, ideo effusa sunt Arij viscera, atq; crepuit medius, prostratus in faciem, ea*

S.Thom. in exposit. Symb.

Matth. 16.

Luc. 19.
Ioan. 19.
Leuit. 26.
Matth. 27.
Act. 1.

qui-

quibus Christum negauerat, fœda ora pollutus. Sed hîc adhuc pergit Christianus, & ex Catechista discere cupiens.

QUÆRIT. Huius seculi sectarij Lutherani & Caluinistæ creduntne in Filium DEI Dominum nostrum IESUM Christum? ℞. persuasione humana aliquid dicunt, nihil autem credunt fide diuina quam non habent. Et Lutherus quidem sicut & Arius negat Filium DEI esse eiusdem cum Patre essentiæ, in libro contra Latomum dicit. *Anima mea odit vocabulum Homousion*, vt refert Vasquez. disput. 109. cap. 1. in 1. partem. Quapropter & isti cum ceteris *iam iudicati sunt, quia non credunt in nomine vnigeniti Filij DEI.* Ioan. 3.

CATECHESIS II.

DE CREDENDIS IN SECVNDO SYMBOLI ARTICVLO.

PRopositis iam in præcedenti Catechesi quibusdam atheismis grauioribus contra veram fidem huius secundi articuli: oportet doctrinam de eodem articulo perscruteris, atq; ea Christiane, quæ te Sancta Mater Ecclesia Catholica docet perdiscas, credas, & tanquam pretiosissimum depositum fide-
1.Tim. 6. 20. liter custodias. Quare in ista Catechesi, tria potissimum perdiscere satage.

I. Vnde conuincendi infideles negantes Filium Dei esse verum Deum, Patri consubstantialem & æqualem?

II. Quomodo intelligendum per Filium omnia facta?

III. Quare specialiter Filium confitemur Dominum nostrum?

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Filium DEI Dominum nostrum IESVM Christum, qui est secunda in Deitate persona, esse verum DEVM, Patri consubstantialem & æqualem, perfidos, illustres loci scripturæ conuincunt, tàm noui quàm veteris testamenti, qui in vna Deitate tres Personas ostendunt. Ac primò quidem, cùm subuerteretur Sodomorum ciuitas propter enormia scelera, ita scriptura dicit. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo*, dicitur Dominus à Domino, id est. Filius à Patre à quo genitus est: cui conformis est illa phrasis Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, id est Pater Filio, tam Filius Dominus, quàm Pater Dominus, & in prædictis locis Hebrea vox יהוה Iehoua quæ DEO vero congruit, ponitur. Deinde Ps. 2. *Filius meus es tu*: si Filius, certè eiusdem cum Patre naturæ & substantiæ, nam Filius ex substantia Patris generatur. Ex vtero genui te; quod non diceret nisi ex sua substantia generaret. Præterea Zachar. 12. Christus confixus promittit se effusurum Spiritum gratiæ in homines. *Effundam* inquit *super domum Dauid, & super habitantes Ierusalem Spiritum gratiæ precum, & aspicient ad me quem confixerunt*, effundere autem Spiritum gratiæ, proprium est solius veri DEI. Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Quis nam neget Christum DEI Filium esse verum DEVM, Patri consubstantialem & coæqualem? In nouo testamento innumera sunt, quæ Christum consubstantialem Patri & coæqualem secundum diuinitatem testantur. Matth. 19. Petrus confessus dixit. *Tu es Christus Filius DEI viui*, per quod ostendit eum esse naturalem Filium DEI, qui Ioan. 1. & 2. vocatur *vnigenitus*, & Rom. 8. *Proprius*, qui si non esset eiusdem naturæ cum Patre, non diceretur vnigenitus & proprius. Et quia Petrus confessus est naturalem Filium, quem alij adoptiuum, alij prophetam dicebant, ideo eius confessio præ alijs laudata. *Beatus* (inquit)

es. Luc. 1. Zacharias prophetauit per aduentus Christi impletam esse promissionem DEI, qua DEus promisit semetipsum datarum se nobis. *Ius iurandum*, inquit, *quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis*, & quia Filium suum dedit. Isai. 9 *Filius datus est nobis*. Ioan. 3. *Sic DEus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret*. Quis eat inficias, Filium DEI verum esse DEUM? Amplius, quod de vero DEO Isai. 8. dictum est, hoc Simeon Luc. 2. de Christo ex Virgine nato pronuntiat. Apud Isaiam ita dicitur. *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël*. Simeon autem prophetans & benedicens Virgini MARIÆ idem penitùs dicit. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël*. Nonne euidenter ostenditur DEI Filius Dominus & Saluator noster verus DEus, & Dominus exercituum? Iudas Apostolus in sua Canonica. d. *IESVS populum de terra Ægypti saluauit*, sed DEus verus populum de terra Ægypti saluauit. Exod. 20. *Ego sum Dominus DEVS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*. IEsus ergo Dominus noster est verus DEus. Postremò quem Apostolus Tit. 2. vocat *magnum DEVM*, nunquid verus & natura DEus non est? Vltimò qui literaliter in scripturis, proprijssimè & sine vlla figura DEus vocatur, illum necesse est natura DEUM rerum æternum esse; cùm itaq; Filius DEI & Saluator noster hoc nomine vocetur in scripturis secundum literam, proprie & absq; vllo tropo. Ierem. 23. *Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster*, in Hebræo positum est nomen tetragrammaton Iehoua, quod est proprium inter nomina DEI, Manifesta igitur res est Christum DEI Filium natura DEUM verum esse, in quem etiam Ioan: 14. credendum, quod non esset, si Christus non esset DEus vt *Tract: 67. in Ioan.* colligit Augustinus. Ad extremum fides Catholica conuincit omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam DEI, *2. Cor. 10.* quâ semper, vbiq; & ab omnibus creditum est Filium DEI

natura

natura DEUM verum esse. Patri consubstantialem & coæqualem. Semper ita creditum est, id est omnibus seculis ab Apostolis ad hæc vsq; tempora. Vbiq; etiam, in oriente, occidente, meridiè & septemtrione. Ab omnibus Catholicis Græcis, Latinis & aliorum idiomatum Doctoribus & populis. Quare contra prænominatas in præcedenti Catechesi tres hæreses, fidem Catholicam præmunit Euangelium Ioan: 1. vbi deducens diuinitatem Christi, tria tribuit Verbo, primò æternitatem dicens. *In principio erat Verbum.* Secundò distinctionem Filij à Patre. *Verbum erat apud DEVM.* Tertiò consubstantialitatem, *Et DEus erat Verbum.* Quod si Gatechistæ.

OPPONATUR. Luc. 18. Christus ipse negat se esse DEUM cuidam dicens. *Quid me dicis bonum? nemo bonus est nisi solus DEVS.* ℞. Falsum est: non negat sed asserit potiûs Christus se esse verum DEVM. q. d. Tu qui negas me esse verum DEUM, cur me tua simulatione bonum dicis, cùm nemo sit bonus, nisi solus DEus.

QUÆSIER. Cùm DEO omnia sint nuda & aperta, cur Christus dicit se ignorare aliqua, vt diem iudicij? ita enim Matth. 24. & Marc. 13. *De die illa & hora, nemo scit neq; Angeli in cœlo, neque Filius DEI nisi Pater.* Si non cognoscit omnia cum Patre, profectò non est eiusdem sapientiæ nec naturæ cum Patre. ℞. Christus dicit se ignorare diem iudicij, non vt DEus, sed vt homo, quatenus hæc particula, ut Homo, reduplicatiuè sumitur, & reduplicat naturam humanam in se consideratam, vt sit sensus, Christus homo in quantum homo, id est simplex ex natura humana, & non vt talis homo ignorat diem iudicij. Vt verò talis homo, qui ab initio conceptionis fuit beatus, nouit omnia quæ ad eius statum pertinent: & cùm sit Iudex viuorum & mortuorum, ad ipsum pertinet nosse diem iudicij. Iudex autem etiam vt homo. Ergo etiam vt homo nouit diem iudicij. Si enim nouit quod maius est, nouit etiam quod minus est, nouit omnes actus omnium hominum secundum om- *Ioan. 5.*

nia tempora, ab initio mundi vsq; ad finem quorum est Iudex quod quidem maius est. Ergo nouit & diem iudicij, quod minus est. Dicit autem se nescire ad eum scilicet effectum, vt nobis reuelet, quod nec expedit, vt Act: 1. dixit. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Hæc te rursus confirmant in fide veræ diuinitatis Filij DEI, cùm audis omnia per ipsum facta, vt Ioan. 1. dicitur. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et Hebr. 1. de Filio dicit Apostolus, *Quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula, qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ.* Omnia hæc dicta conferunt ad ostendendam veram Filij DEI diuinitatem. *Filius* enim DEI *qui est eiusdem cum Patre Substantiæ seu naturæ & essentiæ, suo verbo, suo nutu & iussu potenti omnia portat, & sustentat pondus creaturarum,* ait Theophilactus. Mercurius autem Trismegistus in Pymandro Tacium Filium suum erudit & admonet. d. *Mundum Verbo non manibus fabricatus est opifex, hoc Verbum ô Fili cole & adora.* id est Filium DEI, de quo Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Quomodo DEUS non est, qui cum Patre omnia condidit. Quæcunq; enim Pater fecerit, hæc &
Ioan. 5. Filius similiter facit. Et vltra. *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Attestatur & Paulus. *Per*
Coloss. 1. *eum* inquit *condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, siue throni siue dominationes, omnia per eum & in eo condita*; insuper
1. p. q. 39. a. 8. omnia etiam per ipsum consistunt seu conseruantur. Potest etiam dupliciter intelligi, omnia per Filium facta. Et primo quidem tanquam per principium ex principio, proprium enim est Filij esse principium ex principio: deinde tanquam per sapientiam quæ Filio appropriatur.

QVÆSIER. quia Filius cum Patre omnia operatur, sicut & Pater cum Filio, cur ergo non dicitur Filius operari per Patrem,

trem, ſicut Pater per Filium? ℟. non Filius per Patrem, ſed Pater dicitur per Filium, ad oſtendendam in Patre authoritatem, non enim Pater à Filio, ſed Filius à Patre operatur, Sed rurſum. *Magiſter. Sēt. lib. 2. diſt. 13. 1.*

DICES. Si per Filium omnia ſunt facta & creata, num etiam Spiritus Sanctus in iſta vniuerſali diſtributione OMNIA includatur? ℟. iſta vniuerſalis diſtributio Omnia, comprehendit quidquid eſt factibile & creabile: Spiritus verò Sanctus cùm ſit extra ordinem rerum factibilium & creabilium, in iſta vniuerſali diſtributione nullatenus includitur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Confitemur Orthodoxa fide Dominum Patrem, Dominum Filium, Dominum Spiritum Sanctum, & non tres Dominos ſed vnum Dominum; ſicut non tres DEOS, ſed vnun DEUM. Speciali tamen ratione Filium Dominum noſtrum confitemur, tàm in Symbolo Apoſtolorum cùm hæc verba recitamus. Et in IESUM Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum noſtrum quàm in Nicœno. d. *Et in vnum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, Filium DEI vnigenitum*. Petrus etiam Act. 2. d. *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit DEus hunc IESVM.* Ratio ea eſt, cur peculiari ratione Filium confitemur Dominum noſtrum, quia nos deprauatos & perditos redemit, nempe. *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*. Agnoſce itaq; Chriſtiane te ſeruum eſſe eius, & iure creationis, & iure redemptionis. Qui pro te æterno Patri, Adæ debitum ſoluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit: quod in benedictione cerei Sabbato magno canit Eccleſia. Ipſe in ſua carne, quæ non rapuit, exoluit. Et ideo viginti quatuor ſeniores Apoc. 5. d. *Dignus es Domine accipere librum & ſoluere ſignacula eius, quia occiſus es, & redemiſti nos DEO in ſanguine tuo.* Atq; hanc dignitatem ſuam, quam per paſſionem meruit, Apoſtolis poſt reſurrectio-

rectionem manifeſtam facit. d. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Nam vt DEus accepit hanc poteſtatem à Patre cum natura diuina per æternam generationem, vt homo meruit per paſſionem. Hic Chriſtianus.

QUÆSIER. Credo & confiteor ex duabus & in duabus naturis Perſonam Chriſti conſiſtere: ſecundum quam magis Dominum appellabo? ℞. Secundum vtramque quantum ad redemptionem, quia ſecundum vtramq; eſt Redemptor tuus: ita quòd neq; ſolus DEus ſecundum iuſtitiam redimere potuiſſet, neq; homo ſolus æquiualenter ſatisfeciſſet. Si enim ſolus DEus eſſet, pati non potuiſſet, ac proinde iuſtitiæ DEI pœnas pro peccatis exigenti ſatisfactum non fuiſſet. Si etiam homo tantum eſſet, tanti pretij non eſſet, vt pro peccatis hominum, qui omnes rei erant æternæ mortis, condignum aliquid exoluiſſet.

CATECHESIS III.

DE NOMINIBVS FILII DEI.

VT plurimum nomina imponuntur ab eo per quod res cognoſcitur, id eſt à proprietate vel ab operatione: ſicut enim ſubſtantiam rei ex proprietatibus vel ex operationibus inueſtigamus, ita ſubſtantiam rei denominamus, ſicut ſubſtantiam lapidis denominamus ab eo quòd lædat pedem. Nomina itaq; Filio DEI Domino noſtro IESU Chriſto quæ & in ſcripturis, potiſſimum verò in Symbolo impoſita, ad quid impoſita ſint, in præſenti Catecheſi contemplanda. Proinde in ipſa Chriſtianus à Catechiſta tria requiret.

I. Cur dictus eſt IESVS?

II. Cur dictus Chriſtus?

III. Quam nomina iſta veneranda?

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Nomen hoc venerandum IESVM, non ab hominibus, non etiam ab Angelis DEI Filio impositum, sed ab ipso DEO Patre, ab Angelo autem pronuntiatum, Luc. 1. *Ecce Virgo concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius IESVS.* Hinc Ambros. in Luc. *Vides Angelos quæ audierint, non quæ vsurpârint nuntiare.* Præfiguratum nomen istud in aliquibus. Num. 13. Filius Nun IESU dictus, (quod est in Hebræo יהושע *Iehosua*) qui post Moysen populum duxit in terram promissionis. Aggæi cap. 1. *Filius Iosedech Sacerdos magnus IESVS dictus.* Deinde in prologo Ecclesiastici *Filius Syrach IESVS appellatus.* Itaq; quod in figuris alij prætulerant; Filio DEI hoc nomen IESUS maximè conuenit, vt ponderat Hieron. in cap. 1. Oseæ & in cap. 1. Aggæi. *Dictus est igitur Mediator DEI & hominum hæc nomine proprio IESVS operationibus & factis eius valde congruente, cuius nominis rationem Iosepho edisserit Angelus.* d. *Vocabis nomen eius IESVM, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis ipsorum.* q. d. non iam de illa Ægypto ad plagam Australem, sed nunc de Ægypto scilicet angustijs peccatorum, non etiam de potestate illius qui mersus est in mari rubro Pharaonis, sed de potestate & tyrannide principis tenebrarum, iuxta illud Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Duxit ad terram promissionis, antiquos quidem ad terram Chananæorum, &c, nos verò ad terram æternæ beatitudinis. Idem nomen prædixerat Ieremias cap. 23. d. *Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster*; seu iustitia nostra, iustificator noster. *1. Tim. 2.* IESUS itaq; Saluator qui DEUS & homo est. *Omnes vult saluos fieri.* *August. Tract. 12. in Ioan.* Hunc agnosce Christiane, & ab ipso quære saluari; nam quantum est in medico venit sanare ægrotum.

DICES. Nomen istud discordat à prænuntiatis per Prophetas, nam Isai. 7. *Emanuel nomen eius*, cap. 8. *Accelera spolia detrahere.* cap. 9. Plura nomina recensentur. Zachar. 6. *Oriens*

ens nomen eius. ℞. Nomine IESUS passim DEI Filius vocabatur, quia hoc nomen breuiter & completè in se continet, quidquid alia nomina per Prophetas prænuntiata significabant, id est vniuersalem humani generis salutem.

QUÆSIER. Quoniam IESUS seu Saluator, DEUS & homo est in vna Persona diuini Verbi, quid proprium vnicuiq; naturæ, diuinæ & humanæ? ℞. Secundum diuinam naturam æqualis Patri; omnium Creator & gubernetor. Secundum humanam factus ex tempore: Patre minor; hominibus subditus. Deinde secundum diuinam naturam viuificans omnia, secundum humanam esuriens, sitiens, algens.

Philipp. 2. Ioan. 1. & 5. Ioan. 1. & 14. Luc. 2. Ioan. 5. Matth. 4.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, nomen IESUS impositionis, Christus naturæ, significat enim vtramq; naturam diuinam & humanam, ait S. Thom. significat *vnctum*, estq; nomen *honoris & officij*, vt dicit Catech. Paroch. Tria olim vngebantur genera personarum, Regum, Sacerdotum & Prophetarum, quæ res in sacris literis manifesta. Et quoniam Dominus noster has dignitates præ omnibus amplexus est, & officia absoluit, peculiari modo vnctus, non vnguento materiali terreno, sed spirituali oleo. Psal. 44. *Vnxit te DEus, DEus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vngebantur reges quando potestatem regni accipiebant ad populum defendendum, & malos puniendos, Christus igitur Rex, qui regnat in domo Iacob in æternum, populum suum defendit contra fortem armatum: malos iudicabit & damnabit, *comburens paleas igni*. Porrò regnum eius spirituale in terris inchoatur, in cœlo perficitur & consummatur. *Rex ergo est Christus.* dicit August. *non ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesq; visibiliter debellandos, sed quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum æternum credentes, sperantes amantesq; perducat.* Vngebantur Sacerdotes, qui sacrificia offerunt DEO, pro populo deprecantes, functus

3. p. q. 16. a. 5. c. & q. 17. a. 1. c. Luc. 1. Luc. 11. Matth. 3. & 26. Tract: 50. in Ioan.

hoc

hoc officio Christus, quia *obtulit semetipsum pro nobis hostiam & oblatationem DEO. Manet Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* inchoans in cæna vltima, non desinit exequi munus Sacerdotij sui, per vicarios suos Sacerdotes in Ecclesia Catholica. Functus officio Sacerdotij, dùm *in diebus carnis suæ preces supplicationesq́; cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. Vngebantur Prophetæ, qui voluntatem DEI hominibus & secreta cœlestia referebant, monebant & arguebant. CHISTUS summus propheta, quem alij figurabant; ille enim ita docet interius sine strepitu verborum, vt sine doctrina eius frustra laboret lingua cuiuscunq́; hominis. Hinc ipse Luc. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me*. Vnctus ergo præ consortibus suis, id est præ omnibus Sanctis, qui ab ipso participant de plenitudine eius accipientes. Vnctus vnctione gratiæ, quando in primo instanti conceptionis suæ habuit tantam gratiam, quantam dare ei DEUS potuit, *non enim ei datus est ad mensuram Spiritus*, sicut alijs datur. Hebr. 5. Ephes 5. Hebr. 5. Ioan. 1. Ioan. 3.

QUÆSIER. Dominus noster ob huiusmodi vnctionem dictus est CHRISTUS, nos verò cur vocamur Christiani? R. Vocamur hoc nomine, quia de illius regno & Ecclesia sumus, quasi vnctitij & consortes illius summi Christi, per cuius doctrinam illuminati sumus, per Sacerdotium à peccatis expiati, per regnum contra insultus tentationum roborati & inuicti & in bono persistentes vt dicit August: Christiani nominamur & sumus, si eius bonitatem, humilitatem, patientiam ac misericordiam eiusq; Sanctitatem imitamur, mandataque ipsius obseruamus, vt amici & fratres ipsius efficiamur. lib. 1. Confess. cap. 3. Ioan. 5.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, ista duo nomina Filij DEI summo honore habenda & veneranda, nec temerè & leui causa proferenda, secundo Decalogi mandato instruimur. Quod si requiras

quod ex illis sublimius aut diuinius, valde difficile & præsumptuosum definire. Vtrumq; diuino cultu venerandum. Nam de nomine IEsu audis Apostolum Philip. 2. d. *In nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Si omne genu in hoc nomine flectendum est, satis inde constat summopere venerandum.
Act. 4. Quia etiam cùm *non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri*; quis non maximo honore salutem sibi paratam veneretur? Dulce nomen IEsu, cuius dulcedinis & suauitatis præcessit figura in illo ligno, quod amaras in dulcedinem conuertit aquas: ita enim nomen
Exod. 15. IEsus Sanctis & electis DEI amaras tribulationum aquas in
Act. 5. dulcedinem permutat: *ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Christi quoq; nomen summo honore habendum, ipsa digni-
S.Thom. 2.2æ. q.122. a.3. 5m. tas rei significatæ ostendit, illud enim dignitatem à condito orbe summam continet, tot prophetarum encomijs celebratam, significat. *Regem regum, Dominum Dominantium.* Rex ma-
Apoc. 19. gnus super omnes deos, qui Messias olim fuit repromissus. Ps.
Ps. 94. 88. *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Quare S. Thom. 2. 2æ. vtrumq; nomen & IEsus & Christus ad inuicem conferens, excellentiam nominis CHRISTUS ita exponit. d. *Dat intelligere vtramq; naturam diuinam & humanam, nam in*
3.p.q.16. *eo intelligitur & diuinitas vngens, & humanitas vncta, nomen autem IEsus solam humanam naturam significat.* Hæc ille. Et quia nomen CHRISTUS, non solum humanam sed etiam diuinam naturam significat, quis ambigat magnopere venerandum? Eccl. 43. *Glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis, superabit enim adhuc & admirabilis magnificentia eius.* Sed quia per vtrumq; hoc nomen, scilicet IEsus & CHRISTUS magna & miranda fiunt, dæmonia eijciuntur, serpentes tolluntur, ægri sanantur. Act. 3. Petrus & Ioannes claudum curauerunt. *In nomine IEsu CHRI-*
Mar. 16. STI *Nazareni, surge & ambula*: vtrumq; Christiane venarare. Doctor Angelicus, exponens in oratione Dominica illud.

Sancti-

Sanctificetur nomen tuum; ponit exemplum de S. Ignatio Martyre Episcopo Antiocheno. Hic enim S. Martyr in tantum dilexit nomen Christi, quòd cum Trajanus ab eo requireret vt Christi nomen negaret, resqondit quòd de ore eius remoueri non posset, & cùm ille minaretur caput sibi amputare & Christum de ore eius amouere, dixit, & si de ore abstuleris, nunquam tamen de corde eripere poteris. Hoc enim inquit nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo ab inuocatione eius cessare non valeo. Quod Traianus probare cupiens, post mortem serui DEI cor eius extrahi iussit, & inuentum est habens nomen Christi in se scriptum literis aureis. Itaq; tu Christiane desine perquirere quod ex his duobus diuinius, sed cura vtrumq; imprimere cordi tuo quoties dicis credo *in IESVM Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum*: non labijs & ore tantum, sed corde intimo dicas, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Igitur & huius secundi articuli Symboli Apostolorum. sit

COROLLARIVM.

CUm vitas hæreticorum errores Christiane, & Catholicè credis, quæ credenda in isto secundo fidei articulo de vnigenito & consubstantiali Patri DEI Filio, proponuntur, oportet fide formata credas, & ames ex intimo cordis affectu, quem audis IESUM CHRISTUM DEI Filium naturalem: parum enim prodesset credere, si non superesset amare; nam *dæmones etiam credunt & contremiscunt* odientes. Tu verò time casto & Filiali timore; ac reuerere Dominũ quem Trinum confiteris: ama tàm bonum optimi & clementissimi Patris, in æternitate Filium genitum: nam illis omnibus qui amare detrectant anathema Maran Atha dicit Apostolus. Proinde considera quàm horrenda & consternans sit ista execratoria æternæ damnationis denuntiatio in eos, qui Dominum nostrum IESUM Christum immersi profunda peccatorum abysso non student amare;

Iacob. 2.

1. *Cor.* 16.

huic tu Christiane diligenter curæ incumbe, vt diligaris dili-
Prou: 8: ge, ait enim. *Ego diligentes me diligo*, cum *DEVS sit charitas, &*
1. Ioan. 4. *qui manet in charitate, in DEO manet & DEus in eo.*

ARTICVLVS
SYMBOLI III.
Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

VT homo salutem consequatur æternam, non satis est illi credere mysterium Ss. Trinitatis, non sufficit Filium DEI ab æterno ex Patris substantia genitum: oportet insuper Mysterium Incarnationis eiusdem Filij DEI credere, de quo Athanasius in Symbolo. *Quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, &c.* necesseque est, vt incarnationem Domini nostri IESU Christi fideliter credat. Et Concil. Nicæn. *Qui*, inquit, *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Hæc duo Mysteria Ss. Trinitatis & Incarnationis Ioan. 17. ostenduntur necessaria ad salutem, vt credantur, vbi vnigenitus DEI Filius ad Patrem loquitur. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant & solum Deum verum & quem misisti IESVM Christum* id est, vt cognoscant per fidem DEUM vnum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate. Etenim exclusiua particula solus, hoc loco posita, non intelligitur de Persona Patris, sed de tota Trinitate vt lib. 6. de Trin. cap. 9. exponit August: apud S. Thom. 1. p. q. 31. art. 4. im. Deinde, *quem misisti IESVM Christum.* id est, vt cognoscant Filium DEI pro salute humani generis carnem assumpsisse, atq; hominem factum, de Virgine MARIA in temporum plenitudine natum. Hæc eadem duo mysteria attigit Apostolus. Hebr. 11. *Accedentem,*

S.Thom. 2.2æ. q. 2. art. 7.

tem, inquit, *ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator.* Dicit, Quia est, vnus scilicet in Natura Trinus in Personis. Dicit. *Inquirentibus se remunerator sit. Bonus est enim Dominus sperantibus in eum*, dicit Propheta, *animæ quærenti illum*: quia habet prouidentiam de salute hominum, medium ad hoc ordinando supple, Incarnationem Filij sui, de quo Ioan. 1. *Verbum caro factum est & habitauit in nobis.* Et Baruch 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quare Ss. Apostoli dixerunt, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: Quia verò Catech. Paroch. istum tertium Symboli articulum; in duas distribuit partes, vt vna sit de Incarnatione, altera de Natiuitate, nos ista per Catecheses subiectas explicare studebimus. Itaq; quoad primam partem sit Thren. 3.

CATECHESIS I.

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO.

CUm sapientissimus regum Salomon, vnionem Verbi diuini cum natura humana edicere pararet, illud epithalamium super Persona sponsi animarum ita occinit. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Mellifluus Doctor S. Bernardus, serm: 1. de Assumpt. B. V. M. ita ponderat. *Christi generationem & Mariæ assumptionem quis dicere potest?* Sublimissimum mysterium Incarnationis Verbi DEI, quod naturam humanam assumpsit ad vnitatem diuinæ Hypostasis, nempe missus à Patre in mundum hic DEI Filius, osculatus est nos, nostramq; humanitatem diuinitati suæ copulatam, osculo diuini oris sui: quod genus osculi nouum ac iure mirandum nobis ab Apostolis in hoc articulo propositum, in Catechesi rimari & contemplari dum incipimus tria Christiano Catechista exponet. Cant. 1.

I. *Quàm congruum fuit Dei Filium incarnari?*
II. *Quæ necessitas Incarnationis?*
III. *Quid præcipuè de Incarnatione Christiano credendum?*

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, hæc ipsa magna est congruentia Incarnationis Filij DEI, vt per ipsum, plenam cognitionem DEI haberemus: nam nisi VerbumCaro factum fuisset, implicitè duntaxat
Ioan. 1. mysterium Trinitatis tenuissemus, siquidem *nemo Deum vidit vnquam, vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit*: ipsum
Ioa. 17n. 6. Verbum Incarnatum & se & Patrem nobis manifestauit. Pulchre S. Thom. in exposit. Symb. Apost. id ipsum ponderat, dicens quòd Filio DEI nihil ita est simile sicut Verbum in corde nostro conceptum & prolatum, id est verbum mentis quod est imago actualis rei intellectæ. Quemadmodum autem nemo cognoscit verbum dùm est in corde hominis, nisi
1. Cor. 2. ille qui concipit illud. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est*: sed tunc primùm cognoscitur cùm profertur; sic Verbum DEI, dùm esset in corde Patris non cognoscebatur nisi à Patre tantum: infert Apostolus, ita & quæ sunt DEI, nemo cognoscit nisi Spiritus DEI. Hoc ipse Dominus manifestat Matth. 11. *Nemo*, inquit, *nouit Filium nisi Pater, neq; Patrē quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quia neq; Angeli per sola naturalia tantum arcanum attingere potuerunt, sed sicut verbum voce prolatum, tunc primò cognitum manifestum est, ita Verbum DEI carne indutum.
Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est & cum hominibꝰ conuersatus est.* Præterea sicut verbum voce prolatum cognoscitur quidem per auditum, non tamen videtur aut tangitur, sed tum demum cùm in
1. Ioan. 1. charta scribitur: ita Verbum DEI & visibile & tangibile factum est, cum in nostra carne quasi scriptum est. *Quod fuit ab initio,*

initio, quod audiuimus quod vidimus, quod oculis nostris perspeximus, quod manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, nempe inuisibilis DEUS in suis, visibilis factus est in nostris, vt S. Leo dicit. Rursum sicut charta in qua scriptum est verbum puta regis dicitur verbum regis, ita homo cui coniunctum est Verbum DEI in vna hypostasi dicitur Filius DEI. Isai. 8. *Sume tibi librum grandem, scribe in eo stylo hominis.* Adhuc. Summæ bonitati & perfectioni DEI congruebat, vt se summe communicaret, siquidem *bonum est sui diffusivum*, iuxta Dionys. hoc autem per incarnationem factum est: ita enim se DEUS homini communicauit, vt DEUS & homo esset vna Hypostasis & Persona, ex quo magnam dignitatem supra omnes Angelos homo est consecutus, quia *nusquam Deus Angelos apprehendit*, quare gratulatur Propheta. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*: propterea dixerunt Apostoli. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*: Sed Catechistæ quis

Serm. 2. de Natiuit.

Cap. 4. de diuin. nomin.

Hebr. 7.

Ps. 83.

OBVIABIT. Sicut ab æterno DEUS est actus purus, absq; omni carne, nullam admittens compositionem, ita optimum & congruentissimum est eum idem esse vsq; in æternum, vt quid ergo congruit carnem assumpsisse? ℞. Esto DEUS semper actus purus ab æterno, absq; omni carne fuerit, sed quia ipsa natura DEI est essentia bonitatis, ad cuius rationem pertinet sese communicare, absq; omni commutatione sui, summo modo se communicauit creaturæ, cùm vna Persona fieret ex Verbo, anima & carne. Quoad verò compositionem, nullam vnquam in sua essentia admittit DEUS, nec potest venire in compositionem alicuius, dicit S. Thomas, quamuis vera compositio sit in vnione hypostatica Verbi cum humana natura.

1. p. q. 3. a. 8.
3. p. q. 2. a. 4.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Incarnatio Filij DEI non quidem omnino simpliciter & intrinsecè fuit necessaria, DEUS enim est agens infini-

infinitæ libertatis & efficientiæ in agendo, in quem nulla necessitas intrinseca, vel coactionis cadere potest: extrinsecè tamen summè necessaria fuit, necessitate finis, ad redimendum & reparandum collapsum genus humanum, ita sapientissimè & benignissime ordinante, sua voluntate, Deo. Pec-
Gen. 3. cauerat homo instigante satana, reparari autem à lapsu, nec à se, nec ab alia creatura poterat: *nemo enim inuentus est dignus,*
Apoc. 5. *neq; in cœlo, neq; in terra, neq; sub terra aperire librum,* nempe nulla inter creaturas poterat resignare decretum diuinæ iustitiæ in damnationem hominis propter peccatum, donec leo de
Iob, 6. tribu Iuda id præstaret. Ideo Iob anxius conqueritur. *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarij mei recesserunt à me.* Dauid quoq; Ps. 86. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia.* Redemptore eguimus ipso Filio DEI. Rom. 3. *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei;* hoc modo, vt sicut per Verbum conditi sumus, ita per Verbum collapsi repararemur. Certe post peccatum, vnum de duobus fuit necessarium, vt, aut totum genus humanum maneret in æternùm damnatum, aut iusto pretio ira DEI placaretur. Nec poterat per sacrificia legis id præstari, quæ ad perfectum nihil adducere potuit, nec illa holocausta offensam diuinæ maiestatis auferre poterant. Ps. 39. *Holocaustum & pro peccato non postulasti,* Hebr. 10. *Impossibile est sangui-*
Eph. 2. *ne taurorum aut hircorum auferri peccata.* DEVS itaq; *qui diues est in misericordia;* ne totum genus humanum periret haud enim
Ps. 88. varie constituit omnes filios hominum, *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cùm essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos in Christo,* præstitit id quod non erat possibile legi, Qua
Rom. 8. ratione? intendis Christiane, *Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Et hoc est quod Ioan. 3. d. *Sic DEus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Inde Christiane erigere spem debes in Deum, nihil enim tam necessarium fuit ad

eri-

erigendam spem nostram, inquit August. quàm vt demonstraretur nobis, quantum diligeret nos DEus, quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd DEI Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium? Hoc tibi Christiane firmiter credendum, quòd salus totius generis humani exposceret Saluatorem non alium quàm ipsum DEI Filium, promissum Isai. 35. *DEus ipse veniet & saluabit nos.* Et *nulla causa veniendi fuit Christo Domino*, ait August: *nisi peccatores saluos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa*: nec vllo modo filius DEI in carne venisset, nisi propter peccatum, vi illius decreti quo iam venit. Hanc causam finalem passim scripturæ ostendunt. Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Ioan. 3. *Misit DEus Filium suum in mundum, vt saluetur mundus per ipsum.* Gal. 4 *Vt eos qui sub lege erant redimeret.* 1. Tim. 1. *Christus IESus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit Filius DEI, vt dissoluat opera diaboli.* 1. Ioan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit in hunc mundum, vt viuamus per eum.* Hoc docet Nicænæ fidei confessio. *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Clemens lib. 1. constit. Apostol. cap. 7. *Saluator*, inquit, *noster non aliam ob causam venit, nisi vt saluaret.* Iren. lib. 1. c. 14. *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei Caro factum esset.* Sed Christianus sagax Catechistam explorabit.

li. 13. de Trin. cap. 10.

Ser. 9. de verb. Apost.

DICENS. Siquidem nihil virtutis aut potentiæ accessit DEO ex carne assumpta, profectò si potuit per carnem assumptam nos redimere & offensæ satisfacere, potuit per se absq; carne. ℞. Ad satisfaciendum non solum virtus & potentia requiritur, sed etiam subiectio, proinde licet per carnem assumptam nihil virtutis aut potentiæ accessit DEO, accessit tamen aliquid ad satisfaciendum necessarium, nempe subiectio, quando *humiliauit semetipsum factus obediens.*

Philip. 2.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, vt sis in omnibus fidelis, de Incarnatione Verbi DEI; id omne & solum tibi est credendum, quod Ecclesia Catholica semper credit, credendum proponit & docet. Pro captu autem & ingenio tuo, aliqua tibi sunt proponenda & exponenda. Primo quod Dominus noster IESUS Christus in vna hypostasi seu Persona diuina DEUS est & homo, DEUS verus & homo verus DEUS ab æterno, homo ex tempore. Verùm hac de re audi Athanasium dicentem & docentem. *Deus est*, inquit, *ex substantia Patris ante secula genitus, homo ex substantia matris in seculo natus, perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confusione substantiæ sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Hanc doctrinam vt clarius percipias, obserua in hoc argumento varias extitisse hæreses. Nam Eutyches dixit, per Incarnationis mysterium factam esse commixtionem naturarum diuinæ & humanæ, ita quòd ex duabus naturis coaluerit vna media, quæ nec purè diuina, nec purè humana esset. Damnatusque est error iste in quarta Synodo Chalcedon: reprobat etiam Boëtius in libro de duabus naturis in Christo, & in Symbolo Nicæno canimus. *Et homo factus est*, Damascenus quoq; lib. 3. *In Domino*, inquit, *nostro IESV Christo, duas naturas cognoscimus vnam Hypostasim.* Tu Christiane crede, quòd Dominus noster IESUS Christus, sicut verus est DEUS, ita verus est homo, DEUM verum de DEO vero confitemur: hominem verum ex scripturis accepimus. Ioan. 8. Iudæis dixit, *Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis?* Philipp. 2. *Formam serui accepit, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus*

tus

tus est vt homo: & crebriùs in Euangelio seipsum Filium hominis nominat. Ergo fides est recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster IESUS Christus DEI Filius, DEUS est & homo: DEUS homo factus est, vt canit Ecclesia: id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit non commixtionem passus. Porrò Nestorius in altero é diametro Eutycheti oppositus, dixit non vnum Christum in Verbo & carne, sed alium esse Filium DEI, alium Filium hominis; aliam Personam DEI Verbi, aliam hominis carnis, & quòd Filius DEI non aliter vnitus est homini nisi per inhabitationem gratiæ. Tu verò Christiane crede duas esse naturas integras in Christo, & vnam Personam diuinam, Catechef. Paroch. dicit, *Verbum quod diuinæ naturæ Hypostasis est, ita humanam naturam assumpsit, vt vna & eadem esset diuinæ & humanæ naturæ Hypostasis ac Persona*, Rursus Manichæus dixit, quòd Filius DEI descendens de cœlo, non veram carnem sed phantasticam assumpsit: ponebat enim totam creaturam corpoream à diabolo factam, nec esse conueniens vt boni DEI Filius diaboli creaturam assumeret. S. Thō. Opusc. 3. c. 207.
Tu verò Christiane crede veram carnem à Filio DEI assumptam, id Euangelium ostendit, *Verbum Caro factum est*: & dicitur proprie absq; omni tropo. August: quoq; in lib. q. q. 83. q. 14. d. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, & si fefellit veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus eius.* Idem in lib. de dogmat. Ecclesiasticis cap. 2. 1. Ioan. 5. v. 6.
Natus est, inquit, *DEI Filius, non putatiuè quasi imaginarium corpus habens, sed corpus verum.* Et hoc Athanas. dicit, *Perfectus DEus, perfectus Homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Patres quoq; Nicæni. *Et incarnatus est.* Deniq; Apollinaris d. *Christum non habuisse animam rationalem, ipsum autem Verbum homini Christo pro intellectu & ratione fuisse*. vt refert S. Thom. opusc. 3. c. 205. Tu verò Christiane crede, sicut alij homines habent animam rationalem ita & Christus, si enim mirabatur. vt legitur Matth. 8. signum fuit animæ rationalis, Verbo enim di-

uino admiratio conuenire non poteſt. Si etiam credis Chriſtiane, quòd non ſolùm verus DEus ſit, ſed etiam verus homo crede quòd habuerit verum corpus & veram animam rationalem, ſecùs non eſſet verus homo, homo enim verus conſtat vero corpore & vera anima. Hic quaſi dubitans Chriſtianus ex Catechiſta.

QUÆRIT. Si credere debeo duas eſſe naturas integras in Chriſto, diuinam & humanam, & vnam duntaxat Perſonam, quare Athanaſius dixit, *perfectus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens*. Si ſubſiſtens ergo humanitas habet ſuam ſubſiſtentiam. Ergo propriam Perſonam. Item d. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita DEus & homo vnus eſt Chriſtus.* anima autem rationalis & caro vnam naturam indiuiduam conſtituunt, nonne eodem modo DEus & homo in vnam naturam conueniunt? Quoad primum, non de ſubſiſtentia perſonali in illis verbis, ſed de conſtitutione naturæ humanæ, ex anima rationali & carne S. Athanaſ. docet. Quoad ſecundum, ex anima & corpore duplex vnio conſtituitur: altera Naturæ, altera Perſonæ. Ponit itaq; in hoc ſecundo ſimilitudinem S. Athanaſ. id eſt, ſicut ex anima rationali & carne vnus homo perſonaliter; ita DEus & homo vnus Chriſtus in Perſona.

CATECHESIS II.
DE MODO INCARNATIONIS.

HÆc audis, & hæc recitas in Symbolo fidei Chriſtiane. *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*. Hæc ideo Ss. Apoſtoli expreſſerunt, ne velis dicere, eo modo conceptum quo alij homines ex viro & muliere: in quo errore & in ſania fuit Ebion hæreticus genere Iudæus, vt refert S. Thomas de Symbolo. Tu verò Chriſtiane Sanctiſſimam diuinamq; Conceptionem Filij DEI, in vtero Virginis venerare, qui ſupra modum

modum naturalem operante Spiritu Sancto conceptus fuit; id attestantibus Angelis. Luc. 1. Virgini dixit Angelus. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Iosepho Matth. 1. *Ioseph Fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Quare, hæc sedulò conabitur Catechista inculcare rudibus, vt expresse profiteantur Christum conceptum de Spiritu Sancto, multi enim quod exploratum habeo, ex ignorantia & errore dùm recitant Symbolum, hæc verba omittunt, ne forte ex ruditate & imperitia, contraria huic articulo, ex assuetudine imbibant. Sed in ista Catechesi, ad postulationem Christiani tria ipsi Catechista explicabit.

I. Quare dicitur conceptus de Spiritu Sancto?

II. Quid sit secundum naturam, & quid supra naturam, in mysterio incarnationis?

III. Quàm accuratè Symbola loquuntur, fidem contra hæreses explicantia?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, certum est, omnes tres Personas diuinas operatas esse opus Incarnationis Filij DEI: non enim solus Spiritus Sanctus, sed & Pater & Filius operati sunt conceptionem & formationem corporis Christi, de quo Catech. Paroch. ita loquitur. *Quamuis vnus Filius humanam naturam assumpsit, tamen omnes diuinæ Trinitatis Personæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus huius mysterij auctores fuerunt,* siquidem illa Christianæ fidei regula tenenda est. Omnia quæ DEus extra se in rebus creatis facit, tribus Personis communia esse, neq; vnam magis quàm aliam, aut vnam sine alia agere. Hoc ipsum in Euangelio audimus. *Quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius facit similiter.* *Ioan. 5.*
Tribuitur tamen conceptio seu formatio Corporis Christi

operationi Spiritus Sancti peculiari ratione, quia (inquit Magister sent.) *Spiritus Sanctus est charitas, & donum Patris & Filij, & ineffabili charitate DEi Verbum Caro factum est, & inæstimabili dono DEI Filius DEI vniuit sibi formam serui.* Quia igitur ex ineffabili charitate DEI, quæ Spiritui Sancto appropriatur, Verbum DEI est caro, ideo opus incarnationis specialiter Spiritui Sancto tribuitur. DEINDE, quia dona gratiarum, Sanctificatio hominum & omnia charismata in scripturis Spiritui Sancto tribuuntur. 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè.* Nulla autem maior gratia, nulla sanctificatio maior illâ, qua Sanctificatus est Christus, nullum maius est donum illo, quod donatum est Christo secundum humanam naturam, *vt ipse Homo DEus esset naturaliter non potens peccare*: siue vt S. Thom. d. *vt humana natura in vnitatem diuinæ Personæ assumeretur.* Proinde ad demonstrandam huiusmodi gratiam, formatio corporis Christi Spiritui S. attribuitur. Capite quoq; 40. Enchiridij August: d. *Iste modus quo natus est Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam DEI, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio naturæ suæ quo esse cæpit, Verbo DEI copulatur, in tantam Personæ vnitatem, vt idem ipse esset Filius DEI qui Filius hominis, & Filius hominis qui Filius DEI.*

lib. 3. dist. 4. — Ionn. 10. 36. — August. l. 13. de Trin. c. 19. — Opusc. 3. c. 219.

PRÆTEREA. Verbum humanum quod est conceptio mentis, habet similitudinem cum Verbo æterno, & quia verbum humanæ mentis, vt appareat visibiliter, vocem & quandoq; scripturam assumit, per quam appareat & audiatur, ita Verbum æternum assumpsit carnem. Et quia vox humana per Spiritum hominis formatur, ita etiam conueniens fuit, vt formatio corporis Christi Spiritui Sancto tribueretur. Sed hic Christianus.

INDAGAT. Quia Christus secundum carnem conceptus est de Spiritu Sancto, an non dicendus secundum carnem Filius

lius

lius Spiritus Sancti, sicut qui dicitur esse de Adam, Filius Adæ procul dubio habetur, vbi particula DEI, dicit habitudinem originis ex alio scilicet de substantia eius? ℟. Sicut nunquam Spiritus Sanctus potest dici Pater Christi, ita nec Christus potest dici Filius Spiritus Sancti, neq; totius Trinitatis, quamuis dicatur conceptus de Spiritu Sancto: sed sicut secundum diuinitatem est Filius tantum Patris, ita secundum humanitatem, cùm sit vnus & idem, vna eademq; Persona DEus homo. Est enim de ratione Patris, vt ex sua substantia Filium sibi connaturalem producat. Et quanuis Christus secundum diuinitatem sit connaturalis Spiritui Sancto, non tamen producitur à Spiritu Sancto, immò Spiritus Sanctus ab ipso: secundum humanam autem naturam non est connaturalis. Particula ergo DEI in isto negotio dicit habitudinem principij actiui, non tamen secundum similitudinem speciei: sed hæc particula DEI habet ad Corpus Christi formandum habitudinem causæ efficientis. Propterea Magister Sent: *per hoc*, inquit, *quod de Spiritu Sancto esse natiuitas Christi dicitur, quid aliud quàm ipsa gratia demonstratur, quâ homo mirabili & ineffabili modo Verbo DEI est adiunctus atq; connexus, & diuina gratia corporaliter repletus*.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Catechismus Parochorum ita te docet, In hoc mysterio quædam supra ordinem naturæ, quædam naturæ vi effecta esse animaduertimus. Et quidem secundum conditionem naturæ ex fæmina, supra conditionem naturæ quòd ex Virgine conceptum corpus & formatum. In hoc naturæ vim agnosce, quod ex Matris Sanguine Christi corpus fuit formatum; cui formando Virgo purissima materiam ministrauit. In hoc inquam vim naturæ edisce, quod omnium hominum corporibus est commune vt ex Matris sanguine formentur: ex quo se Dominus noster sæpissimè Fili-

Filium hominis nominabat. Atq; in hoc error Valentini, qui dicebat non de Virgine corpus Christi assumptum, sed de cœlo, quoddam corpus à Spiritu Sancto deportatum, & in vtero Virginis positum quod esset corpus Christi, vt refert S. Thom. in exposit. Symboli, Et Bernard. Lutzemburg. lib. 3. lit. V. Hanc hæresim impugnat Iren. in quinq; libris aduersus hæreses, potissimum verò lib. 3. c. 32. vbi ait. Hoc autem dicere (vt dicit Valentinus) est & putatiue apparuisse eum, & tanquam hominem, cùm non esset homo, & factum eum hominem nihil assumentem de homine. Si enim non accepit de homine substantiam carnis, neq; homo factus est, neq; Filius hominis. Quare Christiane credere debes corpus Christi de corpore Virginis assumptum, ipsamq; Virginem carnis suæ materiam nasciturо DEI Filio ministrasse, quod notanter Angelus Luc. 1. ostendit. d. *Quod ex te nascetur Filius Dei vocabitur.* Et Apost. Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, id est non aliunde quàm de Virgine Matre, carnem assumentem. 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus qui confitetur IEsum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Agnosce etiam Christiane in mysterio Incarnationis opus Spiritus Sancti, quod ordinem naturæ & humanam intelligentiam superat, cùm aliorum hominum corpora per multum spatium temporis formentur, corpus tamen Christi vno temporis momento formatum fuit & perfectè organizatum animaq; rationalis infusa, atq; ita perfectus DEus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, postquam Virgo nuntio Angeli consensit. d. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; quod mysterium
Ierem. 31. Ieremias insinuat dicens. *Creauit Dominus nouum in terra, fæmina circumdabit virum*, vt in hoc sensu exponit Lyranus. ADhuc diuinitatis opus aduerte Christiane, quòd eodem momento temporis, quo anima fuit infusa corpori, Diuinitas quoq; insolubili vinculo vtriq; copulata fuit: animamq; illam Sanctam Christi, in ipso instanti conceptionis fuisse beatam,

tam per claram visionem & fruitionem diuinitatis, cui in Hypostasi Verbi vnita fuit: accepisse quoq; omnem plenitudinem gratiæ & sapientiæ: siue de gratia vnionis accipiatur, secundum quod humana natura hoc donum accepit, nullis præcedentibus meritis vt vniretur DEI Filio in Persona: siue de gratia singulari, qua anima Christi præ ceteris fuit gratia & veritate repleta. Alij quidem Sancti in mensura accipiunt. *Vnicuiq;*, inquit, Apost: *datur gratia secundum mensuram*, anima autem Christi vberrimam Spiritus Sancti copiam accepit, ait Catech. Paroch. atq; omnium charismatum plenitudinem, non ad mensuram: siue accipiatur de gratia capitis secundum quod in alios ab ipso redundat. Et hæc exprimit Euang. Ioan. 1. nam quantum ad gratiam vnionis, d. *Verbum caro factum est*; quantum ad gratiam singularem, *Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis*; quantum ad gratiam capitis, *de plenitudine eius omnes nos accepimus*. Hic Christianus

S. Thō. opusc. 3. cap. 214.

Ephes. 4.

Ioan. 3.

ROGAT. Quia corpus Christi non verò diuinitas, de corpore Virginis, assumptum est, num debeam in salutatione Angelica Matrem DEI compellare, cùm hoc nullibi scriptura dicat, nonne sufficit Matrem tantum Christi nominare? ℞. Nestoriani hæretici, qui aliam Personam Christi DEI, aliam Christi hominis dictitabant, negauerunt Virginem debere dici Matrem DEI, sed tantum Matrem Christi. Tu verò Christiane si Christianus vis esse, confitere verè Matrem DEI, quod licet in scripturis non est expressum, est tamen expressum, quòd IESUS Christus est DEI Filius & DEUS verus. 1. Ioan. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam IESVS est Filius Dei?* & quia Virgo est Mater vera IESU Christi, est Mater Filij DEI veriq; DEI: atq; verè Mater DEI & hominis dici debet, cùm eodem momento DEUM & hominem concepisset & peperisset. Fæmina enim ex qua homo aliquis nascitur, Mater illius dicitur, eo quòd materiam ministret eius conceptui: & quia Maria Virgo ministrauit materiam conceptui Filij DEI,

Circa annum 424.

S. Thom 3. p. q. 35. art. 3. & 4. 1m.

 verè

verè Mater Filij DEI dicenda est, genuit enim eum, qui est verus DEUS. Quod si id tibi Christiane difficultatem pariat, quòd diuinitas non sit sumpta ex Virgine & ideo dubites dicere Matrem DEI. Considera nec animam tuam sumptam esse ex illa fæmina de qua natus es, num igitur negabis eam verè esse Mattem tuam?

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, considera quàm varie hæretici in mysterio Incarnationis errauerunt; nam Cerintus & Ebion dixerunt corpus Christi ex semine viri conceptum: enormiter errârunt turpi blasphemia contra veri Saluatoris ac Redemptoris humani generis dignitatem, qui vt hominem à vinculis peccatorum posset absoluere & expedire, necesse fuit ipsum ab omni prorsus peccato immunem esse; porrò nulla ex virili semine conceptio fieri potest absq; peccato de lege communi, nam quidquid ex humano semine nascitur, corruptam illam Adæ naturam attrahit, adeoq; in vtero materno per peccatum originale illico contaminatur. Vt ergo Christus DEI Filius verus fieret homo, & tamen immunis à peccato, eius conceptio non carnalis sed spiritualis fuit, id est *non ex voluntate carnis aut ex voluntate viri,* sed ex Spiritus Sancti efficientia. Quare tu Christiane contra istos hæreticos conceptionem Christi existima omnium purissimam, sanctissimam & admirandam, intra sanctam & integerrimam Virginem sine vlla viri cooperatione factam; audis enim sæpius Apostolos dicentes. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Rom. 1. & Gal. 4. cùm Apostolus dicit Christum factum, non natum. Magister sent: lib. 3. dist. 4. explicat Apostolum dixisse Christum factum *ad ostendendam differentiam conceptionis eius à communi conceptione hominum. Nam Christus ratione singularis suæ conceptionis habet rationem & facti & nati, ex eo quòd sola operatione Spiritus Sancti in vtero Virginis formabatur: ceteri autem homines habent solam rationem nati,*

Ioan. 1. v. 13.

nati, quia caro eorum virtute virilis seminis formatur in vtero; ideo etiam homines dicuntur filios generare non facere. ait Magister. Dicit præterea Apostolus Christum factum ex semine Dauid, non quòd semen hominis eius conceptioni interuenerit, sed quia ex carne Virginis, quæ ex semine Dauid venit, caro Christi formata fuit. Origenes etiam de Incarnationis Christi fine male sensit, dicens eo fine Incarnatum, vt per suam passionem dæmones quoq; saluarentur, ita refert August. lib. 21 de ciuit. cap 17. & 23. Tu Christiane crede & ama Saluatorem, tibi enim non dæmonibus per eius incarnationem beneficium salutis paratum, vt August. de Catechizandis rudibus dicit, *Ama amorem illius, qui amore tui descendit in vterum Virginis, & ibi amorem suum tuo amori copulauit.* Quare hunc Origenis errorem excludit Concil. Nicænum. d. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis & Incarnatus est.* Nazarei etiam addiderunt, dicentes fidem Christi non sufficere ad salutem, nisi quis etiam opera legis impleat, Circumcisionem & alias Purificationes, de quo errore Galatas insanientes Paulus arguebat. Tibi verò Christiane fides Christi sincere amplectenda, quæ est absq; legalibus saluifica. Rom. cap. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis*: Iam verò fidem & mysterium Incarnationis Christi absque legalibus sufficere Symbolum Nicænum docet. *Qui* inquit, *Incarnatus est propter nostram salutem.*

Circa annum 224.

Lutzenb. lib. 2. l. o.

DUBITABIS. Si nulla ex virili semine conceptio fieri potest absq; peccato: nonne hæc distributio vniuersalis NULLA. ad conceptionem B. V. M. extenditur? ℞. Nequaquam, hæc enim distributio currit de lege aliâs communi & ordinaria, quæ tamen priuilegio immaculatæ conceptionis B. V. in nullo derogare putanda est. Quanquam & in eo sensu assertum accipi possit, vt intelligatur nulla ex semine virili conceptio fieri posse absq; peccato concipientis, vbi nimis vehemens feruor adsit concupiscentiæ, iuxta quem sensum illud. Ps. 50.

In peccatis concepit me Mater mea: exponit Aijguarius: & allegat Magistrum lib. 2. dist. 31. c. vbi dicit *iam nunc non posse fieri carnalem copulam absq; libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est & etiam culpa, nisi excusetur per bona coniugij.*

QUÆSIER. Quem ex dictis fructum referam? ℞. In his omnibus attentius perpende charitatem Christi, qui ob hunc finem homo fieri voluit, vt nos homines Filij DEI nascere-mur, ait Catech. Paroch. Et Chrisost. Homil 2. in Matth. *Ineffabilis*, inquit, *DEus qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patri per omnia coæqualis per virginis ad nos venit vterum*. Et infra. *Cùm verus & dilectus sit Filius sempiterni*
Ioan. 1. 12. *DEI, etiam Filius Dauid esse dignatus est, modo vt te Filium faceret DEI, non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus.*

CATECHESIS III.
DE PVBLICIS OFFICIIS CHRISTI.

QVoniam DEus Pater Filium suum misit in mundum vt publicam Personam, qui à Patre mandatum accepit publicæ functionis officiorum. Oportebat eum igitur publica exercere officia, id est, Capitis, Mediatoris & id genus quæ vt patefiant Christiano, per tria membra in ista Catechesi distribuentur.

I. Quomodo Christus est Caput Ecclesiæ: Mediator & Sacerdos?

II. Qualis Rex & Propheta?

III. Quomodo Legislator & Iudex.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, venerare Christum vt Caput totius Ecclesiæ, tam triumphantis quàm militantis, ex hominibus & Ange-

lis consistentis. Id doctrina Apostoli tradit Ephes. 1. dicentis. *Constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius.* His verbis ostendit Apostolus Christum esse caput omnium & singulorum hominum qui quocunq; modo sunt de Ecclesia. Et dico quocunq; modo siue actu siue potentia, nam & infantum nondum baptizatorum, baptizandorum tamen, & infidelium dùm in præsenti seculo viuunt. Ratio quia caput influit in membra id verò Christus facit dupliciter, vt docet S. Thom. 3. p. q 8. art. 6. & 7. *intra & extra, intra per gratiam, extra per gubernationem actionum.* Considera autem quando Christus vtroq; modo influit in membra Ecclesiæ, Nam in Angelos influit intra id est gratiæ donã, quanquam non iustificantis, tamen illuminantis & illustrantis: influit extra quia illorum vtitur ministerio circa salutem hominum. In homines influit, quia omnes ab eo accipiunt dona gratiæ, alij donum Fidei, & Spei, alij etiam Charitatis, alij denique perseuerantiæ & gloriæ æternæ. Infideles quoq; accipiunt ab eo influxum gratiæ actualis (immò & Antichristus) quâ excitantur ad Fidem & Baptismum, si non proximè & immediatè, tamen vel remotè & mediatè. Interno itaque modo influit iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* Ephes. 4. *Vnicuiq; nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, id promissum Isai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Externo autem modo influit per gubernationem actionum; & quidem in terra existens per seipsũ, iam modo ad dexteram Patris sedens, per alios. Hunc modum gubernationis Christi in Ecclesiã indicat Ephes. 5. d. *Mulieres subditæ sint viris suis sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Sicut autem mulier in externis actionibus dirigitur imperio viri sui; ita Ecclesia lege

& mandatis Christi. Atq; hæc de capite Christo constitutum habeto Christiane. MEDIATOREM autem esse quoad solutionem debiti & satisfactionem Sanctissimæ Trinitati, ita proprium Christi, vt nulli alteri conuenire possit, Ipse enim pro nobis soluit & satisfecit mortem sustinendo, 1. Tim. 2. *Vnus est DEVS, & vnus Mediator DEI & hominum Homo Christus IESVS, qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus*, quod lætabunda Ecclesia in benedictione cerei Paschalis celebrat. *Qui*, inquit, *pro nobis æterno Patri Adæ debitum soluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Et in ipsa Paschali solemnitate. Agnus*, inquit, *redemit oues, Christus innocens, Patri reconciliauit peccatores*. Quod si QUÆSIERIS. Quomodo Christus mediator, vt homo tantum, vel vt DEus tantum, aut vtroque modo? ℞. Vt DEus tantum mediator dici non potest, aliâs suiipsius mediator esset. Non etiam vt homo tantū, ita enim non posset esse efficax Mediator. Itaq; Mediator seu principiū QUOD operationis operū Mediatoris non fuit DEus solus, nec homo solus, sed DEusHomo, Verbū Incarnatum. Principium autē Quo illa opera à Mediatore fiebant, fuit natura humana non diuina. DEus quidem Incarnatus erat, qui patiebatur & satisfaciebat, hoc tamen secundum formam serui, non secundum formam DEI exequebatur. Persona ergo Verbi exercuit opera Mediatoris, humana verò natura fuit per quam exercuit. Si ergo quæres non de supposito, sed de natura Mediatoris. Christum confitemur Mediatorem secundum humanam non secundum diuinam naturam; non enim alia de causa addidit Apostolus hanc particulam HOMO, nisi vt ostenderet secundum quam naturam Christus Mediator esset. Notionem mediatoris ita accipe. Mediator debet esse medius, id est aliquo modo distans ab vtraq; parte diffidente; hoc autem conuenit Christo, vt homo iustus est, non autem vt DEus est, nam vt homo, distat à DEO, vt iustus conuenit cum DEO. E contra, vt homo conuenit cum ceteris hominibus, vt iustus distat ab hominibus, qui

Orichouius in Chymera Stāgarana fol. 12 & seqq.

omnes

omnes nascuntur naturâ Filij iræ. Iam verò Christus vt DEus, non distat à DEO vllo modo, nec natura, nec iustitia, proinde non vt DEus, sed vt Homo, iustus Mediator est inter DEum & homines peccatores. Audi etiam Christiane de SACERDOTIO Christi, qui tam à Propheta quâm ab Apostolo proprie vocatur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Multis quidem rationibus, sed hæc sufficiat Christiano, quia sicut Melchisedech obtulit Panem & Vinum. Gen.14. Ita Christus suam Carnem & Sanguinem sub speciebus Panis & Vini. Hinc S. Hieron. ad Marcellan. *Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem inueniens, qui iam tum in typo Christi, Panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit.* Et S. Cyprianus lib. 2. Epist: 3. *Melchisedech Sacerdos DEI summi fuit, quòd Panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos DEI summi quàm Dominus noster IESVS Christus, qui Sacrificium DEO Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est Panem & Vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* SI QUÆRAS. An vt homo tantum, vel vt DEus tantum, aut vtroq; modo fuerit Sacerdos? ℞. Lutherani & Caluinistæ vtroq; modo volunt. Tu verò Christiane dicito ipsum fuisse Sacerdotem secundum humanam duntaxat naturam: nam sacrificium superiori naturæ offertur, Christus vt DEus cùm non habeat superiorem, æqualis Patri per omnia, cui vt DEus obtulit sacrificium? *Ps. 109. Hebr. 5.*

DICES. Conuenientius erat Christum dici Sacerdotem secundum ordinem Aaron, quàm secundum ordinem Melchisedech, cùm enim Sacerdotium Aaronicum propinquius erat Christo vtpote in lege, remotius verò Melchisedech quod fuit ante legem; expressius etiam significabat Christum atq; eius in cruce sacrificium, cur itaq; non secundum ordinem Aaron sed secũdum ordinem Melchisedech Sacerdos dicitur? Verum quidem est, quoad oblationem Sacerdotiũ Aaron expressiùs significabat Sacerdotium Christi, quàm Sacerdotium

Mel-

Melchiſedech, quia in Sacerdotio Aaronico ſanguis fuſus non in Melchiſedechiano. Quia tamen excellentia Sacerdotij Chriſti maximè attenditur in effectu & participatione, quam expreſſiùs præfigurabat Sacerdotium Melchiſedech, qui offerebat Panem & Vinum ſignificantia vnitatem Eccleſiaſticam, quam conſtituit participatio Sacrificij Chriſti: vnus enim Panis & Vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno
1. Cor. 10. Auguſt. Tract. 26. in Ioan. Ex multis granis vnus Panis conficitur &c. Pane participamus: ideo Sacerdos Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech. & non ſecundum ordinem Aaron. Æternùm etiam dicitur Secerdotium Chriſti, ſiue ideo quia ipſi aliud non ſuccedit, ſiue quia conſummatio ſacrificij eius manet in æternum, bona etiam æterna per hoc ſacrificium conſequimur. Et hoc docet Apoſtolus in ſua ad Hebr. epiſtola. *Si*
Hebr. 7. *enim*, inquit, *conſummatio per Sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, Dominus & Saluator noſter, paſſim à turbis etiam ipſis Pròpheta vocabatur. Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Et poſt ingreſſum Ieroſolymam populi clamabant.
Matth. 21. *Hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.* Ioan. 6. *Hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum.* Moyſes quoq; prædicens Iu-
Deut. 18. dæis aduentum eius dicebat. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus tuus.* Eo vſque Propheta, vt omnia Prophetarū fuerit executus officia. Si enim officium fuit Prophetarum inſtruere populum, hoc fecit Chriſtus, Marc. 1. *Sabbatis ingreſſus in Synagogam docebat eos.* Luc. 4. Ipſe docebat in Synagogis eorum, Matth. 26. ipſe dixit. *Quotidie eram apud vos docens in templo.* Sed & arguere peccata munus erat Prophetarum ſicut Nathan arguebat Dauidem adulterij & homicidij: Chriſtus verò Scribas & Phariſæos hypocriſis arguebat frequenter. Futura etiam prædicebant Prophetæ ſiue bona ſiue

siue mala: bona in consolationem Israël. Isai. 14. *Prope est vt veniat tempus eius*: mala propter scelera populi, Ierem. 1. *Ab Aquilone pandetur malum super habitatores terræ.* Hoc fecit Christus, futuram suam passionem & mortem prædicebat, resurrectionem ascensionem & Ierosolymorum euersionem. Tandem occulta agnoscebant, sicut Daniel occultum somnium Nabuchodonosor. Et Christus videbat occultas cogitationes. Sed *Daniel. 2.* *Matth. 9.*

OPPONES. Quomodo Christus Propheta fuisse dicitur, cùm semper fuerit beatus, & Prophetia beatis non conuenit: alia est enim cognitio Prophetica, alia perfecta quæ est beatorum, Prophetæ enim è longè aspiciunt, beati ex propinquo iuxta illud. 1. Cor. 13. *Et parte cognoscimus & ex parte prophetamus, cùm autem venerit id quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* ℞. Fuit Christus beatus simul & viator, sed Propheta, non quâ beatus sed qua viator, & hic status vterq; conueniebat ei ante passionem. Et quia Christus quatenus caput omnium habet perfectionem omnium gratiarum vt homo, in eo enim tanquam in fonte omnium gratiarum concurrunt omnia, cùm alij tantum particulatim habeant, ideo non solum Propheta, sed rex etiam fuit, & hoc titulo passim à turbis salutabatur. Luc. 19. *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*, Et Ioan. 12. *Rex Israel.* de eo percontabantur Magi. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Et hæc erat de eo publica fama, ex qua Pilatus Ioan. 18. interrogat. *Tu es Rex Iudæorum?* Et quamuis vt DEUS vnus est Dominus, vnus Rex cum Patre & Spiritu Sancto, verùm etiam vt homo *Rex regum & Dominus dominantium.* Rex à Patre constitutus: terrenum tamen & temporale regnum administrare noluit, qui Pilato respondit. *Regnum meum non est de hoc mundo.* de quo August: Tract. 50. in Ioan. *Quid magnum fuit Regi seculorum, regem fieri hominum? non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesq; visibiliter debellandos, sed Rex Israël quòd mentes regat, quòd* *Apoc. 19.* *Psal. 2.*

Q in

in æternum consulat, quòd in regnum cœlorum credentes, sperantes amantesq; perducat. Rursum

QUÆSIER. Si Christus fuit Rex, simul Iudex, quia iudicium ac potestas consequitur regalem dignitatem. Christus noluit esse iudex, Luc. 12. cuidam de turba interpellanti. *Dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem*, Dominus respondit. *Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* ℞. Regis est iudicare, sicut autem Christus noluit temporale regnum administrare, ita iudiciariam potestatem noluit super res temporales exercere, qui venerat homines ad diuina transferre. Hinc Ambr. lib. 7. in Luc. *Benè terrena declinat, qui propter diuina descenderat, nec iudex dignatur esse litium & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumq; iudicium arbitriumq; meritorum.* Et ex hoc

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Iudicem tuum Christum agnosce, ipse enim
Act. 10. est, *qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum*; qui nunc sedens ad dexteram Patris iudicium particulare cum singulis animabus de corporibus egressis peragit, in fine verò & consummatione seculi vniuersum genus humanum iudicabit, quem Ecclesia in Missa pro defunctis deprecando interpellat. *Iuste Iudex vltionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.*

QUÆSIER. Quomodo Iudex venit, qui Ioan. 3. d. *non se missum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum?* ℞. Christus in primo aduentu suo non exercuit officium iudicis sed saluatoris, tamen ad iudicium venit in mundum. Ioan. 9. vt secundum humanitatem iudicet, tùm vt suauius sit iudicium hominibus, cùm per hominem iudicantur, tùm vt in illo iudicio finali, per hominem suscitentur corpora, sicut per DEUM suscitantur animæ, tùm vt iudicandi videant iudicem,
Ioan. 5. & ideo Pater *omne iudicium dedit Filio.*

QUÆ-

QUÆSIER. Iterum si omne iudicium delatum est Filio, num iudicabit Pater? ℟. Potestas iudiciaria quæ est communis toti Trinitati, attribuitur Filio per quandam appropriationem. Ratio enim Iudicij est lex sapientiæ & veritatis, secundum quam iudicatur, & quia Filius sapientia genita & veritas à Patre procedens atq; ipsum perfectè repræsentans, ideo ipsi proprie iudiciaria potestas tribuitur. Tùm vlteriùs quia secundum legem iudicium fieri debet, Christum esse Legislatorem cap. 33. Isaias proclamauit, *Dominus Iudex noster Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Apostolus quoq; dicit, *Vnus est Legislator noster.* Nam vt Moyses legis antiquæ lator fuit, ita nouæ Christus; lex eius, sunt mandata. Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem,* Cap. 14. *Mandata mea seruate.* Atq; legis latæ à Moyse sicut sunt mandata triplicia, alia moralia, alia ceremonialia alia iudicialia, ita legis latæ à Christo, alia moralia, *Diligite inimicos vestros;* alia fidei, Ioan. 14. *Creditis in DEVM? & in me credite;* alia Sacramantalia, quibus Sacramentorum essentialia statuebat. *Iacob. 4.* *Matth. 5.*

QUÆSIER. Quomodo Christus Legislator cùm præcepta legis non tulerit? iam enim ante ipsum, lex etiam Decalogi lata fuit cum suis præceptis morabilibus ad quæ etiam spectant præcepta fidei, cùm in primo Decalogi credenda statuantur? ℟. Verum est quidem, tàm moralia quàm fidei præcepta ante Christum erant constituta, sed quæ implicite erant constituta, ea planiùs & explicatiùs proposuit, vt merito Legislator sit appellandus.

CATECHESIS IV.

DE OPEPIBVS SALVATORIS.

OPera Saluatoris dicimus, quæ propter salutem nostram, Saluator & instructor noster operatus est: & hac in tribus

potissimum consideramus: in vita ipsius, in doctrina, in miraculis, atq; hæc tria in ista Catechesi proponuntur.

I. Qualis vita Saluatoris nostri?

II. Quæ eius Doctrina?

III. Quæ miracula & ad quid ordinabantur?

QVANTVM AD PRIMVM.

Daniel. 9. CHristiane, Contemplare Sanctitatem vitæ Saluatoris, quem audis esse Sanctum Sanctorum, admirare & quan-
Rom. 8. tum potes imitare: qui in hac similitudine Carnis peccati & magna miseria annis circiter triginta tribus versatus est DEI Filius: patienter incommoda plurima tota vita tolerans, humilitatis, veritatis, mansuetudinis, iustitiæ atq; pietatis, virtutumq; omnium perfectum exemplar conuersatione exhibuit. Ac primò quidem, anno trigesimo in Iordane à Ioanne baptizatus fuit, non quidem ad suam indigentiam, sed ad nostram eruditionem. Non inquam ad suam indigentiam, cùm sanctissimus ac mundissimus esset dicente Ambrosio. *Baptiza-*
in Luc. lib. 2. *tus est*, inquit *Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Christi quæ peccatum non agnoscit, baptismatis vim haberent.* Ad nostram ergo eruditionem & carnalis naturæ nostræ indigentiam baptizari voluit. Tùm vt ostenderet baptismum Ioannis à DEO fuisse, ait Beda in Marci Cap. 1. *Baptizatus est*, inquit, *Dominus baptismo Ioannis, vt baptismo suo baptismum Ioannis comprobaret.* Tùm vt doceret nos humilitatem, ne in suscipiendis Sacramentis discrimen inter ministros faciamus, cùm ipse ab inferioris longe sanctitatis ministro baptizari non detrectârit, & vt nos admoneret ad suum recipiendum baptismum, ideo facere voluit quod alijs faciendum imperauit, ait August. propterea Ioanni baptizare recusanti respon-
Serm. de Epiph. dit. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*: quod exponens Am-

brosi.

brof. d. *Hæc eſt iuſtitia, vt quod alterum facere velis, prior ipſe incipias & tuo alios horteris exemplo.* In Iordane Baptizatus, vt oſtenderet per ſuum baptiſmum patere ingreſſum terræ promiſſæ: id eſt regni cœlorum, quod non alius ingreditur niſi baptizatus; figurabatur autem hoc in Iordane, quem tranauerunt Filij Iſraël ingreſſus in terram promiſſam. Verùm nec iſtud vacat myſterio, qùod trigeſimo anno baptizari voluit, qui enim perfecta ætate baptizatus eſt, docet ſuo baptiſmo regenerari viros perfectos, vnde & Apoſt. dicit *nos in reſurrectione occurſuros in virum perfectum, ſecundùm menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Quòd vero trigenariò numero hæc prefectio figuretur, oſtendit S. Thom. 3. p. q. 39. art: 3 c. f. conſurgit enim trigenarius ex ductu ternarij in denarium, in ternario perfectio fidei SS. Trinit. in denario perfecta, impletio mandatorum legis. Poſt baptiſmum Dominus noſter ductus in deſertum à Spiritu Sancto, ibi quadragenarium abſoluit, atq; noſtras tentationes ſuis tentationibus ſuperauit, noſq; contra tentationes pugnare inſtruxit, Quod Auguſt. lib. 4. de Trin. cap. 13. exponit. d. *Quod Chriſtus ſe tentandum diabolo præbuit, vt ad ſuperandas tentationes eius mediator eſſet, non ſolùm per adiutorium, ſed etiam per exemplum.* Nec prius tentari voluit quàm ieiunauit, vt doceret ieiunium eſſe arma contra tentationes. *Hoc enim genus in nullo poteſt exire, niſi in ieiunio & oratione.* Ieiunauit ergo Dominus non ieiunio indigens ſed nos inſtruens, ait Chryſoſt: *Pauperem vitam Dominus duxit, vt doceret in patientia & laboribus cœleſtes theſauros quærere Pauper ſum inquit & in laboribus à iuuentute mea.* Conuerſabatur cum turbis, quoq; ſe ab eis ſubtrahebat: conuerſabatur vt lucrifareret omnes, qui venit quærere & ſaluum facere quod perierât. Subtrahebat ſe. Matth. 5. *Videns turbas aſcendit in montem,* Ioan. 4. fecit, quod Chryſoſt. Homil. 15. ponderans. d. *Quòd non in ciuitate & foro, ſed in monte & ſolitudine ſedit, erudicauit nos nihil ad oſtentationem facere.* Reliquum vitæ Domini & Saluatois noſtri eſt exemplar noſtræ

Matth. 3. in Luc.
Marc. 16.
Ioan. 3.
Epheſ. 4.
Marc. 9.
Homil: 13. in Matth.
Pſal. 87.
Luc. 19.

perfectionis, nam suis exemplum dedit, vt quemadmodum il-
Ioan. 13. le fecit, ita ipsi quoq; facerent. Hic Christianus à Catechista.

QVÆRET. Cùm perfectior sit vita contemplatiua quàm actiua, & tanquam optima pars in Maria commendata, cur Christus actiuam vitam, non in solitudine manendo sed sed cum hominibus conuersando agebat? ℟. Hoc indigebat salus hominum propter quam ille venit in mundum; deinde vita contemplatiua perfectior est quàm vita actiua quæ occupatur circa actus corporales, vita tamen illa actiua, quæ occupatur circa Spirituales actus vt docendo alios, perfectior est quam illa vita contemplatiua, quæ solùm contemplatur, quia vita actiua docens præsupponit & includit multam contemplationem. Deinde hanc & non solitariam elegit Christus, vt ostenderet se DEUM esse & hominem: nam conuersando cum hominibus, ostendit se esse hominem; prædicando verò, docendo & miracula faciendo manifestabat suam diuinitatem.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, quoniam Christus vt magister & Doctor fuit missus, ita enim Isai. 30. ℣. 20. Cap. 55. ℣. 4. Ioan. 3. ℣. 2. exordium doctrinæ eius fuit de pœnitentia, Matth. 3. Cæpit IESUS docere & prædicare, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Docuit virtutes, peccata arguebat; regnum cœlorum iustis, supplicia æterna iniquis esse præparata, ex lege Moysi & Prophetis. Iudæos autem in primis cæpit docere idq; ob multas congruentias; tùm vt impleret promissiones ex antiquo factas Iudæis. Hinc Apost. Rom. 15. *Dico autem Christum IESVM ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*, q. d. ideo Christus prædicauit Iudæis & minister fuit Euangelij (qui hîc per Synecdochen circumcisio appellantur) vt veritas DEI manifestetur & confirmetur, in exequendis promissionibus

factis,

factis, tùm quia ordo ipse expofcebat vt prius euangelizaret ijs qui propinquiores erant DEO per fidem & cultum vnius DEI, vt postea per illos ad Gentes doctrina illius transferretur, ad similitudinem Hierarchiæ cœlestis, in qua per superiores & proximiores DEO Angelos deueniunt reuelationes diuinorum ad inferiores: tùm ne haberent Iudæi occcasionem querulandi contra ipsum, se ad Gentes prius & Samaritanos prædicationem conuertisset: & ne diceretur, nihil dederat populo Iudæorum vnde poterat melior fieri, vt ait Ambros. sed quia Iudæi oderant salutem communem omnium, publicè Dominus eorum vitia & errores arguebat, tùm quia resistebant doctrinæ Christi, per quam solam poterat esse salus, tùm quia prauis suis operibus scandalo erant populis Matth. 23. eis dicebat. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Et vltra *Væ vobis qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum Filium gehennæ duplo quàm vos:* & alia plurima vitia eorum exprobrabat illis. Amplius quia nouerat Dominus vitia eorum & supinam malitiam, qui calumniaturi erant doctrinam illius si in occulto doceret, quemadmodum fecerunt non semel, potissimum verò tempore passionis eius criminati sunt doctrinam eius coram Pilato dicentes. *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram.* Et, *Commouit populum docens per vniuersam Iudæam,* ideo Dominus publicè & palam docebat, vt ostenderet doctrinam suam immunem ab omni errore & immunditia. Nam qui errores & immunditias docent, in occulto docent. Quare immunem coram Anna Pontifice ab omni suspicione suam doctrinam Dominus probauit dicens. *Ego palam locutus sum mundo ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Sed

Lib.4. in Luc.

Luc. 23.

QUÆSIER. Cur Christus doctrinam suam non scripsit, quæ imprimeretur in cordibus nostris, sicut Prophetæ scripserunt,

nam ſcriptura eo fine ordinatur, vt doctrinam relinquat & imprimat in cordibus diſcentium? R. non conueniebat vt Chriſtus doctrinam ſuam ſcripto commendaret; tàm enim excellens doctrina eius fuit, vt nullis literis comprehendi poſſet, Ioan. cap. 21. dicitur. *Sunt multa alia quæ fecit IESVS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum poſſe capere eos, qui ſcribendi ſunt libros*; id eſt capacitate legentium illi libri comprehendi non poſſent, vt Tract. 124. in Ioan. exponit Auguſt. Et ſi ſcripſiſſet nihil altius homines de doctrina eius opinarentur, quàm quod in libris legerent. Poſtremò non ſcripſit Dominus doctrinam ſuam propter noſtram eruditionem vel potiùs admonitionem, vt ſciamus non omnia quæ ad noſtram ſalutem ſunt neceſſaria, ſcripta eſſe, plurima eorum in penu Eccleſiæ docentis & verbum DEI annuntiantis recondita eſſe.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, ad confirmationem doctrinæ ſuæ, & diuinitatis oſtenſionem, cæpit Chriſtus in Cana Galileæ virtute diuinitatis ſuæ miracula facere. Si autem non piget attendere, fecit miracula circa ſubſtantias Spirituales, quando Spiritus immundos eijciebat: quod prædictum erat Zachar. 13. *Spiritum*, inquit, *immundum auferam de terra* Ioan: 12. compleuit, *Nunc iudicium mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Act. 10. Petrus de illo. *Pertranſit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Matth. 8. *Eijciebat ſpiritus verbo*: & alia innumera. Fecit miracula circa corpora cœleſtia, tempore ſcilicet paſſionis ſuæ, quando tenebræ factæ fuerunt ſuper vniuerſam terram, quia obſcuratus fuit ſol, de quo Chryſoſt: Homil: 89. in Matth. *Hoc eſt*, inquit, *ſignum, quod petentibus promittebat dare dicens. Generatio praua & adultera ſignum petit.* Fecit etiam circa homines, tùm leproſos mundando, tùm infirmos ſanando, & ex poteſtate diaboli liberando, tùm etiam mortuos ſuſcitando. Fecit deniq; in omnibus creaturis, panes enim multi-

Ioan. 2.

multiplicauit, aquam in vinum conuertit, & alia sine numero, quibus veritatem doctrinæ suæ confirmauit. Ea enim quæ fidei sunt, humanam rationem excedunt, nec possunt per rationes humanas probari, oportet vt probentur per argumenta diuinæ virtutis, de quibus Ioan. 10. Iudæis dixit, *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Duo verò ista de Christo credenda, vnum quòd DEus esset in eo, non per gratiam adoptionis, in quo errauit Nestorius, sed per gratiam vnionis, Coloss. 2. *In ipso inhabitabat plenitudo diuinitatis corporaliter*; id est per vnionem diuinitatis cum carne humana in Persona Verbi. Alterum quòd doctrina eius supernaturalis esset à DEO: & hoc vtrumq; manifestant miracula à Christo facta, de quibus. 1. Cor. 14. Signa data sunt infidelibus: eo scilicet fine, vt per ea tanquam per motivum sufficiens ad fidem conuerterentur. Signa enim & miracula inducebant ad fidem, & confirmabant exteriùs in fide eos, qui aliâs increduli fuissent, ob id Regulo Ioan.4. dictum. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*. Et quia Humanitas Christi erat instrumentum Diuinitatis, opera quæ faciebat, diuinæ solius erant virtutis: peccata enim dimittebat, & mortuos suscitabat. *Pater*, inquit, *in me manens ipse facit opera*. Sed aliquis Catechistæ. *Ioan. 14.*

DICET. Christuscùm sit DEus & homo, venit vt saluaret homines per fidem: perfecto igitur modo saluare debuit, quia DEI perfecta sunt opera. Saluare & inducere homines ad fidem per miracula est modus imperfectus, fides enim per miracula concepta diminuit, immò amittit meritum. ℞. Tametsi modus minus perfectus sit, fidem ex miraculis & per miracula conciliare, tamen meliùs est vel sic credere, quam non credere. Neq; etiam semper miracula diminuunt meritum fidei, sed in ijs duntaxat qui ita duri sunt, vt nolint alia via nisi per miracula, fidei colla subijcere.

CATECHESIS V.

DE TEMPORE INCARNATIONIS.

OMnia tempus habent, dicit Ecclesiastes cap. 3. DEus definiuit tempora omnibus quæ fuerunt, sunt & venient, cùm sit causa omnium vniuersalis, gubernat & disponit omnia per tempora, vnde & Filium suum misit in salutem humano generi in plenitudine temporum, de cuius aduentus tempore præsens Catechesis. In qua Catechista tria ad considerandum Christiano proponet.

Gal. 4.

I. Cur non à principio mundi Verbum Caro factum?

II. Cur Incarnatio non est dilata ad finem mundi?

III. Quàm ordinatè hoc tempore Filius DEI Incarnatus?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, considera cur non ab ipso mundi exordio, vel illico post Adæ peccatum, DEus Filium suum in Carnem misit? æterna enim DEI sapientia omnia suis spatijs, modis & temporibus distribuit. *Attingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia suauiter*. Non ante peccatum, quia Incarnatio principaliter ordinata fuit ad reparationem lapsæ humanæ naturæ, & corruptæ per peccatum, tanquam medicina contra infirmitatem. Non ergo conueniebat medicinam dari nisi ægrotanti, iuxta illud Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*. Neq; etiam statim post peccatum id ipsum fieri conueniebat, ob certas congruentias. Primò: Cùm enim sit *magnum Sacramentum absconditum à sæculis in Deo*, conueniebat mul-

Sap. 8.

Ephes. 3.

multo ante tempore prædici & præfigurari priusquam fieret, vt cum maiori affectu & deuotione ab hominibus susciperetur. Hinc August. Tract: 31. in Ioan. *Multi dicunt, cur non ante venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora.* Sciebat enim quando venire deberet, primò per multam seriem temporum & annorum prædicandus erat, non enim aliquid paruum venturum erat, diu fuerat prædicandus, semper tenendus. Quanto maior Iudex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat. Deinde conueniebat vt homines ad hoc mysterium longe ante disponerentur, cum per legem naturalem & Mosaycam, tùm per agnitionem propriæ infirmitatis. Nam sub lege naturali relictus homo libertati arbitrij sui, cognouit defectum, quo agnito clamabat ad medicum & gratiæ quærebat auxilium. PRÆTEREA, si ex principio mundi Verbum caro factum fuisset, fides feruorem suum iam hactenus amisisset, sicut hoc millenario magna iam ex parte tepuit; & in fine mundi vix inuenietur, vt ipse Dominus prædixit. Luc. 18. *Filius hominis veniens putasne inueniet fidem in terra?* Magno ergo DEI consilio factum est (ait Gloss. Ord. in cap. Gal. 3.) vt post hominis casum, non illicò Filius DEI mitteretur.

QUÆRIT Christianus, cùm Incarnatio propter salutem hominum ordinata sit, nonne plures salui fuissent si ab initio Filius DEI carnem assumpsisset? ℞ Verum est, sed quis sapientiæ & bonitati DEI modum ponet? cuius viæ vniuersæ misericordia & veritas, & sapienter disponit omnia. Hinc August: in lib. de bono perseuerantiæ cap. 6. assumptis verbis Apostoli. Rom. 9. *Non est volentis, neq; currentis sed Dei miserentis.* *Qui his,* inquit, *quos præuidit miraculis suis credituros, quibus voluit subuenit, alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud iuste iudicauit.* *Psal. 23.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, etiam hoc considera. Verbi DEI Incarnationem non esse dilatam vsq; ad finem mundi sicut temere & friuolè Iudæi hactenus sui Messiæ præstolantur aduentum. Nec enim conueniens erat ad vltimam ætatem istud differri mysterium. Etenim in hoc magis manifestatur diuinæ virtutis magnitudo, quæ pluribus modis homines saluat: nunc per fidem futuri, vt ab initio mundi vsq; ad aduentum, Patriarchæ & Prophetæ per fidem venturi saluati sunt: nunc per fidē præsentis, vt Apostoli & alij viri Apostolici salutē sunt consecuti: nunc per fidē præteriti (quamuis *qui heri idem & hodie*) nos vsq; ad consummationem seculi, *in quem nunc quoq; non videntes credimus.* DEINDE Verbum DEI Incarnatum, est causa efficiens perfectionis humanæ naturæ in gratia, *nam de eius plenitudine omnes nos accepimus* gratiam pro gratia, non ergo decuit differri vsq; ad finem mundi. PRÆTEREA, Si hæc dilatio facta fuisset, cognitio DEI penitus extincta fuisset; iam enim & lex naturæ, quæ notitiam DEI aliquomodo ingerit, iuxta illud Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est illis*: & lex scripta reijciebatur. itaq; misericors DEUS Filium suum misit, qui data omnibus remissione peccatorum, DEO Patri illos iustificatos offerret. Hic plenam notitiam DEI, per fidem dedit mundo. Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* id est, nomen DEI in Vnitate Trini aperuit. Ioan. 17. *Pater manifestaui Nomen tuum hominibus*, q. d. ait August: *Non id nomen quo vocaris Deus meus, sed quo vocaris Pater meus.* Hinc S. Thom: 2. 2æ. q. 2. art. 8. 2m. *Ante Christi*, inquit, *aduentum fides Trinitatis erat occulta in fide maiorum, sed per Christum manifestata est in mundo.* Christianus solers ex Catechista.

Hebr. 13. · 1. Petr. 1. · Ioan. 1. · Tract. 106. in Ioan.

INDAGAT. An non potuit sufficienter consuli saluti humanæ per aduentum in fine mundi, vt quid necesse fuit DEI Filium longè ante mundi consummationem Incarnari? ℞. Aduentus

uentus qui expectatur in fine mundi, erit iudicij, quem necesse erat præuenire aduentu misericordiæ. *Duo enim isti aduentus Christi* ait Chrysost. *Primus vt remittat peccata, secundus vt iudicet mundum.* Si enim hoc non fecisset, vniuersi perditi fuissent: *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Et quamvis duplex iste aduentus distinctè fuerit in scripturis prædictus, Iudæi tamen perperam vtriusq; opera, in vnum confundunt. Homil. 27. in Ioan. Rom. 3.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, hic iam vides quàm congruè & ordinatè Filius DEI carnem suscepit, eo videlicet tempore, anno à mundo condito ferme 3950. ita DEus in sua æternitate nostrorum temporum momenta ordinauerat, à quo omnia ordinata sunt. Non enim conueniebat, vt iam audisti in principio mundi fieri, non etiam in finem differri, sed quasi in medio temporum, vt Abacuc 3. d. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* DEINDE. tunc quodlibet negotium opportunissimè exercetur, cùm eius maxima est indigentia: Incarnandi Verbi DEI, & aduentus Christi; tunc maxima fuit ingigentia quando venit: iam enim vt dixi, & lex naturæ & lex scripta, quæ *nihil ad perfectum potuit adducere*, penè abolita fuit. Quare *cùm multis modis olim Deus locutus fuerit in Prophetis, nonissimè locutus est in Filio.* Deniq; ait August: Tract: in Ioan. *vbi venit plenitudo temporis, venit & ille qui nos liberaret à tempore, liberati enim à tempore, venturi sumus ad libertatem illam, vbi non est tempus, nec dicetur ibi quando veniet hora, dies est enim sempiternus, qui nec præceditur hesterno, nec excluditur crastino.* Quare obserua Christiane contra Iudæos, iam tunc impleta esse tempora aduentus Messiæ Christi, de quo prophetia Iacob Patriarchæ. Gen. 49. dicentis: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*: iam autem tunc ablatum erat sceptrum de Iuda, cùm Herodes alienigena dominaretur. Vnde Chrysost: Homil. 2. Rom. 13. Hebr. 7. Hebr. 1.

Oper. imperf. *Quamdiu gens Iudæorum sub Iudaicis regibus quamuis peccatoribus tenebatur, prophetæ mittebantur ad remedium eius; nunc autem quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, nascitur Christus, quia magna & desperabilis infirmitas, medicum artificiosiorem quærebat.* Idem protestantur illæ hebdomadæ Daniel. 9. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* DENIQUE, vniuersæ gentes ab ortu solis ad occasum, ab Austro ad Aquilonem Messiam, hunc IESUM à Nazareth agnoscunt, simulacra etiam Ægypti corruerunt Isai. 19. quod pro firmo & euidenti argumento habendum est. Sola gens perfida Iudæorum in prauitate obcæcata negat. Pro complemento.

QUÆRIT Christianus, tempus quo DEI Filius factus est homo, cur nouissimum appellatur, ait enim Apostolus. *Filioli nouissima hora est*, cùm iam sint aliquot centena annorum & nondum est nouissima dies ne dicam hora? ℞. Totum hoc tempus ab aduentu Christi vsq; ad consummationem seculi nouissimum appellatur, his de causis. Primò quia hoc tempore data est lex gratiæ. Ioan. 1. Gratia & veritas per IESUM Christum facta est, quæ lex est vltima, cui iam non succedit alia. Deinde hoc tempore completæ sunt omnes prophetiæ, & quidquid à DEO prædictū est. Tandem hæc est vltima ætes mundi, quæ *vespera mundi* ab Origene appellata est: dicta & *senectus* ab Augustino. Gregorius etiam Homil. 1. in Euang. *Senescentem nunc mundum* vocat.

Homil. 8. in Iosue lib. 1. de Gen. c. 23.



SECVN-

PARS SECVNDA ARTICVLI

CATECHESIS VI.

DE CHRISTI NATIVITATE.

NUntium istum, cum Iubilo, pastoribus ante omnes, Angeli attulerunt, vt recitat Euangelista Luc. 2. *Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus, Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Magnum gaudium quia post magnam & diuturnam tristitiam, in expectatione redemptionis per aduentum & natiuitatem promissi Messiæ, cuius accelerari missionem expetebat Moyses Exod. 4. *Obsecro*, inquit, *Domine mitte quem missurus es.* En post vota & desideria longa iustorum. *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis*, Isai. 9. Quare cùm recitas verba Symboli Apost: Christiane. *Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine*, vel vt Patres Nicæni dicunt: *Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine & Homo factus est*; in hac secunda parte articuli tertij, de ipsa natiuitate Domini & Saluatoris nostri, mens tua & cogitatio debet occupari. atq; in præsenti Catechesi tria tibi consideranda proponuntur.

I. Quòd duæ sunt natiuitates Christi.

II. Circumstantias temporalis Natiuitatis perpendes.

III. Conuenientiam Natiuitatis ex Virgine considera.

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, quia iam supra & didicisti & confessus es duas naturas in Christo, diuinam & humanam, confitere duas etiam eius natiuitates, vnam æternam, aliam temporalem, ita enim Damascen. lib. 3. c. 7. *Confitemur duas Christi natiuitates, vnam quæ est ex Patre æternam, & vnam quæ est in vltimis temporibus propter nos.* Similiter Ambrosius lib. 2. in Luc. c. 2. *Duæ sunt in Christo generationes, vna est paterna, materna altera, paterna illa diuinior, materna quæ in nostrum vsum & laborem descendit.* Vtriusq; proprietates explicat Magr: sent: lib. 3. dist. 8. Et de æterna quidem natiuitate Christi, qua ante omnem creaturam ex substantia Patris genitus est, plurimæ scripturæ loquuntur. Psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te:* id est in æternitate, in qua semper hodie, quia nihil transit in præteritum, nec in futurum expectatur, ait Aijguan. in hunc locum. Et Psal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te,* Gloss. *ex occulta & secreta substantia mei, genui te ineffabiliter.* Et quod dicit ante Luciferum, intelligendum ante omnem creaturam & omnia tempora, Prou: 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio:* possedit id est genuit, cui similis illa phrasis Gen. 4. *Possedi hominem per Deum.* Mich. 5. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis eius.* Ioan: 8. *Ego ex Deo processi.* Temporalis verò natiuitas Christi ex Virgine Matre, de qua homo factus est, in isto tertio articulo explicanda. Et quidem DEI Filius temporaliter natus ex Virgine, *propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de cœlis,* non mutatus loco, sed apparens in carne, humanitatem sibi nostram in vnitatem Personæ suæ vniuit, processit ex Virgine, atq; hoc modo carnaliter secundum tempus natus est. Et qui ab æterno erat DEI Filius, natus est ex Virgine, vt idem esset hominis quoque Filius, bis natus: semel in æternitate, semel in tempore. Sed hic Catechismus Parochorum

causam inuestigat, cur Christus ex Virgine natus, dictus sit ab Apostolo nouissimus Adam? ita enim 1. Cor. 15. *Factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in Spiritum viuificantem*: Cuius analogiæ festina ratio datur, tùm quia sicut in primo Adam omnes homines moriuntur, ita in nouissimo omnes ad vitam reuocantur. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur ita in Christo omnes viuificabuntur: tùm quia sicut Adam quoad naturalem conditionem, humani generis parens fuit, ita Christus gratiæ & gloriæ Author: tùm denique quia sicut Adam factus est in animam, id est anima seu animal, viuens vita sensitiua & vegetatiua, cibo potu & alijs fomentis indigens; ita Christus post resurrectionem factus est in Spiritum vivificantem, habens animam gloriosam, quæ instar Spiritus viuifici corpus viuificaret, illudque redderet Spirituale, cibi expers, impassibile, immortale. Hic sagax Christianus ex Catechista. *Ioan. 1. 17. Gen. 2. 7.*

QUÆRIT. Quia vnam Personam & duas Naturas in Christo confitemur: & secundum istas naturas duas natiuitates, cui natiuitatem potiùs tribuere debeo, Naturæ an Personæ? ℟. Quia per Incarnationis mysterium diuina Persona incepit esse in humana natura, natiuitas propriè competit personæ in humana natura vt subiecto, seu vt ei quod nascitur, ait enim Damasc. lib. 3. c. 6. *Natiuitas hypostasis est non naturæ.* Quia verò terminus generationis seu natiuitatis est forma, natura autem per modum formæ significatur, ideo natiuitas dicitur esse via, motus & tendentia ad naturam, tanquam ad terminum. Et hoc modo natiuitas tribuitur naturæ vt termino, terminatur enim naturæ intentio ad formam seu naturam speciei. *Natiuitas seruit* Personæ vt subiecto Natura vt termino.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, considera circumstantias & qualitates natiuitatis Christi. In primis quidem quia sine omni dolore San-

ctissimæ Matris natus, vt de ea impletum fuerit illud. Isai 55.
3.p.q.35. a.6. *Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda.* Gaudium Virginis in partu ponderat Amadæus Homil. 4. de laudibus Virginis. d. *Lingua balbutit, cor refugit, sensus expavescit ad pondus tanti gaudij. Ipsa Virgo absq; vlla obstetricum opera, puerum IESVM pannis inuoluit,* ait S. Hieron. contra Heluidium. *Angelos in ministerio Virgo habuit, qui, sicut in deserto post victum Satanam mi-*
Matt. 4. *nistrabant ipsi Christo; ita circa natiuitatem eius ministrabant Virgini, qui etiam in manibus Virginis infantem posuerunt,* & plura alia vt re-
Homil. 9. fert Cartagena. Natus Saluator noster in multa paupertate egens, nempe vt te Christiane diuitem in Spiritu faceret. 2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, vt illius in opia vos diuites essetis.* Natus in diuersorio vt peregrinus, non in proprio, qua de causa *vagus* Ierem: 14. appellatur, quod ponderans Gregor. d. *Non in parentum domo, sed in via nascitur, vt profecto ostenderet, quia per hu-*
1.Paral.c.29. *manitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Inde
15. tu disce Christiane, te quoq; hic peregrinum esse, *non enim hic*
Hebr. 13. 14. *habemus manentem ciuitatem.* Sive ideo peregrè nasci voluit, & in viæ transitu, vt nos per viam veritatis ad patriam nostram
3. Reg. 8. reduceret, vt Euthymius explicat. Natus in vili præsepio & angusto collocatus, cuius est vniuersus orbis terræ atq; cœlorum amplitudo, quem neq; cœloru, aut cœli cœlorum capere possunt. Hinc Beda in Catena S. Thomæ. *Duri præsepij angustia continetur cui cœlum sedes est, & nos per cœlestis regni gaudia dilatat, qui panis est Angelorum in præsepio reclinatur, vt nos quasi sancta animalia carnis suæ alimento reficeret.* Natus media hyeme,
q.35.a.8. 3m. vt ex tunc carnis pateretur afflictionem pro nobis, ait S. Thomas. Tu quoque Christiane per imitationem paratus esto pati
Rom. 5. aduersa, quia *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Mortifica tu-
Rom. 8. as passiones, quia *si secundùm carnem vixeritis*, ait Apostolus, *moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et alibi:

alibi: *Abstinete vos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.* Natus media nocte, quia lux est, illuminans noctis tenebras. In q. q. novi testamenti, q. 53. August. d. *Tunc Christus nasci voluit quando lux diei crementum accepit, vt ostenderetur quod ipse venerit vt homines crescerent in lucem diuinam.* Natus est tempore pacifico, quia vt dicit Beda. *Augustus Cæsar quando natus est Christus duodecim annis ante natiuitatem eius in pace regnauit*, quod prædictum erat Isai. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, quia princeps est & amator pacis*, vt idem Beda ponderat. *Pacatissimo*, inquit, *tempore nascitur Christus, quia pacem quærere venit, & pacis sectatores inuisere dignatur.* Sed hic Christianus. 1. Petr. 2.

QUÆRIT. Cur Christus non est natus in Ierusalem siquidem Isai. 2. d. *Verbum Domini exibit de Ierusalem?* ℞. in Bethlehem nasci voluit quæ est ciuitas Dauid, vt manifestum fieret illum esse verum Messiam Regem promissum de semine Dauid, de quo etiam Mich. 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es. &c.* Deinde in Bethlehem nasci voluit, quæ est ciuitas quædam parua, in sorte tribus Iuda, vt Abulens. in cap. 2. Matth. dicit. Ierusalem autem Metropolis erat, vt te Christiane doceret non gloriari de natiuitatis splendore. Hinc Catech. Paroch. Videant fideles quàm salutari doctrina Christus nascens nos instituit, antequam vocem aliquam emittere inciperet. De Ierusalem autem exiuit Verbum Domini, quia de Ierusalem & Iudæa exierunt Apostoli alijque discipuli ad prædicandum gentibus fidem Christi, inquit Lyranus, vel etiam de Ierusalem exiuit Verbum Domini, exponentibus in Ierusalem Sacerdotibus & Scribis Michææ prophetiam de nasciturо Christo in Bethlehem. Matth. 2.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, considera quàm conueniens fuit Christum nasci ex Virgine, quod Symbolum Apostolorum eloquitur. *Natus ex Maria Virgine.* Nobilissimo quippè Filio huic nobilissima

ſima ex Virgine Natiuitas debebatur. DEus enim miſit Filium ſuum in mundum, carne velatum, vt nos ad reſurrectionis ſtatum promoueret, ait S. Thom. ſtatus autem reſurrectionis erit ille, in quo *non nubent neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei* in cœlo, atq; ad hunc finem docet continentiam & Virginitatem, vt in vita fidelium, per Virginitatem reſplendeat aliqualiter gloriæ futuræ imago. Propterea ſummè conueniebat ipſum de Virgine naſci, vt ſua natiuitate Virginitatem commendaret. DEINDE conueniebat Matrem Chriſti maximè repleri donis ſpiritualibus, quæ de Spiritu Sancto erat paritura, ad hoc autem vt repleretur donis ſpiritualibus, non ſolùm immunis eſſe debebat ab omni peccato, in anima, ſed etiam in corpore ab omni corruptione carnalis concupiſcentiæ. Hinc Damaſcenus lib. 3. cap. 2. *Filius*, inquit, *Dei conſtruxit ſibi ex puriſſimis & caſtiſſimis ſanguinibus Virginis, carnem animatam anima rationali.* Et Tertullian. in lib. de carne Chriſti cap. 7. *Virgo adhuc erat terra, ex ea hominem à Deo factum accepimus in animam viuam.* proinde Chriſtus de terra, id eſt carne nondum generationi reſignata. Verùm & ſcripturæ ac figuræ plurimæ ſuffragium ferunt, Chriſtum de Virgine naſciturum promittentes. Iſai. 7. *Ecce Virgo Concipiet & Pariet Filium.* cap. 53. de Natiuitate Meſſiæ. d. *Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: de terra ſitienti*: id eſt de *Virgine non humectata vel fæcundata humano ſemine*; ait Lyran. vnde dicitur. *Generationem eius quis enarrabit?* quia præter naturæ conſuetudinem, ex Virgine natus. Ezech. 44. *Porta hæc clauſa erit & non aperietur.* clauſa in conceptione, non aperietur in partu. Huic famulantur Sybillarum vaticinia, quæ de Virgine naſciturum mundi Redemptorem prædicebant. Nam Sybilla Perſica hæc vaticinata dicitur. Jlle (inquit) *Deus caſta veniet de Virgine natus.* Et Sybilla Samia. *Hunc* (inquit) *poterunt clarum virorum tangere Regem, Humano quem Virgo ſinu inviolata fouebit.* Et Delphica. *Virgineo conceptus ab aluo prodibit ſine contactu matris.*

Opuſc: 3. c. 221. p. 2.

Matth. 22.

Et

Et Phrygia. *Virginis in corpus voluit demittere cœlo Ipse Deus prolem, quam nuntiet Angelus almæ Matri*. S. Thom. 2.2æ. q. 2. art. 7. 3m. narrat in Historijs Romanorum inueniri quòd tempore Constantini Augusti & Helenæ Matris eius apertum fuit quoddam sepulchrum, in quo iacebat homo, auream laminam habens in pectore suo cum hac inscriptione, *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum, &c.* Postremo decuit Christum nasci ex Virgine: hoc enim ad eius honorem refertur, siquidem honor parentum redundat in prolem, Prou. 17. *Gloria filiorum Patres eorum*: & per oppositum, ignominia matris redundasset in filium. Sed Christianus hîc.

QVÆRIT. Euæ corpus miraculosæ formatum fuit, & dicitur formatum de carne & ossibus Adæ, Gen. 2. *Ædificauit Dominus costam quam tulerat de Adam in mulierem*: & Adam recognoscens dicit. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*. Christi quoq; corpus miraculose formatum, quare non dicitur de carne Virginis formatum sed de sanguinibus? ℞. Erat in Adam quædam caro & os non pertinens ad integritatem Personalem: sed in quantum erat Adam principium humanæ naturæ; atq; illa carne & ossibus corpus Euæ formatum absq; diminutione personalis integritatis. In Virgine autem B. non fuit aliqua caro quæ non pertineret ad integritatem personalem, vnde de carne Virginis sine corruptione & diminutione integritatis personalis, non potuit formari caro Christi, formata autem est de sanguine purissimo, qui fuit caro non actu sed potentia. Hic iterum Obiter. *1.p.q.92.a.3. 2m. 3.p.q.31.a.5.*

QVÆSIER. Si in Adam fuit aliqua caro & os superfluum non pertinens ad integritatem personalem, nonne prodigiosus erat? ℞. Non erat prodigiosus, quia illa costa erat necessaria Adæ, quatenus fuit caput & principium totius naturæ humanæ, vt ex illa ædificaretur Eua.

CATECHESIS VII.

DE VIRGINITATE MATRIS CHRISTI.

VNica est hæc tanti honoris & decoris Natiuitas Filij DEI, cuius Mater, nec primum similem visa est, nec habere sequentem, *Gaudia matris habens cum Virginitatis honore.* Et sicut decebat ipsum DEI Filium, non alia quàm de purissima Virgine nasci, in qua non esset aliquid de corruptione carnalis delectationis, ita conueniebat Matri tanti Filij, vt puritatis verticem supra omnes creaturas attolleret, quâ generationem tanti Filij attingeret. Dignum itaq; vt de intemerata Virginitate huius Matris dignè aliquid à Catechista fideli populo annuntietur, de qua tria in ista Catechesi expediet.

I. Quanta cura Mariæ de seruanda Virginitate?
II. Quòd in conceptione & partu Virgo permansit.
III. Quòd in perpetuum Virgo inuiolata.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, hæc cogita & de MARIA Deipara indubitanter tene, quòd plena puritatis, primam & maximam curam castitatis & integritatis habuerit. Dùm enim à Gabriele exaltanda prædicaretur. *Ecce* (inquit) *in vtero concipies & paries Filium*: solicitè sciscitatur de modo. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vouerat quippe Virginitatem DEO. Et quanquam etiam in isto voto voluntati diuinæ se quoq; resignauerat, si id scilicet DEO placeret, tamen inquirit quomodo Virgo conciperet, an ex viro, sicut Virgines innocentiæ concepissent, an ad osculum vel anhelitum viri: ideo ab Angelo instruitur de opera Spiritus Sancti. Itaq; persuasum habeto Christiane, Deiparam primam omnium, Virginitatem omni-

Conf. S.Thom: 1.p.q.98.a.7.

omnipotenti DEO vouisse, de qua Beda in Luc. cap. I. *Dei genitrix quia prima fæminarum tantæ se virtuti (scilicet Virginitati) mancipare curauit, iure singulari præ ceteris fæminis beatitate meruit excellere.* Origenes quoq; in cap. 13. Matth. *Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse IESVM, muliebris verò Mariam.* Nec aliam ob causam dicit eam primitias fuisse in castitate, nisi quia prima fuit in seruanda sua Virginitate. Hieron: quoque dùm ad seruandam castitatem Eustochium Virginem epist: 22. hortatur idem confirmat, *Mihi*, inquit, *Virginitas dedicatur in Maria & Christo.* Et quoniam Deipara Virgo, prima omnium fuit in seruanda Virginitate, suo quoque exemplo innumeras Virginum cohortes post se duxit, vt cantavit Propheta. *Adducentur Regi Virgines post eam*, S. Ambros. in lib. de Virgin. cap. 5. Vexillum Virginitatis erexisse Mariam affirmat. Damasc. Orat. I. de Natiuit. Deiparæ, vocat eam feracissimam Virginitatis plantam. *Tu*, inquit, *feracissima Virginitatis planta, per te enim Virginitatis pulchritudo latissimè sese diffundit.* DEINDE, quia Virginitas in animi potiùs quàm corporis considet integritate, nec corporis castitas aliquid habet nitoris, nisi ab animi nitore deriuetur, iuxta illud Augus. cap. 8. de Sancta Virginit: *Sicut nemo impudico vtitur corpore, nisi Spiritu prius concepta nequitia, ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi Spiritu prius insita castitate.* Et Petrus Dama. Serm. 3. de natiuit. Deiparæ. *Virgo carne non animo, Virginitatis præmia non patitur.* ideo Deipara Virgo, cùm esset integerrima Spiritu & corpore, non modo à venereis, sed ab ijs quoq; quæ terrenum aliquid saperent, longe mente abhorruit. Hinc S. Anastasius, *Erat*, inquit, *Virgo intemerata Spiritu & corpore.* Quam, *Virginitas mentis & corporis* (inquit Anselm:) *quasi murus ita vndiq; vallauit, vt nullus vnquam libidini ad eam esset accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra.* Quare cùm audis Christiane, tantæ curæ fuisse Deiparæ Virginalem castitatem, tu eam pro virili imitare, quam Virginitatis formam,

regu-

regulam & Magiſtram lib. 2. de Virgin. Ambroſius vocat. *Sit*, inquit, *vobis tanquam in imagine deſcripta Virginitas, vitaq; B. Mariæ, de qua velut in ſpecula refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis*. Et Hieron. Serm. 3. de Aſſumpt. *Forma eſt Virginitatis in Maria, cur vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in ſculptura Spiritus Sancti.* Quin etiam tanta vis & efficacitas fuit Virginitatis Deiparæ, vt etiam prauiſſimos quoſq; ad puritatis & munditiæ amorem illiceret, nam Eccl: de ſe dicit, *Sicut cedrus exaltata ſum*, quod 3. p. q. 9. membr. 3. articulo 1. ponderat Alenſis. *Sicut cedrus interficit ſerpentes odore ſuo, ita Sanctitas Mariæ irradiabat in alijs, & in eis extinguebat omnes motus concupiſcentiæ carnalis.* Sed hic aliquis cupiens amplius informari. QVÆRET. Cùm Virginitatis votum ad perfectionem pertineat conſilij, non à Virgine Deipara debuit
Rom: 10. hæc perfectio inchoari, ſed à Chriſto à quo conſilia, & qui finis eſt legis. ℞. In Chriſto plenitudo perfectionis conſummata, in Virgine autem aliquando inchoata.

QVÆSIER. adhuc. Videns Ioſeph Virginem Prægnantem non ignarus ſummæ eius puritatis & Virginitatis, cur voluit eam occultè dimittere. ℞. Hieron. dicit Ioſephum miratum fuiſſe quid ageretur, à qua admiratione reducit illum Angelus Matth. 2. d. *Ioſeph Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Aſt Ioſeph voluit occulte Virginem, non quaſi ſuſpectam de fornicatione, ſed ob reuerentiam Sanctitatis eius, timens cohabitare ei.

S. Thom. in 4. d. 35. q. 3. a. vnico 25.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, Deiparam abſolute Virginem confitendo veneramur, eo quòd Virgo fuerit ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum. Ante partum Virgo in conceptione Filij Dei, quem de Spiritu Sancto concepit, vt iam confeſſi ſumus, talis enim conceptus decebat Filium DEI de Virgine,
non

non de virili ſemine, vt errarunt Ebion. Cerintus & Photinus. DEINDE ſi puritati Deiparæ nec Angelica puritas comparari poteſt, profectò in conceptione & ante partum Virgo. Serm. 4. de Aſſumpt. Bernard. d. *Quæ vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit ſacrarium Spiritus Sancti fieri, & habitaculum Filij Dei?* Et Richard. de S. Vict: cap. 39. in Cant. *Super Angelos*, inquit, *eſt quia eos puritate ſupergreditur*. Et S. Antonius 4. p. tit. 15. *Beata*, inquit, *Maria ſumma puritate etiam Angelos ſuperauit*. PRÆTEREA, ita concipere debuit Filium DEI, qui ideo natus eſt, vt nos renaſcamur in Filios DEI, Ioan. 1. *Non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo,* id eſt ex ipſa DEI virtute; atq; huius noſtræ natiuitatis debuit exemplar apparere in ipſa Chriſti conceptione. cap. 6. de Sancta Virginitate S. Auguſt. *Oportebat*, inquit, *caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum carnem naſci de Virgine, quo ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia ſecundum Spiritum naſcitura*. Nec ſolùm hæc, ſed VLTERIUS etiam Chriſtiane credere debes, Deiparam in partu Filij DEI Virginem permanſiſſe, contra Iouinianum. Hoc euincit authoritas ſcripturæ, Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*; ſicut Virgo concepit, ita Virgo peperit. Neq; dicunt Iudæi per Virginem in hoc loco, fæminam in communi ſignificari, quod patet in-
de, quia in Hebraico non eſt poſitum nomen Nahara, quod נַעֲרָה
ſignificat puellam ſiue ſit Virgo ſiue non; neque poſitum eſt
Betula, quod ſignificat fæminam incognitam quidem viro, בְּתוּלָה
ſed indifferenter ſiue ſit adoleſcentula ſiue grauidæ ætatis.
Poſitum eſt autem apud Iſaiam nomen Alma. quod ſignificat עַלְמָה
adoleſcentulam incognitam viro. Sicut ergo adoleſcentula incognita viro concepit, ita eadem peperit, manens Virgo, vt exponit Lyran. In ſermone Epheſini Concilij contra Iouinianum Hæreticum dicitur. *Natura poſt partum neſcit vlteriùs Virginem, gratia vero & parientem oſtendit, & Matrem fecit, & Virginitati non nocuit.* Ambroſ. ad Siricium Papam. *De via*, inquit, *perverſi-*

versitatis produntur dicere, Virgo concepit sed non Virgo generauit, quæ potuit Virgo concipere, non potuit Virgo generare cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur? Et iterum *non excedit fidem, quod homo exiuit ex Virgine, quando petra profluentem scaturiuit, ferrum super aquas natauit.* Bernard. Homil. 2. super Missus est, *Aptissime,* inquit, *sidero comparatur, quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absq; sui læsione Virgo parturit Filium, nec sideri radius minuit suam claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem.* Pulchrâ S. Thomas 3. p. q. 28. art. 2. similitudine integritatem DEI Matris in partu seruatam ostendit. Sicut inquit Verbum non solùm in corde absq; corruptione concipitur, sed etiam absq; corruptione de corde procedit, ita DEI Filius, qui est Verbum DEI Patris, non solùm in conceptione, sed etiam in natiuitate Matris integritatem incorruptam conseruauit. Et qui venit tollere nostram corruptionem, non conueniebat vt nascendo, Matris Virginitatem corrumperet: qui q; præcepit parentes honorare, Matris honorem nascendo non diminuit. Sed hîc Catechista ipse, illud Isai. 45. de Christi natiuitate vaticinium. *Rorate cœli de super & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem* ponderans, apud se

DICET. Terra significat Deiparam, quia est de terreno Adam, & quia aperienda prædicitur in Christi natiuitate, nonne claustrum Virginitatis solutum? ℞. Nequaquam, neq; enim ista apertio significat reserationem communem claustro pudoris Virginalis, sed exitum prolis de vtero matris, vt exponit S. Thom. loco dicto Deinde ipsa ista authoritas scripturæ famulatur conceptui & partui Deiparæ Virgineo, cùm de rore cœli & pluuia Saluator secundum carnem germinandus prænunciatur, i totum opus de Spiritu Sancto.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Sicut confiteris in partu Filij DEI, integram Matris Virginitatem seruatam, contra hæresim Iouiniani;

ita nunc contra Heluidium oportet te firmiſſime credere, poſt natiuitatem Filij DEI, nullum Filium, Deiparam Virginem amplius habuiſſe: immò omnem penitus fomitem poſt conceptionem Filij DEI in ea extinctum fuiſſe, atq; Virginitatem quam ſemel voto, DEO ſuo ſacraverat intemeratam in perpetuum conſeruaſſe. Verùm hîc pro tua Chriſtiane inſtructione ſufficiant, quæ Doctor Angelicus art:3. adfert contra Heluidium dicentem, B. Virginem ex Ioſeph alios filios ſuſcepiſſe. Hoc autem derogaret in primis dignitati & perfectioni Chriſti, qui ſicut ſecundum diuinam naturam vnigenitus eſt Patris, tanquam perfectus eius Filius, cui alium parem non generat Pater, cùm in iſto ſit tota perfectio filiationis: ita decuit vt eſſet vnigenitus quoq; Matris, tanquam perfectum ipſius germen. DEINDE derogaretur Spiritui Sancto, violari illum Virginis vterum, qui ſuum fuit ſacrarium, in quo carnem Chriſto formauerat. Adhuc autem derogaretur Sanctitati & Puritati Matris Chriſti, quæ ſi contenta non fuiſſet tanto Filio, ingratiſſima videretur, ſi & Virginitatem voluiſſet ſponte perdere, quæ ei in conceptu & partu Filij DEI miraculoſe conſeruata fuit. Tandem ipſe Ioſeph iuſtus non euitaſſet notam præſumptionis, ſi attentaſſet ad eam Virginem accedere, quam Angelo ſignificante didicerat ex Spiritu Sancto concepiſſe. Quapropter Chriſtiane mundo corde crede DEI genitricem, ſicut Virgo concepit, Virgo peperit, ita Virginem in perpetuum permanſiſſe: immò etiam ipſe Ioſeph Virgo fuit per Mariam, vt ex virginali coniugio Chriſtus naſceretur. Ne ergo plura deſideres curioſe perſcrutari, de Virginitate Deiparæ. Nam etſi multis cauſa difficultatis fuerint illa verba Matth. 1. *Accepit Ioſeph coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum:* non tamen propter iſtam particulam DONEC ſequitur eam aliquando à Ioſeph cognitam fuiſſe, ſed hæc particula eo loco ſignificat, non tempus finitum, ſed indeterminatum, ſicut alibi in ſcripturis, Pſal. 109. DEUS Pater

ad Filium dicit. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, non significat, quòd tantum eo vsq; sederit, donec ponerentur inimici sub scabello, vt postea desierit sedere; sed quia dubium poterat esse aliquibus, an Christus sederet ad dexteram, quamdiu non viderentur ei inimici subiecti, ideo ad remouendam dubitationem dicitur, sede donec ponam. Similiter dubium esse poterat an Ioseph cognouerit Mariam ante partum Filij DEI, & hoc Euangelista remouit, quasi indubitabile relinquens quia post partum non fuit cognita. Simile est de particula Antequam de qua Hieron. *Non sequitur*, inquit, *vt postea conuenerint, sed scriptura quid factum non sit, ostendit*. Sed hîc aliquis Catechistæ.

OPPONET. Primogenitus dicitur respectu secundo genitorum, Christus autem dicitur Virginis Mariæ primogenitus Luc. 2. *Peperit Filium suum primogenitum*. ℞. Quamvis primogenitus dicatur, non inde tamen sequitur eam habuisse alios secundo genitos: nam idem DEI Filius dicitur primogenitus
Hebr. 1. Patris, quis inde colligat alium quoq; à Patre secundo genitum? sed in scriptura primogenitus solet dici, antequem nullus sit genitus, & nec post illum alius sequetur. Postremò in testimonium perpetuæ Virginitatis, in cruce à pendente
Ioan: 19. Virgine Filio, Mater Virgo Virgini discipulo commendatur.

CATECHESIS VIII.

DE SINGVLARITATE ET EMINENTIA MATRIS CHRISTI.

NOn incommode illud dicitur. Qui Mariam loquitur, Christum prædicat. Post doctrinam de Christi natiuitate, dignum & congruum est, vt Catechista aliquid de singularitate & eminentia Matris eius populo annunciet. Nam qui norunt à muliere esse initium peccati & per illam omnes mori; agnoscant oportet magnum in Maria Sacramentum. Sicut enim

enim per virum & mulierem diabolus humanum genus vicerat, ita per virum & mulierem victus est, quod ipsi denunciatum fuit. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.* Lætari ergo nos conuenit singulari honore & eminentia Matris Christi, vt ei dicamus. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Quare in ista Catechesi tria sibi Christianus postulabit à Catechista explicari.

I. Qualis in ortu Virgo Maria?

II. Quæ eius erga Deum charitas?

III. Quibus donis Dei decorata?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Sanctissima DEI genitrix Virgo, orta est ex genere Regum & Sacerdotum; paterno quidem genere ex Iuda, materno ex Leui, Patre Ioachim, Matre Anna pijs & Sanctis Parentibus, cuius cognata Elizabeth de filiabus Aaron Luc. 1. prædicatur. *Hilar. Can. 1. in Matth.* Pie credere decet conceptam immunem à næuo culpæ originalis, quod communis vox Sanctorum & Ecclesiæ testatur; idq; ea ratione considera. Si Eua quæ perdendæ salutis, vniverso generi hominum principium fuit, pura absq; peccato & integra in iustitia original condita fuit, vt supra de creatione hominis ostensum est, certe Deipara Virgo quæ eiusdem salutis reparandæ initium fuit, in conceptione pura & integra absque peccato conseruata fuit. DEINDE decebat ipsam in peccato concipi ob Filij dignitatem, quæ diminueretur si illa in peccato concepta fuisset; ita enim Cyrill. Catechef. 12. *Decebat*, inquit, *sanè purissimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis.* Clarius & luculentius Anselm. in lib. de Concept. Virgin. cap: 18. *Decebat, vt ea puritate quâ maior sub Deo non potest intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum quem de corde suo æqualem sibi genitum,*

tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt realiter esset vnus idemq; communis Dei Patris & Virginis Filius; Si verò peccato originali fædata fuisset, quonam pacto sub Deo maior puritas illâ intelligi non posset? Firmissimè id affirmat S. Thom. in 1. sent: dist: 44. q. 1. art: 3. d. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inuenir i, quo nihil purius esse possit in creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. & talis puritas fuit B. Virginis, quæ à peccato actuali & originali immunis fuit.*

Prætera, decuit Deiparam honestari priuilegio Filij sui, vt absque peccato conciperetur: decuit Filij sui quoad fieri poterat similitudinem esse. Et si Deipara vel originalis peccati macula affecta fuisset, vel quid minus puritatis & munditiæ habuisset, consequens fuisset, aliquo næuo obscurari summum splendorem & dignitatem Filij. Dicit enim Philosophus lib. 2. de generat. animalium cap. 1. *Tale alterum generat, quale ipsum est: hoc enim cuiusq; perfecti siue animalis siue stirpis secundum naturam oficium est.* Concil. etiam Trident. sess. 5. in decreto de peccato Originali dicit, Non esse intentionis suæ comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem. Cùm non vult comprehendere in decreto de peccato originali Virginem Deiparam. Ergo ab hoc decreto illam eximit. Sed hic aliquis fortasse Catechistæ.

Dicet. Si Deipara Virgo absq; originali peccato concepta fuit, æquiparatur Filio cui nihil æquiparari potest, & si in conceptu commune priuilegium cum Filio habebit, extollendo Matrem, Filij gloriam deprimemus: ita vt nulla sit differentia. ℞. Tametsi Mater immunis fuit ab orignali culpa, non tamen propterea honore Filio æqualis erit; nam licet in peccati immunitate par & eadem sit vtriusq; conditio, Filij tamen conceptio præstat conceptioni Matris. Primò quia Filius de Spiritu Sancto conceptus, Mater de viro, ideoq; ille suapte natura immunis à peccato fuit, Mater benefi-

cio ac merito Filij, deinde licet mater immunis in conceptione à peccato, à Filio tamen redempta, ne videlicet incurreret illius reatum.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, imitare in omnibus Deiparam Virginem, ac in primis in feruida erga DEUM charitate: qua nihil melius, nihil præstantius, nihil pretiosius. Can. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. Alia dona habent etiam mali (ait August.) qui dicturi sunt. *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sola charitas Filios DEI constituit, vt idem ait. Sola discernit inter Filios DEI & Filios diaboli. Hæc in Virgine Deipara excellentissima fuit, adeò vt à principio cor suum per charitatem DEO obtulerit, sciens istud holocaustum DEO gratissimum, quoniam id ipse sibi offerri iubet. Prou: 23. *Præbe Fili mi cor tuum mihi;* illud primum & maximum mandatum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* (verùm de hoc in tertio, ipso DEO dante tractatu.) Hinc & August. Serm. 21. de verb. Apost. *Deus cor interrogat non manum, neq; nostra placere possunt Deo nisi cor placuerit.* Isai. 29. dictum: *Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me*. Cùm igitur Virgo ista omnia perspecta compertaq; haberet, cor suum in amorem DEI totum conuertit; eius verba Cant: 2. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem, fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo.* q. d. sum enim dilectione vulnerata. Et vt Gregor. Nyss. d. *Hæc Virgo vt summum amorem attingeret, omnem alium amorem penitus propulsauit, in cœlo thesaurum suum reponens*, iuxta illud Matth. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Propterea Virginem istam appellat Ioannes, signum magnum quod in cœlo apparuit, mulier scilicet amicta sole. De hac Virgine Bernard. serm. 29. in Cant. *Est*, inquit, *sagitta electa*

Ser. 50. de Verb: Domini.

In Epist: Ioan.

Orat. 4. in Cant.

Apoc. 12.

amor

amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuam amore reliquerit, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret vt esset gratia plena. DEINDE si in virgine concedimus (vti concedi debet) summum omnium virtutem fastigium, tàm infusarum quàm acquisitarum, profectò absq; summo fastigio charitatis in DEUM esse non potuit. Dicit enim Hieron. in Isai. cap. 56. *Virtutes inuicem se sequuntur, & sibi hærent ita, vt qui vnam habuerit omnes habeat, & qui vna caruerit cunctis careat.* Postremo cùm Virgine Deipara nihil inter res creatas maius aut sanctius fuerit vt de ipsa Chrysost, dicit. *Hæc sola cœlum & terram amplitudine superauit, quid illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non aliud quippiam inter creatas res visibiles & invisibiles maius aut excellentius inveniri potest, profectò summo amore super omnia Deum dilexit, illudq; mandatum de diligendo Deo ex toto corde ad amussim impleuit, in quo implendo etiam Angelos superavit.* In serm. 3. de natiuit Deiparæ Petrus Damian. d. *Nec mirum si hæc virgo cunctorum merita transcendit mortalium, quæ & ipsam transcendit celsitudinem Angelorum.* Et Epiphan. in serm. de laudibus Deiparæ. *Solo Deo excepto cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum.*

DICES. In beatis Angelis, ea est dilectio, quòd semper actualiter in diligendum DEUM ferantur, Virgo Deipara cùm esset adhuc in via, quomodo poterat semper actualiter cor illius ferri in diligendum DEUM? hoc enim non est possibile in via, vt ponderat S. Thom. ℞. Hoc illi vni datum fuit, quod alij nulli in via concessum, vt eo statu potiretur, quo beati perfruuntur in cœlis, vt DEUS in ipsa omnia fuerit.

2. 2æ. q. 24. a. 68.

1. Cor. 15.

QUÆSIER, num illa charitas fuit perfecta? iam tum perfecta charitas esse censetur, si ita diligamus DEUM sicut diligibilis est, infinite autem cùm sit bonus, infinitè etiam diligibilis,

lis, quæ verò creatura attingat hanc periodum? nulla enim creatura elicere potest infinitum actum dilectionis, quia omnis virtus creaturæ siue naturalis, siue infusa finita est. R. Verum est ex parte diligibilis, nulla creatura potest perfectè diligere DEUM, ex parte verò diligentis, potest creatura perfectè diligere DEUM, quando diligit tantum, quantum potest. Et hæc perfectio dilectionis DEI, Virgini Deiparæ præ omnibus creaturis excellentius concessa fuit. S. Thom. 2. 2æ q. 27. art. 5.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, vnusquisq; donum suum habet ex DEO, 1 Cor. 7. de cælibatu & nuptijs ita Apostolus differit Et Ephes. 4. *Vnicuiq; nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi:* In Deiparam verò virginem, quæ mensura donorum, gratiarum & charismatum fuerit collata, quis edisserat? quidquid enim in rebus creatis perfectionis fuit, id totum Deipara adepta. Id sub figura contentum ita accipe. Tabernaculum illud veteris testamenti cùm esset construendum, vniversus populus à DEO monitus, pretiosissima quæq; obtulit vltrò, structuræ illi necessaria. Ita enim Exod. 35. *Egressa inquit omnis multitudo Filiorum Israël de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima atq; deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij. &c.* Similiter ad templum illud à Salomone confectum, 1. Paralip. 29. *Dederunt in opera Domus Dei, auri talenta quinq; millia, & solidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoq; centum millia talentorum, & apud quemcunq; inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Dei.* Si hæc in illis, quibus omnia in figuris contingebant, quid in rerum veritate? Si ad tabernaculum & templum illud tanta collata sunt, quanta ad illam domum quam sibi ædificauit Sapientia, quanta dona DEI in Virginem istam sunt collata? Hinc S. Bonauent. serm. 1. de B. Virgine. *Domina,* inquit, *nostra omnibus diuinis gratijs fuit plena, in nullo dono alicui Sancto concesso pe-* 1. Cor: 10. Prou: 9.

so pe-

ſo penitus diminuta, quia non ſolùm fuit plena, ſed ſuperplena. Et Petrus Damian. ſerm: 3. de natiuit Deiparæ. *Quid enim*, inquit, *ſanctitatis, quid virtutis quid religionis, quid perfectionis ſingularis huic virgini deeſſe potuit, quæ totius diuinæ gratiæ chariſmate plena fuit?* S. Brigitta, à S. Ioanne Baptiſta hæc ſibi narrata & reuelata dicit. *Non eſt*, inquit, *aliqua virtus, in aliquo Spiritu, ſiue in corpore aliquo, quam Virgo Deipara hanc eandem virtutem non habeat excellentius.* Quin etiam Virgo ipſa verbis illis. Eccl: 24. de ſe teſtatur. *In me omnis gratia viæ, & veritatis*: & ſupra. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Quòd ponderans S. Bonauent: ſerm: 3. de B. Virgine. *Plenitudo*, inquit, *gratiæ, & plenitudo ſupereminentiæ, qua aliquid dicitur alijs ſupereminere, & hæc plenitudo fuit in Beatiſſima Dei Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt in parte, ipſa omnino habuit in plenitudine.* Nam ſicut in capite omnes ſenſus, ſed in alijs partibus corporis, tantum eſt ſenſus tactus, ſic Domina noſtra omnia habuit dona DEI, quæ in alijs Sanctis ſunt diuiſa. Ex hac cauſa, mare Deiparam ſapientiſſimi & pijſſimi appellare conſueverunt, quia ſicut omnia flumina intrant in mare, ita omnia dona DEI & chariſmata Spiritus Sancti in Mariam, Gen. 1. in creatione mundi dixit DEUS, *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum. Et congregationes aquarum appellauit Maria*; ita enim cùm Virginem iſtam DEUS condidit, omnes gratias & perfectiones in eam contulit. Hinc D. Antonin. p. 4. titul. 15. *Congregatis*, inquit, *omnibus gratijs Sanctorum in vnum locum, ſcilicet in animam Virginis appellauit ipſam Mariam, quaſi mare gratiarum: omnia enim flumina intrant in mare, id eſt omnes gratiæ in Mariam.* Quod ſi quiſpiam.

lib. 1. reuelat: cap: 31.

DIXERIT, Si omnem plenitudinem donorum dicimus fuiſſe in Maria Virgine, nihil ſupra, ipſi Chriſto concedemus, ſupra omnia enim nihil eſt amplius, quia ſi quid amplius, iam non omnia, erit ergo cum diminutione gloriæ Chriſti. ℞. In eo eſt maximum diſcrimen, quia Chriſto omnis plenitudo conuenit per ſe, vt naturali Filio DEI, propter vnionem hypoſtati-

postaticam cum Verba, idq; Euang. Ioan. 1. indicat. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Virgini beatæ tributa est ista plenitudo, tanquam Filiæ adoptiuæ propter merita Filij. Neq; vero plenitudo Mariæ data, diminuit gloriam Christi, immo redundat in ipsum, nam *gloria Filiorum Patres ipsorum, & gloria hominis ex honore Patris, & dedecus Filij Pater sine honore*, q. d. ex parentibus honor deriuatur in prolem. Certè honor Deiparæ famulatur honori, & gloriæ Christi, de qua Virgine. Bernard. Senen. *Oportuit*, inquit, *elevari fœminam ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.* Prou: 17. Eccl: 3. Serm. 61. tom: 1.

CATECHESIS IX.

DE NOMINE MARIA.

VTroq; Symbolo tàm Apostolorum quàm Nicæno Virginis Deiparæ nomen proditur, cùm natiuitas Christi Dei & Salvatoris nostri asseritur: quasi non satis fuisset dicere Christum ex Virgine natum, nisi nomen Virginis astrueretur. Et Apostoli quidem dixerunt. *Natus ex Maria Virgine.* Nicæna verò Synodus, *Conceptus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* De nomine itaq; isto Virginis Deiparæ tria in ista Catechesi explicabuntur.

I. Nomen Mariæ diuinitus reuelatum.

II. Nomen Mariæ quid significet.

III. Nomen Mariæ honorabile & terribile.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, quod Deipara Virgo, Nomine MARIA vocata est, non hominum inventione, non parentum arbitratu & consilio, sed divino instinctu reuelatum, & iussu impositum esse, tenendum ita suadet S. Antonius. *Dic*, inquit, *qua nata est* p. 4. tit. 15.

Dei genitrix Virgo, impositũ est ei nomen Maria, à parentibus secundum Angelicam reuelationem. Si secundum Angelicam reuelationem hoc nomen Deipara accepit à parentibus, certè de cœli arcanis allatum & à DEO mandatum: nam Angeli quæ à DEO audiunt revelant hominibus. Tunc videlicet Angelus Sancto Ioachim nomen Filiæ reuelauit, cùm & ipsam natiuitatem intimauit. Nam si alijs Sanctis nomina à DEO fuerunt indita, & per Angelos revelata, quid prohibet Deiparæ Virgini Sanctissimæ, nomen à DEO fuisse impositum? Gen. 32. Iacob appellatur Israël cui Angelus. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Israël.* S. Ioannes Baptista Luc. 1. nomen à DEO accepit. Quod si servi eo honore decorati sunt, Mater Domini eo honore vacua abivit? neque enim conveniebat servos ampliori honore præ Matre à Domino haberi. Idem figuratum accepimus Baruch 5. de Ecclesia dictum. *Nominabitur tibi nomen à Domino in sempiternum.* Si Ecclesiæ illud privilegium datum, cur non huic Virgini, quæ & Mater Sponsi Ecclesiæ & eius principale membrum? Similiter illud Isai. 62. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominauit.* Sed ex loco isto allegato.

QUÆSITER. Christianus, Quomodo nomen hoc Maria, Deiparæ impositum, novum dicitur, cùm tam ante præcesserit in alijs mulieribus: nam soror Aaron Exod 15. MARIA vocata fuit? ℞, Quamvis quoad vocem hoc nomen alijs mulieribus datum fuit, non tamen sub ea ratione quâ Virgini Deiparæ, ex qua ratione nomen novum merito dicitur, de quo Ambros. in lib. de Virgin. c. 5. *Dictæ sunt ante Mariæ multæ, nam & Maria soror Aaron dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris vocabatur, speciale Mater Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo.* Et Gregor. Nissen. Orat. in Christi Natiuit. *Cùm inquit nata esset puella, nomen quidem imposuit ei Mariam, vt etiam per nomen impositum divinitus, datum munus significaretur.*

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, agnoſcis nomen hoc MARIA Deiparæ diuinitus eſſe impoſitum; nomina autem quæ hominibus à DEO imponebantur, aptata fuerunt ad eorum conditionem deſignandam: ſic Abraham vocatus fuit à DEO. Gen. 11. quia pater multarum gentium conſtitutus. Eodem modo nomen Maria impoſitum à DEO ad ſignificandam excellentiam Virginis DEIparæ, hoc enim nomen Maria ſignificat *Dominam*, vt explicat Damaſc: lib. 4. c. 15. d. *Itaq; gratia (nam hoc ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine ſignificatur) verè enim rerum omnium conditarum Domina facta eſt, cùm Creatoris Mater extitit.* Immò etiam olim Rabbi Haccados, Matrem Meſſiæ dixit Dominam appellandam; eſt enim Mater eius qui eſt Dominus omnis creaturæ. Et Bernard. Homil. 1. ſuper Miſſus eſt. d. *Super omnes choros Angelorum exaltatur, an non Deum & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium dicens. Fili quid feciſti nobis ſic? quis hoc audeat Angelorum?* DEINDE nomen Maria prout appropriatur Deiparæ Virgini, ſignificat ſtellam maris, ob ſummum fulgorem: ita ipſam ſalutat Eccleſia, *Aue maris ſtella.* S. Bonauent: *Maria*, inquit, *eſt ſtella puriſſima ſine peccato, puriſſimè viuendo.* Sap. 7. de illa dici poteſt. *Specioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata, invenitur purior.* Quare Bernard. ſuper Miſſus eſt. *Si*, inquit, *inſurgunt venti tentationum, ſi incurris ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam in periculis, in periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam invoca.* Stella maris Cynoſura claret proprietatibus, Primò cœlum ſe circa illam vertit; nautas in periculis dirigit; nunquam occidit: ferrum magneticum ad ſe trahit. Iſtæ proprietates ſunt Virginis Mariæ, circa illam ſe cœlum vertit, quia ad illam tota cœleſtis curia attendit, Chryſoſt. d. *Hæc ſola cœlum & terram amplitudine ſuperauit, ipſa periclitantes in mari huius vitæ, ad ſalutis portum adducit.* Cyrill. Alexandr. in Ho-

Homilia contra Nestorium. *Per te*, inquit, *Virgo exultat cælum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipse ad cælum reuocatur*. Hæc etiam Virgo dùm alij Sancti auxilia subtrahunt nunquam occidit, ad illam clamamus. *Sancta Maria succurre miseris*; hæc mentes ferreas ad humilitatem & mansuetudinem emollit, nempe omnium excellentium & superborum colla, propria virtute calcauit. Mariæ nomen significat illuminatam & illuminantem. Primò ipsa ista Virgo est illuminata, quod mysterium expressit Ioannes Apoc:12. d. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens*. Desuper illuminata, quia caput stellis coronata, Deorsum illuminata quia luna sub pedibus eius, (Ecclesiam videlicet militantem tuetur donec ad plenam perveniat tranquillitatē, *orietur*, scilicet, *in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna*, 1. donec sublata fuerit mutabilitas in consistentiam) Ab intus illuminata, quia in vtero habens; ineffabile quiddam habuit, quod propterea non exprimitur: *mysterium à seculis absconditum in Deo*. nempe splēdorem Patris in vtero habuit; candorem lucis æternæ: sine macula; Verbum caro factum. Ab extra illuminata sole, siue dixeris iam immortali corpore. Illuminatrix Virgo MARIA, nos multifariam illuminans. Liceat MARIÆ accommodare quod de se dicit sapientia æterna. Eccl: 24. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Pars inferior terræ frigida & obscura, quia sol eo non penetrat, vt pulchrè canit Philosophia apud Boët: lib. 5. de consol: metro 2. Penetrat ergo Maria inferiores partes terræ, quando illuminat eos qui in tenebris sedent peccatorum, & frigidos inflammat amore DEI. Inspicit dormientes, erigit quippe tepidos & negligentes, eosq; efficit ferventes, Illuminat omnes sperantes in Domino, quos in luce gratiæ conseruat. Quòd si fortè alicui contra expositiones istas occurrat difficultas vt

Psal: 71. *Ephes. 3.* *Coloß. 1.* *Hebr: 1.* *Sap. 7.* *Ioan: 1.*

DICAT.

DICAT. Cùm ſtella maris ad quam nautæ ſuas dirigunt naves in octavo ſit orbe ſita, quid commune cum Deipara Virgine habet, vt ipſa quoq; hoc nomine nuncupetur? ℞. Verum eſt, quoad primam nominis impoſitionem, ſtella maris, ſignificat illud ſidus in octauo orbe, trahitur tamen ſecundum vſum metaphoricum ad ſignificandam Deiparam Virginem, propter ſuas dignitates quæ in iſta expoſitione tanguntur. Sicut nomen viſionis ex prima impoſitione, ſignat actum viſus qui per oculos exercetur, trahitur tamen ad ſignificandam cognitionem intellectus. Ita de nomine ſtellæ maris accipe, vt ſignificetur Deipara ea munera ſubire, quæ ſtella Arctico polo finitima, quam navigantes cùm per mare feruntur, obſervare vſu habent.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Si nomen IESUS Filij DEI & Saluatoris noſtri veneraris, ſubinde nomen MARIÆ venerare, quod Gabriel Angelus in tantum veneratus eſt, vt cùm annuntiaret Incarnationem Filij DEI, non ſit auſus nomen Virginis reverentiæ gratia pronuntiare, ſed ſolùm dixit. Aue gratia plena: tunc verò duntaxat expreſſit, cùm ex novitate inuſitatæ ſalutationis Virginem turbatam cerneret, vt eius nominis commemoratione, illa turbatione levaretur. Quanto verò ſit in honore Angelis nomen MARIA, ipſa Virgo Sanctæ Brigittæ revelauit. *Filius*, inquit, *meus quantum etiam honoravit nomen meum, audi: nomen meum eſt Maria, ſicut legitur in Euangelio, hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent in conſcientia ſua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit, & quòd vident ipſi humanitatem Filij mei, in divinitate glorificatam.* Et iterum. Angeli boni audito hoc nomine ſtatim appropinquant magis iuſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam. Quin etiam DEus ipſe tanto honori habet nomen iſtud, vt non nunquam poſtulata propenſius concedat ad commemorationem huius nominis, quàm memoriâ *lib. 1. cap. 9*

moriâ Domini nostri Iesu Christi, ita enim Anselm. in lib. de excellentia Virg. cap. 6. *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Maria, quàm invocato nomine Domini* Iesu *vnici Filij Dei Patris;* explicat quod dicit. *Id quidem,* inquit, *non ideo fit, quòd ipsa maior & potentior ipso sit, nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum; sed quia Filius eius Dominus est, & Iudex omnium, discernens merita singulorum. Dùm igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id iuste facit, invocato autem nomine Matris, etsi merita invocantis non merentur vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur.* Quòd si hominibus hanc mortalem vitam degentibus, est suffragio & adiutorio nomen Mariæ invocatum, non minùs in purgatorio animabus existentibus. Ipsa B. Virgo S. Brigittæ hæc verba dixit. *Illi qui in purgatorio sunt, audito nomine meo vltra modum gaudent tanquam æger in lecto iacens si audierit ab aliquibus verbum solatij.* Quare Christiane in tuis necessitatibus ad nomen hoc recurre, quod Bernard. in serm. de Annuntiat. mirè celebrat. *Sicut,* inquit, *nomen IESVS est mel in ore, melos in aure, in corde iubilus, sic & nomen* Mariæ. Et iterum. *Si in IESV aut Deitatis, aut sexus virilis austeritatem quis vereatur, ad Mariam recurrat. MARIA est nomen muliebre mansuetudinem præferens & commendans.* Honorabile igitur nomen hoc, sed simul horribile malignis spiritibus, S. Bonauent. in speculo cap. 3. d. *Maria est mare amarum diabolo & Angelis eius, per ipsum oppressis, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis.* Et iterum. *Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum.* Considera etiam Christiane, quantam opem ferat Deipara Virgo etiam in mortis articulo, contra cacodæmones defensoribus sui honoris. Author libelli de recte gerendo Episcopatu refert factum in nostra Polonia in hunc sensum. Nobilis quidam Polonus vitæ ceteroqui in libidinibus lubricæ fide tamen Catholicus; fortuito in Germania commorans in ijs locis,

cis, in quibus plurimi blaſphemi hæretici in conſeſſu quodam audiens hæreticum blaſphemias vomentem contra Deiparam Virginem, quas cùm ferre non poſſet, colaphum blaſphemo impegit, provocat hæreticus ad ſingulare certamen. paratus ille pro honore DEI Genitricis prodit contra blaſphemum quem facilè ſtravit. Reuerſus in Poloniam aliquantum poſtea vixit tempus, etiam illius operis oblitus, ac tandem mortuus. Apparuit poſt mortem amico ſuo ſimilis vitæ lubricæ; ad cuius conſpectum ille primò exhorruit, ſciens ipſum iam dudum mortuum: pòſt ſuperato timore confirmatus, alloquitur mortuum. Etiamne tu viuis? & in quo loco es? reſpondit ille, viuo, felicioriq; quàm vos aura fruor: ad hæc vivus dicit. Tunè quem tot flagitijs, tot libidinibus inquinatum palàm fuit? vix credo, ad hæc mortuus, credes, ſi modò attendas. Cùm, inquit, mortis meæ inſtaret hora, anima è corpore egreſſura eſſet, circumſteterunt me hoſtes infernales vt raperent in æternæ damnationis chaos: dùm non eſſet qui eriperet, Ecce Virgo Deipara memor Zeli mei aliquando pro honore ſuo Angelicis ſtipata choris adſtitit, ad cuius adventum diffugiunt frementes beſtiæ infernales: illa benigno vultu ad me miſericordiæ flexit oculos, mileſnè, inquit, meus, defenſor honoris mei, peribit? abſit. Tùm converſa ad filium Iudicem meum. Hunc ego, inquit, militem meum, quibus te olim ſtringebam brachijs tantiſper complexum tenebo, tu ſangvinem quam ex meis ſuſcepiſti viſceribus ſtilla, ego efficiam vt ex eius oculis vberes fluant lachrymæ, abluendis ſceleribus ſufficientes. Tum ego (ait mortuus) rugitibus intimis deflebam omnia delicta mea, deteſtando anteactam in libidinibus vitam meam, qua Patrem miſericordiarum offendebam: amore illius exardeſcens, aſſiſtente Patrona mea expiravi, anima mea egreſſa ex corpore ab Angelis in cœlum deducta, ſicq; feliciori aura fruor. Ad te autem monitor miſſus ſum, vt ad meliorem vitæ frugem redeas, cùm non longè di-

ſtet finis vitæ tuæ. Sed iam huius tertij articuli; Symboli Apoſtolorum, ſit

COROLLARIVM.

DOcet te Chriſtiane tertius hic Symboli Apoſtolorum articulus credere, DEI Filium qui ante ſecula genitus eſt ex ſubſtantia Patris, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, in tempore factum hominem, & ex Virgine Maria natum. At quàm congruè reparando lapſo generi humano Deus Filium ſuum miſit in mundum, iam aliquid audiſti. Etenim vnaquæq; res, per quæ fit, per eadem ſi collapſa fuerit reparatur, ſi enim domus collapſa fuerit, per formam artis, per quam à principio Condita fuit, reparatur. Quia verò DEUS humanam naturam ſicut omnia creata, per verbum ſuum i. e. per Filium condidit, *per ipſum quippe omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,* opportune per idem verbum caro factum collapſam humanam naturam reſtaurat. Et hoc te Chriſtiane maximè provocare debet ad redamandum DEUM, cùm audis ſic ab eo dilectum mundum, vt pro noſtra ſalute homo fieri voluerit. Exinde quoq; ſpes vnicuiq; noſtrum datur perveniendi ad æternam beatitudinem, quam ſolus DEUS naturaliter habet, dùm conſideramus à DEO tantum æſtimari naturam noſtram, vt pro nobis homo fieri non fuerit dedignatus. Eſt enim beatitudo coniunctio creaturæ rationalis cum DEO per claram eius viſionem & fruitionem, quæ vnio equidem magna eſt, ſed longe illa maior, qua vnitur DEUS naturæ humanæ in perſona verbi, per quam vnionē fit DEUS homo, & homo DEUS. Atque hæc tanta vnio præſtita naturæ humanæ, magnam nobis ſpem ingerit vnionis quæ in viſione & fruitione conſiſtit. Jllud etiam conſidera Chriſtiane, in hoc tanto beneficio peccati hominis, non Angeli conſtitutum eſſe, quia ſcilicet Angeli ſecundum immutabilitatem naturæ ſuæ impœnitibiles ſunt ab eo, in quod ſemel convertuntur, homo autem ſe-

cun-

cundum conditionem naturæ ſuæ habet mutabilem voluntatem à bono in malum, & à malo in bonum, quæ volubilitas voluntatis in homine manet, quamdiu anima vnitur corpori huic varietati ſubiecto: nam cùm fuerit à corpore ſeparata, eadem immutabilitate voluntatis potietur, quam Angelus naturaliter habet. Vnde & poſt mortem anima impœnitibilis eſt, nec poteſt de bono ad malum converti, nec de malo ad bonum. Quare ad bonitatem DEI pertinuit, vt per Filium ſuum naturam humanam collapſam repararet. Quare Chriſtiane *ama amorem illius*, inquit Auguſt: *qui amore tui deſcendit in vterum Virginis, & ibi amorem ſuum tuo amori copulauit.* *De Catechizãdis rudibus.*

ARTICVLVS SYMBOLI IV.

Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus & ſepultus.

IN prædicatione & confeſſione fidei huius articuli concurrunt & concinnunt tria Symbola: quod enim Apoſtoli condiderunt, ita nos inſtruit. *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.* Fatentur Patres Nicæni & finem paſſionis adijciunt dicentes. *Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, Paſſus & ſepultus eſt.* Subſcribit Athanaſius. *Qui*, inquit, *paſſus eſt pro ſalute noſtra.* Hortatur autem Catechiſmus Romanus nos Parochos, diligenter frequentare populo huius articuli intelligentiam, paſſionemq; tàm acerbam Chriſti pro nobis ſuſceptam commemorare. *In hoc*, inquit, *argumento omne ſtudium & opera adhibenda eſt, vt quàm maximè illuſtretur, fideleſq; tanti beneficij commemoratione excitati totos ſe ad Dei amorem erga nos & bonitatem ſuſpiciendam conuertant.* Et ſicut neceſſarium eſt Chriſtiano credere Incarnationem Filij DEI, ita neceſſarium eſt vt credat,

dat, & amoris vlnis suscipiat passionem & mortem ipsius, cùm nihil nasci nobis profuerit, nisi redimi profuisset. Admirandum opus istud, superans vires intellectus nostri, dùm Author naturæ patitur & moritur, de quo Act: 13. Paulus in Synagoga Antiochiæ Pisidiæ congregatis turbis illud Abac: 1. commemorans, dixit. *Opus operor ego in diebus vestris opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis*, Et 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Plus nos dilexit DEUS, quàm nos intelligere possimus, cùm DEI Filius, DEUS verus de DEO vero, homo factus est, & pro nobis passus ac mortuus. Cave autem Christiane ita existimes cùm audis Christum mortuum, quòd Deitas sit mortua, sed humana natura vnita Deitati, non enim mortuus est secundum quod DEUS, sed secundum quod homo, attribuũtur autem hypostasi diuinæ humana, propter naturam humanam assumptam: & homini attribuuntur diuina, propter naturam diuinam vnitam. S. Thomas tali similitudine declarat dicens. *Cùm moritur homo separatione animæ à corpore, non moritur anima sed corpus, ita in morte Christi non est mortua Deitas, sed humana natura.* Quanquam in ista similitudine id discernendum. quòd anima quæ non moritur moriente homine à corpore separatur. Deitas autem quæ non est mortua, moriente humana natura, non fuit divisa nec à corpore nec ab anima. Catechismus Romanus seu Parochorum istum articulum in duas dividit partes, vt in prima de passione, in secunda de morte & sepultura Redemptoris agatur. Quæ omnia vt clariora fiant, per Catecheses expendentur. Sit ergo

CATECHESIS I.

DE EXORDIIS PASSIONIS CHRISTI.

EXordium passionis CHRISTI fuit, cùm Iudæorum contra ipsum

ipſum conſpiratio, tùm figuræ ac vaticinia Prophetarum, tùm tempus, & patientis ipſius voluntatis diſpoſitio. Quare tria in iſta Carecheſi explicabuntur.

I. Quomodo figurata & prædicta paſsio Chriſti.
II. Quo tempore paſsus eſt Chriſtus.
III. Quomodo ad paſsionem diſpoſitus.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, non ex improviſo Chriſti facta eſt paſſio, vèrùm plurimæ figuræ & oracula Prophetarum ipſam præuenerunt, ipſeq; prædixit. Quatuor figuras paſſionis Chriſti Catechiſmus Parochorum ponit, prima iuſti Abel à Cain occiſio; de hac figura Apoc. 13. *Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi*, id eſt Chriſtus ſub figura Abel. Nam quemadmodum Abel innocens ex invidia Cain occiſus fuit, ita Chriſtus ex invidia Iudæorum. Alia figura paſſionis Chriſti Iſaac, quem iuſſu divino Abraham ſacrificare paratus erat: & quia pro Iſaac arietem immolavit. *Eleuauit*, inquit, *oculos ſuos, viditq́, poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Et ſicut aries pro Iſaac immolatus fuit, ita humanitas Chriſti pro eius Deitate, vt Ambroſ. & Cyrill. dicunt. Tertia figura agnus, quem Iudæi immolârunt in egreſſu ex Ægypto, ſicut enim ſanguis agni immolati, quo illiti poſtes domorum erant, à plaga Angeli percutientis liberavit, ita ſanguis Chriſti pro nobis in ara crucis immolati, nos liberat à plagis, de quo canit Eccleſia in Solemnitate Paſchali. *Agnus redemit oves Chriſtus innocens, Patri reconciliauit peccatores.* Quare S. Thom: in 3. p. q 73. art. 5. c. dicit agnum paſchalem fuiſſe præcipuum Sacramentum repræſentativum paſſionis Chriſti. Quarta figura ſerpens æneus, quem Moyſes in deſerto exaltavit, Num. 21. Sicut enim percuſſi à ſerpentibus igneis murmurantes Iudæi, aſpectu in ligno ſuſpenſi ſerpentis ſana-

Gen: 4. *1. Ioan: 3.* *Matth. 27.* *Gen. 22.* *Exod. 12.*

bantur, ita omnis nostra medela contra venena antiqui serpentis ex fide Christi in cruce pendentis, de quo Ioan: 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Possumus istis quintam adijcere figuram, Ioseph scilicet venditum: sicut enim ille innocens à fratribus venditus erat Ismahelitis, consilio Iudæ vnius ex fratribus, ita Christus à populo suo gentilibus traditus erat, innocens à discipulo Iuda venditus. Quantum ad Prophetas, omnes Christi passionem prædixerunt. Deut: 28. Moyses Iudæis dixit. *Erit vita tua pendens ante oculos tuos.* Quæ vita, nisi Christus? *qui venit vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et. *Ego sum via, veritas, & vita.* Pependit hæc vita ante oculos Iudæorum in ligno crucis. Dauid Ps. 21. manifeste de morte Christi cantauit, *Foderunt manus meas & pedes meos,* Isaias ad vivum expressit, *Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmucescet.* Zacharias venditionem Christi triginta argenteis prædixit. Daniel quoque cap. 9. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Deniq; Iacob Patriarcha De passione & morte Christi vaticinatus est, ostendens consilium Iudæorum ad perditionem Christi Messiæ congregandum, cùm diceret. *Simeon & leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium illorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum, maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quoniam dura.*

Ioan: 18. 35. Ioan: 10. Ioan: 14. Isai: 53. Zach: 11.

DICES. Frustra allegatur locus iste pro passione Christi, quin potiùs in eo arguit Iacob Patriarcha filios suos Simeonem & Leui, propter pertinaciam eorum, qua vlciscentes stuprum sororis suæ Dinæ, ingressi Vrbem Sichimorum armati, interfectis omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt. Ergo Iacob in loco isto nihil de passione Christi locutus est. ℞. Litera hæc illi negotio, quod in devastatione Sichem patratum est applicari non potest. Ratio, quia Iacob iam

Gen. 49.

iam proximus morti, vocatis ad se filijs prophetat, futura prædicens. Ita enim ibi dicitur. *Vocauit Iacob filios suos & ait eis, congregamini vt annuntiem vobis, quæ ventura sunt in diebus nouissimis;* nouissimi autem dies sunt noui testamenti; vt sæpius Ioan. in epist. dicit. sed & apud Hebræos communiter nouissimi dies intelliguntur dies Messiæ. Non ergo de vindicta illa propter Dinam arguit S. Patriarcha filios suos, quia iam pridem illud factum fuit, sed de furore in passionem & necem Christi. Hos duos potissimum Simeonem & Leui arguit, quia consilio Pontificum qui fuerunt de tribu Leui, & Pharisæorum qui magna ex parte fuerunt de tribu Simeon, vt in Ioan. cap. 9. Lyranus dicit, passio Christi facta fuit.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane tempus Passionis Christi per quam redempti sumus, tùm in scripturis, tùm in Symbolo habes insinuatum, scilicet Pontio Pilato præside & iudicè, passus est Redemptor noster: expressa sunt ista, vt cognoscas & iudicem & tempus, circa quod mundi redemptio in Iudæa celebrata est, hinc August. in lib. q. q. noui & veteris testamenti. *Omnia,* inquit, *proprijs locis & temporibus gessit Saluator.* Præsedit autem Pilatus anno decimo quinto imperij Tiberij Cæsaris & aliquot sequentibus vt Luc. 3. legitur. Abacuc quoq; cap. 3. opus redemptionis nostræ per Incarnationem & passionem Redemptoris insinuans, tempus medium huic negotio accommodatum ostendit, d. *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies.* Et cùm pronuntiat medium annorum, non medium rei, seu Arithmeticum, sed medium rationis, seu Geometricum, in quo omnem virtutem docet Philosophus consistere, intelligendum docet Lyranus, in additione ad Canticum istud. q. d. in medio annorum opus redemptionis nostræ: medium animarum intelligendum secundum conformitatem ad rationem diuinam quæ summè recta est, 2. *Ethic. c. 6.*

præor-

præordinantem aduentum Christi, in tempore conformi di-
ctamini rationis suæ. *Sciens, quippe, quia venit hora eius, vt tran-
Ioan: 13. *seat ex hoc mundo ad Patrem,* Apostolus vocat *plenitudinem tempo-*
Gal. 4. *ris.* Et quia voluntas Christi cui sua passio subiecta fuit, diui-
na sapientia regebatur, tempore conuenientissimo peracta fu-
it. Passus enim Dominus & Redemptor noster in ipsa Para-
sceue Paschæ, non quidem Iudæorum consilio, qui metu po-
pularis tumultûs excitandi, cogitabant differre Passionem Do-
mini, donec transisset dies azimorum: ita enim legitur, *Erat
Pascha & Azima post biduum, & quærebant summi Sacerdotes & scri-
bæ quomodo Iesum tenerent & occiderent, dicebant autem non in die fe-
sto, ne forte tumultus fieret in populo.* Consilio ergo cœlesti Passio
Domini in parasceue Paschæ peracta, eo enim tempore vo-
Exod. 23. luit DEUS Filium suum immolari in oculis omnis masculini
Iudæorum, quod in festo azimorum tenebatur esse in Ierusa-
lem. Eo die hostia in ara crucis pro peccatis totius mundi im-
molata, in cuius vespera typicus agnus immolabatur, vt figura
verteretur in veritatem. Hîc aliquis

DIXERIT. Figura Passionis Christi fuit immolatio agni
Paschalis, immò præcipua figura, vt S. Thom. docet, ideo ea
die Passus Dominus, qua immolatus agnus Paschalis: agnus
autem Paschalis ad vesperam immolabatur, vt erat præ-
ceptum Exod. 12. Quæ causa, quòd Dominus non ad vespe-
ram quoq; crucifigeretur, vt figura in hoc quoq; impleretur,
sed circa meridiem crucifixus est, Marci: 15. *Erat,* inquit, *ho-
ra tertia, & crucifixerunt eum.* Et Ioan: 19. *Erat quasi hora sexta?*
℞. Agnus Paschalis ad vesperam immolabatur ad finem diei,
in signum terminationis legis veteris per passionem Christi:
porrò ipse Christus circa meridiem passus, quibus horis maxi-
ma lux est, quia sua passione mundum erat illuminaturus, hinc
Apost. *Eratis,* inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*
Ephes. 5. Deinde cùm Marcus dicit hora tertia crucifixum Dominum,
intelligendum de vocibus Iudæorum, qui in ea hora, linguâ
eum crucifixerunt clamantes. Tolle crucifige eum. QVAN-

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Voluntariè & ex summo amore Christus passus est pro salute & redemptione humani generis, ideo Ps. 101. comparat se pellicano. d. *Similis factus sum pellicano solitudinis*, vt enim dicit Gloss. Pellicanus dùm inuenit pullos suos serpentis veneno necatos, rostro percutit pectꝰ suum, sanguine proprio conspergit pullos, & sic illos viuificat. Ita Christus inuenit totum genus humanum viru antiqui serpentis saucium, pro summo amore salutis nostræ, voluntariè dedit semetipsum, & nos proprio sanguine viuificauit. *Dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* *Oblatus est, quia ipse voluit.* Lyran: d. *Voluit propter obedientiam Dei Patris & liberationem humani generis, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.* q. d. dilexit nos, non tantum dilectione communi cum Patre vt Deus, sed etiam vt homo, charitate creata & infusa, vsque adeo, vt semetipsum tradiderit pro redemptione nostra. Magnam alacritatem ad patiendum ex obedientia decreto Patris ostendit per prophetam Ps. 39. Quod adducit Apost. Hebr. 10. d. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata pro peccato non tibi placent, tunc dixi ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam,* q. d. scriptum est de me in lege & prophetis, vt voluntate voluntatem tuam ô Pater impleam, qua voluisti & præcepisti mihi sanctificare electos per passionem, Ioan: 18 Offert se sponte tribuno, & cohorti, dicens. *Ego sum.* Neq; verò aut vaticinia tantùm prophetarum, aut ipsius Christi prædictiones ipsum benigna voluntate passum & mortuum ostendunt, verùm etiam quia tunc sponte seipsum tradidit in manus inimicorum cùm venit tempus à se & à Patre præfinitum. Frustra enim antea, toties hostes mortem ipsius moliti sunt, quia adhuc noluit teneri & pati: frustra Herodes

Apoc. 1. *Isai. 53.* *Ephes. 5.* *Matth. 2.*

Luc. 4. Ioan: 7. Ioan. 8. Ioan: 10.

rodes voluit occidere infantem: frustra iam adultum vel præcipitare Nazareni, vel apprehendere Ierosolymitani & non semel lapidare voluerunt, operam & conatus perdiderunt, quia nondum voluit. *Quod modo, inquit, vultis facere facturi estis sed non modo quare? quia modo nolo,* vt exponit August. (Tract: 31. in Ioan.) Immò iam iam capiendus, inimicos & proditorem prius vno verbo ad terram prostrauit, ostendens in sua potestate positum capi & teneri. Quare postquam dedit potestatem se capiendi, dixit *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum,* hoc ipsum quod voluit effecerunt. Ostendit & miraculis tempore suæ passionis factis, se voluntariè tentum & passum: si enim potuit tanta opera facere, vt Malchi aurem illicò sanaret, solem obscuraret, terram moueret, petras scinderet &c. an non potuisset passionem suam si voluisset euadere? Itaq; passio Christi non fuit contra voluntatem diuinitatis eius, nec contra voluntatem rationis, licet fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis. Verùm discursus gratia aliquis DIXERIT.

Necessitas opponitur voluntati, Christus autem necessitatem patiendi & moriendi habuit; assumpsit enim omnes defectus eos, qui totam naturam per peccatum lapsam consecuti fuerunt, & qui non repugnant scientiæ & gratiæ, vt ait S. Thom. 3. p. q. 14. a. 4. sed inter istos defectus est necessitas patiendi & moriendi, quomodo ergo voluntariè passus & mortuus, si necessitate passus & mortuus? ℞. Christus qui immunis fuit à peccato suscepit necessitatem patiendi & moriendi sola voluntate spontanea, id ita Magister sent: ostendit. *Necessitatem patiendi & moriendi non habuit Christus ex necessitate suæ conditionis, quia à peccato immunis fuit, sed ex voluntate accepit, de nostra infirmitate ponens tabernaculum suum in sole, scilicet sub temporali mutabilitate & labore.* (lib. 3. dist: 16.) Etenim Christus assumpsit naturam talem, qualem homo habuisset in statu innocentiæ, in quo statu non fuisset necessitas moriendi: nam necessitas moriendi non competebat homini ex natura suæ conditionis, secun-

dum quod natura primitùs fuit instituta, sed secundùm quod postea per peccatum vitiata. Nam quatuor distinguuntur status hominis, Primus ante peccatum, status naturæ integræ: secundus, post peccatum naturæ vitiatæ: tertius sub gratia naturæ reparatæ: quartus in cœlo naturæ glorificatæ. Christus ergo naturæ humanæ Redemptor factus per passionem, de quolibet statu aliquid accepit. De primo, peccati immunitatem, de secundo, pœnales defectus: de tertio, gratiæ plenitudinem: de quarto, non posse peccare & DEUM perfecte contemplari.

QUÆSITER. Si Christus pro redemptione humani generis voluntate spontanea passus est, an peccauerunt Iudæi ipsum persequentes & occidentes, nam si voluit pati, vt Isaias dicit, *Isai. 53.* non est ei facta iniuria, dicit enim Philosophus, *nullus patitur iniustum, volens*: & si volentis pati, voluntatem compleuerunt, *5. Ethic. c. 9.* cur peccati reos adstruimus? ℞. Voluit quidem Christus pati, non tamen voluit iniquam actionem Iudæorum, qui ob iniquam actionem ab iniustitia non excusantur. Et si ea vtiq; intentione fecissent, vt voluntatem eius patiendi implerent, & ipsius morte de diaboli potestate se liberandos crederent, nullum peccatum incurrissent. Quia verò negaverunt, & ex invidia Christum occiderunt, timentes se per eius *Ioan: 11.* gloriam & dignitatem suum locum & honorem amissuros, ideo tanti sceleris rei sunt. Eorumq; peccatum aggravatur, tùm ex ratione Gentis, erant enim Iudæi Ierosolymitani, non Gentiles Babylonici, scientes non ignorantes, Ierusalem enim magistra fuit legis, vt habetur Isai. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, scienti autem graviùs peccatum imputatur, tùm etiam ex ratione interpretati nominis, Ierusalem enim significat pacifica, & ipsi regem pacis occiderunt.

CATECHESIS II.

DE NECESSITATE PASSIONIS CHRISTI.

TAnta fuit necessitas Passionis Christi, vt iuxta DEI præordinationem & æternum decretum, aliter saluari non potuerimus. Id ipse IEsus Dominus & Saluator noster Ioan. 12. insinuavit dicens. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet.* quod ponderans August: Tract: 51. in Ioan: dicit, *Seipsum IEsus granum frumenti dicebat.* Et iterum, *Nisi mortem passus esset, aliter fructum nostræ liberationis non fecisset.* Porrò S. Thom. 3. p. q. 46. a. 2. ad 1m. dicit. *Loquitur Dominus suppositâ scientiâ & præordinatione Dei, secundùm quam erat ordinatum, vt fructus salutis nostræ non sequeretur, nisi Christo patiente.* Hilarius Can: 31. in Matth. *Reparari,* inquit, *nisi ex Christi Passione non possumus.* Sed in præsenti Catechesi, necessitas vt pro nobis pateretur æternum DEI Verbum, solùm consideratur quoad remedium, tùm quoad exemplum, proinde hic tria proponuntur.

I. Ad remedium quantùm nobis Christi Passio necessaria?

II. Ad exemplum quantùm necessaria?

III. Ad gloriam corporis ipsius, & nominis exaltationem quantùm necessaria?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Passio Domini tàm est necessaria nobis ad remedium, vt ad remouenda omnia mala, quæ per peccatum incurrimus, efficacissimum ferat remedium. Quinque mala incurrimus per peccatum, quæ Passio Christi removet. Primò quidem incurrit peccator maculam, quæ manet in peccatore

S. Thom. in expos: Symboli.

tore

tore per modum habitûs, transacto peccati actu, à qua peccator dicitur verè maculatus, immundus, sordidus, inquinatus, & abominabilis, Iosue 22. d. *Vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Eccl: 31. *Beatus dives qui inventus est sine macula*, Ierem: 2. *Maculata es coram me in iniquitate tua dicit Dominus.* Baruch 3. *Quid est Israël quòd in terra inimicorum es? coinquinatus es cum mortuis.* Sed Passio Christi abluit & remouet maculas & inquinamenta ista. Christus enim sua Passione fecit balneum in sanguine suo, quo abluit peccata. Apoc: 1. *Abluit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Et quia in baptismo anima tua Christiane lauatur Sangvine Christi, inde enim sumit virtutem baptismus ablutiuam & regeneratiuam, caue peccare post baptismum, ne te iterum macules, & iniuriam facias sanguini Christi. Hinc illud. Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quantò putatis deteriora mereri supplicia eum, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti duxerit pollutum.* Secundò peccator per peccatum incurrit offensam seu inimicitiam DEI, quæ in eo consistit, quòd peccator per voluntariam auersionem, & quasi turpem defectionem à DEO, DEUM ipsum offendit, eiq; displicet, & indignum se constituit amicitiâ DEI; DEus enim quia summè diligit pulchritudinem animæ, quando per peccatum inquinatur, DEus offenditur, amorem amicabilem aufert à peccatore, & vt inimicum odit, Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius:* nec invenit homo remedium quo ista offensa auferatur, nisi passionem Christi, qui DEO Patri satisfecit pro peccato, pro quo ipse homo satisfacere non poterat: maior autem charitas & obedientia Christi qua satisfecit quàm peccatum hominis, & ista nos DEO reconciliavit. Tertiò incurrit peccator infirmitatem, quâ pronior efficitur ad iterum peccandum, debilitatâ & corruptâ naturâ, nec potest se vllo modo de tali statu sublevare. Passio autem Christi hanc infirmitatem & debilitatem

diminuit; ita enim homo ex Passione Christi est confortatus, vt possit à peccatis resilire adiutus gratiâ collatâ in sacramentis, quæ ex Passione Christi efficaciam habent. Quo fit vt nunc multi viuant sine peccato mortali: nam *vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Quartò, incurrit peccator reatum pœnæ, qui reatus est morale quoddam debitum & obligatio, quam quis contrahit ex actu peccati, ex peccato enim nascitur obligatio ad pœnam subeundam: iustitia siquidem DEI exigit, vt qui peccauit, puniatur. Et quia pœna pensatur ex culpa, cùm peccati mortalis culpa sit infinita, quia est contra bonum infinitum contra DEum, à quo se peccando mortaliter auertit peccator, pœna quoq; debet esse infinita, cùm peccatores peccent contra DEUM qui æternus & infinitus est, conveniens est, vt eis pœna æterna ex diuina iustitia inferatur. Quia vero Passio Christi tantæ fuit virtutis, vt suffecerit ad expianda omnia peccata totius mundi, eo igitur nobis pœnam istam abstulit, dùm *peccata nostra pertulit in suo corpore.* Quinto incurrimus peccando exilium à paradiso cœlesti, ideoq; Adam vt peccavit à paradiso terrestri illicò pulsus fuit, appositaq; rhomphæa ad custodiam. Passio tamen Christi aperuit nobis cœlum clausum, clave crucis, iamq; ipsa hora Passionis latroni promisit. *Hodie mecum eris in paradiso.* Et hoc est quod Apost: Hebr. 10. d. *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi.* Sed Christianus ad hoc vltimum.

Rom: 6.

1. Petr: 2.

REQUIRET. Scripturæ dicunt ascensione Christi cœlum apertum esse. Ephes. 4. *Ascendens in cœlum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus.* Mich. 2. *Ascendit iter pandens ante eos,* non igitur Passione. ℞. Verum est sua ascensione Christus nos introduxit in possessionem regni cœlestis, verum tamen sua Passione meruit nobis introitum, & impedimenta removit, id est peccatum, illudq; duplex, vnum commune totius naturæ humanæ, quod est peccatum primi parentis, aliud speci-

ſpeciale vniuſcuiuſq; Perſonæ, quod quiſque proprio actu committit, ab vtroq; per paſſionem Christi liberati ſumus. A peccato communi, quantùm ad culpam & reatum pœnæ, Christo ſolvente pretium pro nobis: & à peccatis proprijs ſingulorum, qui communicant Paſſioni Christi per fidem, charitatem & fidei Sacramenta. Quare Hebr. 9. per Paſſionem Christi apertam nobis eſſe ianuam regni cœleſtis oſtendit Apoſtolus, d. *Christus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum &c.* per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Quod etiam in figuris præceſſit. Num: 35. homicida inuoluntarius exul manebat à domo ſua in ciuitate aliqua refugij, ad mortem magni Sacerdotis qui vnctus erat oleo Sancto. Et nos quidem vniverſi homicidio obſtricti fuimus, tanquam homicidæ animarum propriarum per peccata: extra domum cœleſtem exules fuimus, vsq; ad mortem magni Sacerdotis Christi vncti oleo Sancto, qui paſſione & morte ſua nos ab exilio ad Patriam noſtram, domum cœleſtem reuocauit.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, Paſſio Christi etiam ad informandam vitam noſtram multùm contulit: eſt enim ſicut liber in legitorio crucis poſitus, vnde legamus & diſcamus charitatem, obedientiam, humilitatem, patientiam & alias virtutes. Vt enim Auguſtinus dicit. *Sapientia Dei hominem ad exemplum quo rectè viueremus ſuſcepit.* Quicunq; autem vult rectè viuere nihil aliud faciat niſi vt contemnat quæ Christus in cruce contempſit, & appetat quæ Christus appetijt. Contempſit Christus vitam propriam, propter amorem ſalutis noſtræ. Ierem: 12. *Dilectam animam meam dedi in manu inimicorum eius.* Ioan. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*: id tu quoq; Christiane, ſiue pro ipſo, ſiue pro membris eius, ſi ita opus fuerit paratus eſſe debes facere, cùm Apoſtolus dicat. *In hoc cognoſcimus charitatem* *Dei*

in li: 83. q. q. q. 25.

1. Ioan: 3.

Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Et ipse Dominus. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, id est. *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*, qua cogitatione instructus & armatus Propheta Psal. 115. dicebat. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam.*

Ioan: 15. 1. Petr: 4.

DEINDE Christus patiens fuit, tu quoque Christiane disce ab ipso patientiam, ait enim. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Siue enim Christiane magna suffers patienter, vt Sancti Martyres Christum imitati fecerunt; siue suffers ea quæ vitare potuisti & non vitas, magna vtrobiq; patientia agnoscitur, in vtroq; Christus exemplum dedit. Nam magna pertulit Thren: 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus*: quod dum ponderat S. Thom: 3. p. q. 46. art. 6. dicit *dolores Passionis Christi fuisse maiores omnibus doloribus, vt qui tota anima & corpore patiebatur*, Et adducit rationes tam Physicas quàm Theologicas. Physica quidem causa tùm quia patiebatur in locis neruosis, & maximè sensibilibus in manibus & pedibus in quibus maximus dolor, pondusque ipsum corporis in cruce adaugebat dolorem: tùm quia corpus quo magis & meliùs complexionatum magis sentit dolorem, Christi autem corpus maxime erat complexionatum, vt pote opera Spiritus Sancti in vtero Virginis formatum. Theologica quoque causa maximi doloris ex eo monstratur, quia pro totius mundi peccatis patiebatur, quare dolor Passionis eius debebat proportionari fructui qui ex passione sequebatur. Et hunc quidem dolorem, & tantam acerbitatem passionis testatur ille sanguineus sudor, vsq; adeo, vt ad illum dolorem nihil amplius addi potuerit, vt dicit Catech: Paroch. Potuit quidem Christus vitare mortem & Passionem tam acerbam, cui plus quàm duodecim legiones Angelorum dari poterant, noluit tamen vitare propter salutem & instructionem nostram, vt *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*, *aspi-*

Luc: 21. Art: 7. & 8. Opusc: 3. c. 232. Matth. 26. Hebr: 12.

aſpicientes in authorem & conſummatorem fidei Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. PRÆTEREA Chriſtus cùm ſit *conſtitutus à Deo Iudex viuorum & mortuorum*, in tantum ſe humiliauit, vt pertulerit iudicari à Pontio Pilato, tanquam reus criminis cùm fuerit inſontiſſimus, non erubuit morte turpiſſima condemnari: te igitur Chriſtiane docet humilitatem, qui *ſemetipſum humiliauit factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.* Et quia illâ ſuâ obedientiâ vſq; ad mortem reparauit collapſa per inobedientiam Adæ, tu quoq; Chriſtiane obediens eſto ſuperiori poteſtati, filij parentibus, ſerui dominis, ciues magiſtralibus. DENIQ; contempſit Chriſtus terrena & nudus in Cruce moritur, ne tu Chriſtiane nimiùm ad illa afficiaris, ait enim Auguſt. *Omnia terrena contempſit homo Chriſtus Ieſus, vt contemnenda monſtraret.* Hîc Chriſtianus volens plenè inſtrui.

Act: 10. 1. Petr. 2. Iob: 36. Iſai: 53. Sap. 2. Philipp. 2. Rom: 5. Epheſ. 6.

QUÆSIER, Quia Chriſtus contempſit terrena; diuitias quia pauper fuit: honores, quia fugiebat ne rex conſtitueretur: veſtes quia illis ſpoliatus, an in his omnibus imitandus? Ratio dubitationis, quia per diuitias poſſumus regnum cœlorum comparare: per honores homo prouocatur ad bonum & reuocatur à malo, nam *honor alit artes* dicit Tullius lib. 1. Tuſc. *veſtis etiam ad decorem perſonæ ſpectat, & abiectus habitus ad hypocriſim* vt Auguſt. dicit lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 12. R. Epheſ. 5. Apoſt. dicit. *Eſtote imitatores Dei*, 1. Cor. 4. *Eſtote imitatores mei ſicut & ego Chriſti*, Itaq; Chriſtiane tua eſt iſta profeſſio vt Chriſtum imiteris: bona terrena non debent contemni, in quantum nos iuuant inſtrumentaliter ad ea quæ ſunt diuini amoris, ſed in quantum impediunt, proijcienda, & quia crebriùs impediunt, ideo non ſunt inordinatè oppetēda & contemni debent. De diuitijs illud Mar: 10. *Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* De honoribus Eccleſiaſtes docet, *Omnia vanitas.* De veſtibus 1. Tim. 2. vetat Apoſtolus mulieres ornari auro, margaritis & veſte pretioſa, Et Gregor. Homil. 40. in Euang. *Sunt*, inquit,

nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumq; vestium non putant esse peccatum, quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tàm vigilanter exprimeret, quòd diues qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Secundum diuinam prænotionem & præordinationem Passio Christi fuit necessaria ad corporis ipsius gloriam & nominis exaltationem. Ipse post resurrectionem suam apparens duobus discipulis ambulantibus, ac de sua Passione contristatis id aperuit, *Nonne*, inquit, *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* propter Passionem *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Gloriam corporis obtinuit, quia *resurgens à mortuis iam non moritur*. Nominis exaltationem obtinuit, quia *A solis ortu vsq; ad occasum magnum est nomen eius in Gentibus*. Quare exaltatio est merces humiliationis eius in passione, ita August: Tract: 104. in Ioan. *Vt mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus resurrectione clarificaretur & glorificaretur, priùs humiliatus est Passione: non enim à mortuis resurrexisset si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Quadruplicem exaltationem meruit sibi per Passionem, ait Sanctus Thomas, tùm quia gloriosè resurrexit, de quo per Prophetam. *Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam*, tùm quia mirabiliter ascendit: *descendit primum in inferiores partes terræ, qui autem descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos*, tùm quia sedentis ad dexteram Patris diuinitas manifestata est, Isai: 52. *Exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde*, tùm quia iudiciariam potestatem accepit Ioan: 5. *Potestatem dedit ei Pater iudicium facere quia Filius hominis est*, quippe propter humilitatem passionis. Iob. 36. *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumq; accipies*. Hic etiam Christianus.

Luc: 24. Philip: 2. Rom: 6. Malach: 1. 3.p.q.49.a.6. Psal: 138. Ephes. 4.

QUÆSIER. Christus ab instanti conceptionis manens compre-

prehensor, quomodo gloriam & exaltationem meruit per Passionem: cùm etiam ex ipsa vnione DEI & hominis id totum ipsi debitum fuerit? R. Gloriam obtinuit Christus per passionem, non gloriam animæ, quia in anima fuit semper gloriosus comprehensor, sed gloriam corporis quâ illud indigebat ante passionem.

CATECHESIS III.

DE GENERE ET LOCO PASSIONIS CHRISTI.

COgitare de Passione Domini nostri IESU Christi quâ redempti sumus, non debet desinere Christianus, vel Sponsæ Cant: 1. verbis excitatus. *Fasciculus*, inquit, *myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur*. Quod dùm ponderat Bernard. serm: 43. ita Christianum alloquitur. *Tu si sapis, imitaberis prudentiam Sponsæ, atq; hunc fasciculum myrrhæ tàm charum à pectore tuo nunquam sinas auelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit semper in memoria retinens*. Quare vt iam ex antecedentibus nonnihil prælibauit Christianus, in ista Catechesi trium contemplatione occupabitur.

I. Quàm conuenienter in Cruce Christus Passus?
II. Quàm conuenienti loco?
III. Cur inter latrones?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, sicut iam didicisti, Christum spontanea voluntate pro nobis passum, non aliqua cogente necessitate: nunc præ ceteris generibus suppliciorum gravius & horribilius, nostræ autem reparationi convenientissimum, iustum ab iniustis, pro iniustis, cum iniustis, sub iudicibus iniustis, crucis tormentum, quòd sibi ipsi delegit, perpessum contemplare.

Ascendit in crucem nostra portans peccata, Isai: 53. *Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrûm.* Et 1. Petr: 2. *Peccata nostra in corpore suo super lignum portauit.* Colos: 2. *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci.* Et hoc lignum à pereuntibus stultitia nominatur, ijs tamen qui salui fiunt, DEI virtus, DEI sapi-
1. Cor: 1. entia. Nam quia primus Adam superba & libidinosa manuum extensione ad arborem scientiæ boni & mali, vniuersum genus humanum vitiaverat, iam secundus Adam Christus vt hominem à superbia & libidine sanaret, cum summo dolore manus in arbore extendit, satisfaciens pro peccato Adæ. *Contempsit,* (inquit August.) *Adam præceptum, sumens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce inuenit.* Et quia Christus seipsum hostiam DEO suavissimi odoris exhibebat, ideo in cruce exaltari voluit; ea enim quæ offeruntur DEO in sublime eleuantur, quod Levit: 23. de manipulis novarum frugum mandatum erat. *Elevabit,* inquit, *Sacerdos fasciculum coram Domino;* quatenus etiam demersos in profundo peccatorum ad
Ioan: 12. se attrahens subleuaret Dominus, in cruce eleuatur. *Si,* inquit, *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum:* quod contemplans Chrysost: dicit. *Expansis manibus in cruce moritur, vt altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt attraheret.* PRÆTEREA, quia prævaricatio primi hominis maledictionem
Gen: 3. in vniuersum genus humanum invexerat, vt nos ab hac maledictione liberaret, in cruce exaltatur; quod mysterium exponit Apost: Gal. 3. d. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est maledictus est omnis qui pendet in ligno.* Factus pro nobis maledictum dicit Apostolus, quia maledictiones humani generis DEus in ipsum transposuit, vt pro nobis infame & execrabile crucis subiret supplicium. Et hæc crux nunc quanto in honore, ponderat Chrysost.
Homil: 88. in Matth: *Vbiq; inquit, crux honoratur, reges diademata deponentes assumunt crucem, in purpuris, in diadematibus, in armis, in mensa sacrata, vbique*

que

que terrarum crux emicat. POSTREMO, Passio Christi in cruce plurimas adimplet figuras. Primò quidem arca Noé lignea liberauit à diluuio, in octo animabus totum genus humanum: Christus per crucem suam nos liberauit à diluuio peccatorum, quare. *Benedictum lignum per quod fit iustitia.* quare canit Ecclesia. *Sola digna tu fuisti ferre secli pretium. Atq; portum præparare arca mundo naufrago.* Virgâ Moyses in exitu de Ægypto mare diuisit, Pharaonem prostrauit, populum liberauit. Exod. 14. Per crucem nos Christus traduxit de Ægypto peccatorũ, strato diabolo. Crux Christi est ille baculus quo suffultus Dauid percussit Philisthæum, & abstulit opprobrium ab electis suis, Est cythara illa, qua canente Dauid, compescitur spiritus nequam, quo Saul agitabatur. Et quia crux Christi quatuor habuit extremitates, superiorem, inferiorem, dextram, & sinistram, in ipsis Christiane contemplare quatuor beneficia per crucem collata. In superiori extremitate contemplare ianuam cœlestem apertam; in inferiori inferni destructionem: in dextera gratiæ collationem: in sinistra peccatorum remissionem. Et quia Tract: 119. in Ioan: August. dicit. *Lignum in quo fixa erant membra Christi patientis, etiam Cathedra fuit magistri docentis.* Contemplare proinde Christiane crucem Christi, atq; ex ea vitæ tuæ sume documenta, Ex suprema extremitate disce charitatem, quæ est forma & perfectio virtutum, vt dicit Ambros. ex inferiori humilitatem; ex dextera obedientiam quæ victimis antefertur; ex sinistra patientiam in aduersis. Sed hæc audiens Christianus Catechistæ.

Gen: 6. 7. 8.
Sap: 14.
1. Reg: 17.
1. Reg: 16.
Lib. 2. in Luc.
Coloss: 3.
1. Reg: 15.
Eccl: 4.

OPPONET. Qua ratione in cruce Christi impletæ sunt figuræ antiquæ, nam certum est sacrificia vetera fuisse figuras passionis Christi, in quibus animalia gladio necabantur, & igne cremabantur, vt in lege Domini res est manifesta, cur non etiam Christus simili modo oblatus est pro salute mundi? R. Ad figuras implendas non requiritur vt in omnibus figuratum respondeat figuræ: in eo tamen Passio Christi respondet

immolationi animalium, quia ſicut altare holocauſtorum fuit
Exod: 26. ex ligno, ita quoq; crux Chriſti. Et quia illa animalia cremabantur igne, ità Chriſtus igne charitatis. Pſal. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea*. Et Pſal: 101. *Aruit cor meum*. Non eſt autem gladio decollatus, neq; confracta crura, aut membra diuiſa, vt Ioannes decollatus, Iſaias ſectus, vt integrum corpus ſepulturæ ſervaretur, ne fieret occaſio ſciſſuræ corporis myſtici id eſt Eccleſiæ. Quanquam & in eo figuræ immolatorum gladio animalium reſpondetur, quia moriens in cruce, iuſtitiam gladio ſignificatam impleuit.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, illud mentem tuam ad contemplandos montes æternos evehat, quòd audis Saluatorem tuum in monte Caluariæ, in Ieruſalem eſſe crucifixum. In lib q. q. noui Teſtam: Auguſt. d. *Omnia proprijs locis & temporibus geſſit Saluator.* & ideo ſicut conuenienti tempore, ita loco conuenienti paſſus eſt. Conuenienti, inquam, tempore, die videlicet decima quarta primi menſis, vt impleret figuram agni paſchalis, qui decima die in locum immolationis introducebatur, & decima quarta immolabatur. Convenienti quoq; loco, ait S. Leo.
Exod: 12. *Bethleem elegit nativitati, Ieruſalem paſſioni.* *Ieruſalem*, inquam, *elegit paſſioni, vt ibi victimam pro omni humano genere offerret, vbi Deus ordinauerat ſibi ſacrificia fieri*. Hinc Beda cùm agit de ingreſſu Domini in Ieruſalem, dicit. *Appropinquante hora paſſionis, Dominus appropinquare voluit loco paſſionis: quia nimirum virtus naturalis è centro ad peripheriam diffunditur, virtus autem Paſſionis Chriſti quia ad totum mundum diffundenda erat, ideo tanquam in centro, in medio terræ habitabilis paſſus eſt*. Nam mons Caluariæ dicit Beda directè in medio terræ habitabilis eſt, vt adimpleretur quod per Prophetam Pſal: 73. d. *Deus autem Rex noſter, operatus eſt ſalutem in medio terræ*. In Ieruſalem Dominus patitur vt oſtenderetur iniquitas cæpta à principib9 populi Iudæorum,
DEI

DEI Filium crucifigentium, in ea enim Vrbe tunc manebant Herodes, Pilatus, Principes Sacerdotum; ſcribæ, Phariſæi, & Seniores Gentis Iudæorum, de quibus Pſal: 2. *Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius,* quos Petrus in eo ſcelere coniuratos accuſat. *Conuenerunt,* inquit, *in iſta ciuitate aduerſus Sanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael.* Et quemmadmodum vitulus & hircus, qui ad expiationem totius populi offerebantur, non in medio ſed extra caſtra cremabantur, ita Chriſtus pro expiatione totius mundi, extra Ieruſalem in monte Golgotha crucifixus, quam figuram explicans Apoſtolus Hebr: 13. dicit. *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra, propter quod & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Extra portam, inquam, Ieruſulem igne paſſionis conſumptus eſt, vbi dat vobis exemplum exeundi à mundana conuerſatione, & ſubiungit. *Exeamus ergo ad ipſum extra caſtra, improperium eius portantes.* Improperium Chriſti vocat Apoſtolus illud probrum, quo Chriſtiani vocabantur ſectatores Chriſti crucifixi, de quo tamen non erubeſcendum monet Apoſtolus. In montibus Gelbòé mortuus Saul rex Iſraël, in monte Caluariæ crucifixus Rex cæli & terræ: Maledixit Dauid montes Golbòè, tu Chriſtiane benedic montem Caluariæ in quo crucifixus Rex ſeculorum te morte ſua à morte perpetua liberauit. Hæc Chriſtianus contemplando à Catechiſta.

Act: 4. *Leuit: 16.* *Ioan: 15.* *1. Petr: 4.* *1. Reg: 31.*

QUÆRET. Cum Chriſtus paſſus ſit pro peccato primi hominis, cur non in eo loco paſſus eſt, vbi primus homo ſepultus, id eſt in Hebron vt habetur Ioſue 14. *Nomen,* inquit, *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* ℞. Non in Hebron Chriſtus crucifixus, ſed in Caluariæ monte in Ieruſalem, quia non pro ſolo peccato primi hominis mortuus eſt, ſed pro totius mundi. In Golgotha crucifixus

xus Dominus in loco communi damnatorum, in quo truncabantur capita damnatorum inde enim Caluaria nomen accepit.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Oculo pietatis contemplare iustum in medio latronum crucifixum, quod ita Matthæus narrat, *Cru-*
Matth: 27. *cifixi sunt cum eo duo latrones vnus à dextris, & vnus à sinistris.*
Ioan: 19. Et Ioannes, *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.* Medius crucifigitur quia vbiq; medius est. In mysterio SS. Trinitatis medius inter Patrem & Spiritum Sanctum, ordine enumerationis, qui respondet ordini originis, ait S. Thomas Opusc: 1. cap. 9. Medius inter DEUM & ho-
1. Tim: 2. mines. *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* In natiuitate medius, inter duo animalia Isai: 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Nunc tempore Passionis in medio latronum crucifixus, quia pro redemptione & salute peccatorum. *Christus IEsus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* 1. Tim; 1. ideo expansis manibus vt eos ad se traheret. Isai: 65. *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* In medio crucifixus, vt ostenderetur species iudicij, vbi statuet oues à dextris & hædos à sinistris; ideo duo latrones vnus à dextris cui paradisus repromissus, alius à sinistris qui blasphemus reprobatur. Hinc August: Tract: 31. in Ioan. *Ipsa crux*, inquit, *si attendas tribunal fuit, in medio enim Iudice constituto, vnus qui credidit liberatus, alius qui insultauit damnatus, iam significauit quid facturus est de viuis & mortuis, alios positurus ad dextram, alios ad sinistram.* Inter sceleratos crucifixus, tùm quo maiorem erga genus humanum pietatem ostenderet, qui vt redimeret nos ab omni iniquitate, non sufficiebat sibi ignominiosam crucem subire, sed etiam inter latrones, tanquam complex scelerum non abhorruit computari, Hinc Hieron: in Matth. cap. 27. *Sicut*, inquit, *pro no-*

pro nobis, maledictum crucis factus est Christus, sic pro salute omnium inter noxios quasi noxius crucifigitur, tùm vt piè viuens Christianus æquanimiter ferat improborum insultationes, si aliquando ab eis inter flagitiosos computetur, cùm & ipse Saluator, qui est Sanctus Sanctorum, vorax, vini potator, publicanorum & peccatorum amicus insimularetur, & inter peccatores crucifigeretur. *Sustinuit crucem confusione contempta,* ne & tu Christiane, si pie & secundum instituta legis diuinæ viuis, calumniantium insultationes verearis. Sed hîc. *Daniel: 5.* *Matth: 11.* *Hebr. 12.*

DIXERIS. Cùm non sit participatio iustitiæ cum iniquitate, indignum fuit Christum cum latronibus crucifigi. ℟. Id dignatione fecit Christus, vt sicut morte sua mortem vicit, cuius non erat debitor sed voluntate ipsam subijt, ita sua virtute voluit iniquitatem destruere, ideo cum latronibus citra meritum crucifixus. Quare sicut non indignum putauit cum latronibus crucifixi, ita etiam pertulit ab impijs blasphemari, quem prætereuntes blasphemabant dicentes. *Salua temetipsum si Filius Dei es, descende de cruce & credamus tibi.* Qui si descendisset de cruce, neq; nobis virtutem patientiæ ostendisset, neque impij credidissent: nam *impius cùm in profundum venerit contemnit.* Plus autem fuit de morte resurgere, quàm de cruce ante mortem descendere, & si non crediderunt resurgenti de morte, nec credidissent de cruce ante mortem descendenti.

CATECHESIS IV.

DE MIRABILI EFFECTV PASSIONIS CHRISTI.

PRopter nos homines & propter nostram salutem, sicut incarnatum & ex Virgine natum, ita passum & crucifixum Dominum & Redemptorem nostrum confitemur. Ita Nicæni Patres confitentur. *Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus & sepultus est.* Quòd cùm Petrus Apostolus annuntiat di-

cens. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Apodidactus Bernardus inde flagrat charitate dicens. *Super omnia te mihi reddit amabilem bone IESV, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis.* Et quia iam didicit Christianus, cur in cruce, monte Caluariæ, & inter latrones passus Dominus noster, quantum ad effectus passionis, tria considerabit in ista Catechesi.

I. Quòd ex potestate diaboli sumus liberati.

II. Quòd inde peccatorum remissionem consecuti.

III. Quòd Deo sumus reconciliati.

QVANTVM AD PRIMVM.

Christiane, ante Passionem Christi habuit diabolus potestatem in hominem multifariè. Primò ex parte ipsius hominis qui suo peccato meruit, vt in potestatem traderetur diaboli, quia consensit eius suggestioni, August: de Trin: dicit. *Iniustè diabolus quantum ad se, tenebat hominem, sed homo iustè tenebatur: quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo per culpam meruit pati tyrannidem diaboli.* Deinde ex parte DEI, qui per suam iustitiam hominem propter offensam reliquerat potestati diaboli, qui potestatem sibi concessam exercebat non solùm super animas peccatorum in inferno, sed etiã Gentes vniuersas ad idolatriam inducendo. Præterea ex parte diaboli, qui ante Christi Passionem sua peruersa voluntate à consecutione salutis hominem impediebat: de quo Iob: 41. *Non est potestas in terra quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret:* & nisi Christus venisset, homo in potestate diaboli mansisset, sed Christus venit, & sua passione nos ex potestate diaboli liberauit: ita Catechismus Paroch. *A dæmonis, inquit, tyrannide nos eripuit*, ipse enim Dominus dicit, *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Subscribit Apostolus Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Vlterius hoc

hoc ipsum in illo Luc: 11. manifestatur. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia distribuet.* Ita prorsus, omnia tyrannidè possidebat diabolus ante Passionem Christi, quo tanquam fortiore superueniente, amisit diabolus arma potestatis suæ, amisit & spolia. Etenim *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio* abstulit diabolo arma illius, vicit diabolum in quo nullum vestigium peccati diabolus inuenire potuit. Et quia contra eum diabolus arma peccatorum exacuit, qui sine peccato erat, meritò in peccatoribus potestatem amisit. Quibus armis victus diabolus, explicat Augustinus lib. 1. de Trinit: cap. 14. *Iustitiâ,* inquit, *Christi victus diabolus, quia cùm in illo nihil dignum morte inueniret, occidit eum tamen, & vtiq; iustum est, vt debitores quos tenebat liberi dimitterentur in eum credentes, quem sine vllo debito occidit.* Ampliùs modum liberationis nostræ de potestate diaboli per Christi Passionem insinuat Magister sent: lib. 3. dist: 19. *Venit,* inquit, *Christus & alligauit fortem vinculis passionis suæ, intrauit in domum eius, id est in corda eorum vbi ipse habitabat, & vasa eius id est nos eripuit, quæ ipse impleuit amaritudine sua.* DEus autem noster vasa eius eripiens & sua faciens, fudit amaritudinem & impleuit dulcedine per mortem suam à peccatis redimens, & adoptionem gloriæ filiorum largiens. Et cùm Rom: 5. ait Apostolus. *Commendat Deus charitatam suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est;* ibid: Magister dicit, *Exhibita tantæ dilectionis erga nos arrha, & nos mouemur accendimurque ad diligendum Deum, qui pro nobis tantum fecit,* Ex his autem Christianus.

Psal: 23. *Ioan: 14.* *August:*

QUÆRET. Quomodo sumus liberati à potestate diaboli, per Christi passionem siquidem adhuc potest tentare in anima, & in corpore vexare? ℞. Quamuis hoc possit etiam nunc, habemus tamen remedium ex Passione Christi contra ipsius versutias. Et cùm Apoc: 20. dicit Ioannes. *Vidi Angelum descen-*

dentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est satanas & diabolus, & ligauit eum per annos mille, & misit illum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes. August: serm: 197. de temp. Passione Christi diabolum dicit ligatum. *Ante aduentum*, inquit, *Christi, solutus erat diabolus, venit Christus alligauit diabolum.* Sed dicat aliquis, si alligatus est quare adhuc tantum præualet? verum est quia multis præualet, sed tepidis & negligentibus, & DEUM in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere nisi eum, qui se ei mortifera securitate coniunxerit, latrare potest, solicitare potest, mordere non

3. p. q. 49. a. 2. 2m. potest nisi volentem. Deinde ante passionem Christi, quantum ad aliquid, ait S. Thomas, nullus poterat diaboli manus euadere, vt scilicet non descenderet in infernum: à quo post passionem Christi se possunt homines eius virtute tueri; qui

Coloss. 2. *expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, propter peccata traditi fuimus sub potestate diaboli, & quia per passionem suam nos Christus liberauit ex eius potestate, rupit vincula, quibus ligatos diabolus tenebat, deleuit nostra peccata. Hinc Catech. Paroch. *Domini*, inquit, *passio peccati liberatio fuit, lauit enim nos à peccatis nostris in*

Apoc: 1. *sanguine suo.* Ephes. 1. *Habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.* In lege Moysi varia fuerant sacrificia in-

Hebr. 5. stituta pro peccatis, vt fuse habetur Leuit. 4. 5. 6. & 7. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et quia illa sacrificia figuræ erant passionis Christi; certè per illam obtinuimus, quod per vetera obtineri non potuit: neq; enim illa sacrificia poterant expiare peccata & sanctificare homines,

sed

ſed proteſtationes tantùm erant expectationis paſſionis Chriſti, quâ fieret peccatorum remiſſio, Hinc Apoſtolus, *Impoſſibile eſt*, inquit, *ſanguine taurorum aut hircorum auferri peccata, ideo Chriſtus ingrediens mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocautomata & pro peccato non tibi placent, tunc dixi ecce venio.* Neq; etiam illa ſacrificia ratione rei oblatæ in ſe Deo placebant, ad purganda peccata, ſed ratione deuotionis offerentis. Corpus autem Chriſti in cruce oblatum, etiam ratione ſui, ad expianda peccata multùm DEO placuit, & remiſſionem peccatorum nobis obtinuit. Quare Auguſt: in lib. de agone Chriſti. *Fuſo*, inquit, *ſanguine ſine culpa, omnium culparum delentur chirographa, quibus debitores qui in illum credunt, à diabolo antè tenebantur.* Sed hîc anima Chriſtiana delectata audiens remiſſionem peccatorum per Chriſti paſſionem. Hebr: 10.

QVÆRET. Quibus modis per paſſionem Chriſti fit remiſſio peccatorum? ℞. Tres ſunt modi. Primò quantum per eam prouocamur ad charitatem & dilectionem DEI: per charitatem enim conſequimur remiſſionem peccatorum, *quia charitas operit multitudinem peccatorum*, vel vt alibi. *Vniuerſa delicta operit charitas*, ita Luc. 7. per charitatem feruidam peccatrix obtinuit remiſſionem peccatorum. Deinde in paſſione & ſanguiChriſti, qui ſoluit quæ non rapuit redempti ſumus a peccato: quia enim ipſe eſt caput noſtrum, per paſſionē ſuam quam ex charitate ſuſtinuit, liberauit nos tanquam membra ſua à peccatis, ponens vt pretium ſanguinem paſſionis ſuæ. Sicut enim corpus naturale eſt vnum ex diuerſitate membrorum conſiſtens, ita tota Eccleſia, quæ eſt myſticum Chriſti corpus, computatur quaſi vna perſona cum capite ſuo Chriſto. Et ſicut perſona aliqua humana, per actum meritorium capitis ſui nempe dans conſilium multùm vtile redimeret ſe à peccato, quod manibus commiſit, ita (perſiſtendo in proportione corporis myſtici ad corpus Phyſicum) per actum meritorium capitis noſtri Chriſti, nos membra eius à peccatis noſtris redem-

1. Petri. 4.
Prou: 10.
Magiſt: lib: 3. d. 19. 3. p. q. 49 a. 1.

pti ſumus. Præterea per paſſionem Chriſti à peccatis liberati ſumus, in quantum caro eius paſſa inſtrumentum eſt diuinitatis. Vnde paſſiones & actiones eius operantur in virtute diuina ad expianda peccata. Sed aliquis.

DICET. Si ſacrificia illa vetera non placebant Deo ratione rei oblatæ vt dictum eſt, cur illa inſtituit & offerri voluit? ℞. Inſtituit illa ſacrificia populo carnali, vt per illa ab idololatria retraheretur, & vt DEO potius res illæ quàm idolis offerrentur, & vt figura eſſent futuræ Paſſionis Chriſti; vt ſuper Pſal: 39. ℣ 9. f. notauit Aygnanus.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, nos qui fuimus aliquando inimici DEI propter offenſam, per paſſionem Filij eius in gratiam admiſſi ſumus, ait enim Apoſtolus. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius.* Erigitur inde ſpes noſtra, ſi enim nos inimicos reconciliauit Patri Chriſtus Patiens, quanto magis reconciliatos ſaluabit viuens & regnans? Paſſio ergo Chriſti cauſa fuit reconciliationis noſtræ, & hoc duplici modo. Tùm quia remouit peccata, propter quæ homo conſtituitur inimicus DEI, nam *ſunt odio Deo impius & impietas eius.* Et, *Altiſſimus odio habet peccatores.* Quia verò Chriſtus *peccata noſtra tulit in corpore ſuo ſuper lignum*, pacem inter nos & DEUM compoſuit. *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum.* Quare Magiſt. ſent. *Reconciliauit nos*, inquit, *Chriſtus cum Deo, dùm offendicula hominum tollit ab oculis* DEI, *id eſt, dùm peccata delet quibus* DEUS *offendebatur, & nos inimici eius eramus.* Tùm quia Paſſio Chriſti, fuit ſacrificium DEO acceptiſſimum, cuius effectus propriè fuit placare DEUM. Neq; verò Chriſtiane ita intelligere debes nos per Paſſionem Chriſti reconciliatos, vt tunc de nouo nos Deus inciperet reconciliatos amare, qui ante mundi conſtitutionem nos dilexit, nempe in charitate perpetua, ſed quia per Paſſionem ſublata fuit cauſa odij, cùm per ablutionem

Rom: 5. Sap. 14. Eccl: 12. 1. Petr: 2. Epheſ. 2. lib. 3. d. 19. Epheſ. 1. Ierem: 31.

nem peccati, tùm per recompensationem acceptabilioris boni charitatis scilicet & obedientiæ. Et quamuis Apost: 2. Cor: 5. dicat. quòd DEus Pater nos sibi reconciliauit. *Deus*, inquit, *erat in Christo mundum reconcilians sibi*: propriè tamen Christus per passionem est reconciliator. *Reconciliauit nos tota Trinitas virtutis vsu*, ait Magist. *scilicet dùm peccata delet. Sed Filius solus impletione obedientiæ, in quo patrata sunt secundum humanam naturam, per quæ credentes & imitantes iustificantur.* Similiter quamuis tota Trinitas dicatur nos redemisse, vt prima causa, propriè tamen Christus secundùm humanam naturam nos redemit, qui proprium sanguinem & vitam propriam pro omnium redemptione exposuit.

DICES. Causa offensæ non est causa reconciliationis: pugnant enim secum. Passio Christi potius est causa offensæ, quia malitiâ hominum perpetrata, & illa malitia grauissimè offendit DEUM, vnde & vindictam grauem obtinuit: quod in illa parabola agricolarum heredem vineæ occidentium declaratur. *Malos*, inquit, *malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*, quomodo ergo passio Christi causa reconciliationis? ℞. Verum quidem est, grauissimè peccauerunt Iudæi occidentes Christum, quorum peccatum aggrauatur cùm ex genere suo: occiderunt enim hominem qui DEus erat, tùm ex malitia voluntatis eorum: nec dignum miseratione vt Amos 2. dicitur. *Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iustum.* Quatuor scelera Iudæorum hic ostendit Propheta, vnum fuit adoratio vituli. Exod. 32. Secundum, quando DEum negauerunt sub Ieroboam, 3. Reg: 12. Tertium, quando prophetas occiderunt, & contempserunt monitiones, 2. Paral: 36. Quartum omnium maximum & grauissimum, quando Christum DEI Filium vendiderunt & iniustè condemnauerunt. Vendiderunt iustum pro argento, scilicet triginta argenteis, qui solus iustus peccatum non fecit, cùm tamen ceteri *Zachar: 11. Matth: 26. Isai: 53.*

teri homines peccatores fuerint. Grauissimè ergo peccauerunt Iudæi occidentes iustum, ideo etiam grauissimè puniti. Sed ad postulatum dicendum licet grauissimè Deus offenderetur malitiâ occidentium Christum quià tamen charitas Christi patientis pro iniquitate, maior erat quàm iniquitas crucifigentium, ideo passio Christi ex se magis valuit ad reconciliandum DEUM toti humano generi, quàm ad prouocandum ad iram, ex parte crucifigentium.

CATECHESIS V.

DE MODO LIBERATIONIS NOSTRÆ PER CHRISTI PASSIONEM.

RECOLENS Ecclesia beneficium salutis & reconciliationis humani generis per Passionem Christi in festiuitatibus S. Crucis, ita canit. *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus.* Iam cognouisti Christiane non alio pretio te redemptum, saluatum, & liberatum nisi Christi DEI & hominis passi sanguine. Si verò modum etiam cognoscere desiderâris, quo per sanguinem Christi sis saluatus & liberatus, triplex tibi in ista Catechesi ad contemplandum proponitur. Liberauit enim nos.

I. Vt caput Ecclesiæ, promerendo.

II. Vt mediator, satisfaciendo.

III. Vt Sacerdos, Sacrificando.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Passionem Christi deuotè meditare quâ tibi salutem & liberationem promeruit, quam contemplando Magist: sent. ostendit quomodo sibi & nobis meruit. *Meruit membris suis*, inquit, *redemptionem à diabolo, à peccato, à pœna & re-* lib: 3. d. 18.

gni

gni reserationem, vt amotâ igneâ rhomphæâ liberè pateret introitus. Cùm Apostolus Philipp. 2. d. *Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* August: Tract: 104. in Ioan. ita illud expendit. *Humilitas passionis claritatis est meritum, & claritas humilitatis præmium.* Ergo clarificatus est per suam passionem non solùm ipse in propria persona, sed etiam in membris, in fidelibus suis clarificationem meruit. Nam cùm Ioan: 17. orans ad Patrem dixisset. *Pater venit hora clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te:* pòst, de claritate fidelium subiungit. *Et clarificatus sum in eis.* Et enim si homo in gratia existens, cùm pro iustitia patitur meretur sibi salutem, cui beatitudinem tanquam præmium ipse Dominus pro merito tribuat; est enim persona digna per gratiam cui vita æterna tribuatur; nam *Gratia Dei est vita æterna.* Rom: 6. Quid dicendum de merito Saluatoris nostri, cui gratia data est, non solùm vt singulari personæ, sed etiam vt est caput Ecclesiæ, vt ab ipso redundaret in membra, meruit profectò & sibi & nobis, & quidem ab instanti conceptionis suæ, vt loco supra notato cap. 2. dicit Mag. sent: *Non solùm,* inquit, *Christus meruit, quando Patri obediens crucem subijt, sed etiam ab ipsa conceptione ex quo factus est homo, per charitatem & iustitiam & alias virtutes.* Verùm quia ex parte nostra fuerunt quædam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum præcedentium meritorum, ad remouenda illa impedimenta oportuit Christum pati, atq; ita per passionem & mortem omnium suorum meritorum consummationem fecit. Isai: 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum,* vbi passio & mors ponitur tanquam conditio requisita ad meritum Christi; quo etiam spectat illud Hebr: 9. *Ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Hinc S. Tho: 3 p. q. 48. art. 1. ad 3m. d. *Passio Christi habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, non*

propter maiorem charitatem, sed propter genus operis quod erat conueniens tali effectui; quod quidem genus operis Deus elegit, vt per illud
Hebr: 2. *consummaretur nostra redemptio. Decebat enim qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Iam ergo passus & mortuus compleuit merita sua, vt iam non mereatur amplius, cùm non sit viator sed comprehensor, eamque consummationem ostendit moriens Ioan: 19. clamans.
Hebr: 5. *Consummatum est.* Quare consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ; non habens necessi-
Hebr: 7. tatem quotidie pro delictis populi hostias offerre, hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Sed Catechistæ quis fortè

OPPONET. Quomodo Christus per passionem mereri potuit, siquidem principium passionis non fuit in ipso, sed ab exteriori fuit, nempe à crucifigentibus, & vtiq; non possumus mereri nisi per ea, quorum in nobis est principium, orando, ieiunando, eleémosynas dando meremur, quia horum principium in nobis, sed dùm patimur persecutionem quomodo meremur, cùm non in nobis, sed in aduersario sit principium. R. Non ipsa passione vt sic meremur, sed dùm voluntariè & libenter proter gloriam DEI patimur, vt sic, in nobis sit principium nempe voluntas bona, atque hoc modo Christus meruit voluntate pro nobis passus.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, cùm satisfactio sit æquiualentis (aliâs indebiti) redditio, ille enim propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offēso id, quod æquè vel etiam magis diligit quàm oderit offensam; & quia humanum genus peccando DEI honorem abstulerat, pro cuius satisfactione nihil æquiualens atq; indebitum poterat reddere, quia quidquid poterat ad honorem DEI facere, iam totum debitum erat ratione creationis. Quare solus Christus sua passione & sanguinis effusione ex charitate & obedientiâ patiendo satisfecit superabundanter, quia

maius

maius DEO aliquid exhibuit, quàm exigeret recompensatio offensæ totius humani generis. Satisfecit,inquam,propter magnitudinem charitatis ex qua patiebatur, & eam Ioan: 14. protestabatur *Vt cognoscat, inquit, mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Et iterum cap. 15 *Maiorem hac, dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et siquidem valet satisfactio vnius hominis pro alio non solum apud homines, sed etiam apud DEUM. Nam si cui condigna in foro interiori pœnitentiæ assignetur satisfactio & pœnitentia pro peccatis, potest alterum ex consensu confessarij assumere, qui se iuuet in onere illo portando; nam & Apostolus d. *Alter alterius onera portate*, item apud homines, qui soluit debitum pro alio satisfacit: profecto ipse Christus, qui est frater noster, caro nostra, insuper caput nostrum, per passionem suam pro omnibus delictis nostris,& debitis satisfecit Patri. Deinde satisfecit ex dignitate vitæ suæ,quam ponebat in satisfactionem,quæ fuit vita hominis & DEI. *In ipso enim inhabitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. PRÆTEREA, ex generalitate passionis & magnitudine doloris, ideoq; passio eius, non solum sufficiens, sed etiam superabundans fuit satisfactio pro peccatis humani generis, id quod Apostolus asseuerat, *ipse*, inquit, *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* Rom: 5. *Non sicut delictum ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis IEsu Christi in plures abundauit, vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.* Quapropter omnia merita nostra & satisfactiones vim accipiunt ex merito & satisfactione passionis Christi, quod declarat Concil: Trid. sess: 14. cap. 8. de Sacramento pœnitentiæ. *Non habet, inquit, homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus.* Sed hîc

Gal: 6.

Coloss: 2.

1. Ioan: 2.

QUÆSITER. Quomodo Christi passio satisfecit pro omnibus ad salutem, cùm non omnes saluentur, multi enim sunt

qui excidunt à salute; id ipse Christus videtur innuere de sui sanguinis effusione affirmans. *Hic est*, inquit, *sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur*: & non dicit pro omnibus, sed pro multis. ℟. Christi passio pro omnibus ad salutem sufficienter satisfecit, sed non pro omnibus efficaciter: pro omnibus, inquam, quantum ad sufficientiam & ad remissionem culpæ atq; adeptionem gratiæ & gloriæ, sed effectum non habuit nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, spem, charitatem, & alias virtutes atq; bona opera.

QUÆSIER. iterum. Adam & alij Sancti patres satisfecerunt pro suis peccatis, quid necesse fuit Christi passionem pro nostra salute satisfacere? ℟. Adam & alij Sancti Patres satisfecerunt pro peccatis suis, sed tamen in fide passionis Christi, de quibus Hebr: 11. *Hi omnes testimonio fidei probati sunt.* Nam illa est fides sana, quâ credimus nullum hominem siue paruæ siue maioris ætatis, liberari à contagio mortis & obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem DEI & hominum IESUM Christum. Deinde satisfecerunt illi pro peccatis suis, secundum quod peccatum corrumpit bonum personæ, non secundum quod corrumpit naturam; & pro isto Christus passione sua satisfecit.

August: de correp: & gratia.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, sua passione nos Christus saluauit, suam carnem in ara crucis pro salute & liberatione nostri sacrificando. *Qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis.* Id quod ipse in horto orans ad Patrem dixit. *Pater pro eis ego sanctifico meipsum*: sanctificabat videlicet seipsum pro nobis sacrificando propter remissionem peccatorum nostrorum: *Semel oblatus est ad exhaurienda multorum peccata.* Hebr. 9. atq; huius cruenti sacrificij efficaciam cap. 10. præfert omnibus sacrificijs veteris legis, quæ non poterant auferre peccata. *Omnis*, inquit, *Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem*

Ephes: 5.

Ioan: 17.

easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam auferre possunt peccata, hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Sacrificium DEI appellatur omne opus quod fit ad honorem DEO debitum, & ad ipsum placandum, ita enim August: lib: 10. de Ciuit. cap 6. *Verum,* inquit, *Sacrificium est omne opus, quod agitur vt sancta Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.* Et quoniam Christus patiebatur propter honorem DEO debitum, vt exinde omnes gentes agnoscerent & colerent DEUM, de quo Propheta Psal. 50. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Acceptauit enim DEUS sacrificium iustitiæ ad honorem suum in cruce à Christo oblatum, per quod augetur honor DEI & cultus, vt passim super altare vituli offerantur, id est lasciui & in proposito inconstantes sacrificium laudis dabunt DEO. Patiebatur item Christus propter placandum DEUM, cuius sacrificij odore magis placatus quàm olim à Nöé oblati. Et congruè pro peccatis hominum caro humanæ naturæ offerebatur, quæ cùm sine peccato fuerit, efficax plurimum ad mundanda peccata; quam quidem carnem obtulit is, cuius erat caro, idem Sacerdos & sacrificium, acceptissimum autem DEO, propter nimiam charitatem offerentis, lib: 4. de Trin: cap. 14. August: d. *Quid tàm congruenter pro hominibus offerretur quàm humana caro? quid tàm mundum pro immundis vitijs mortalium, quàm sine carnalis contagione concupiscentiæ caro? nata in vtero & ex vtero Virginis? & quid tàm gratè offerri & suscipi posset quàm caro sacrificij nostri corpus effectum Sacerdotis nostri?* Christus dum clamaret in cruce *Eli, Eli lamma-sabacthani,* figuram sui sacrificij ostēdit præcessisse in ariete quem Abraham immolauit Gen: 22. quod subtiliter perpendit Leo à Castro in cap. 29. Isai. ait enim hæc Christum dixisse, *vt iudicaret se esse illum arietem pendentem ex arbore Sabec,* id est in cruce, *quem Deus sub typo alterius arietis olim Abrahæ ostenderat immolan-*

landum pro Isaac, ideo hîc nomen Sabecthani potiùs quàm aliud vsurpauit, vt illam arborem in memoriam fidelibus reuocaret, seq; ostenderet illam figuram cumulatissimè implere.

DICES tamen. Sacrificium est res sacra, indeque sacrificium offerre est rem sacram facere: quomodo passio Christi sacrificium dici potest, cùm crucifigentes & occidentes ipsum non aliquid sacrum sed impietatem fecerunt? ℞. Passio Christi non dicitur sacrificium à crucifigentibus oblatum, sed ab ipso Christo; non enim illi obtulerunt, sed Christus ex summa charitate & obedientia patiens, ideo etiam acceptissimum. Quare hîc obseruabis quod Magist: sent: lib. 3. dist. 20. d. *Passionem Christi dici & Iudæorum opus quia ex actibus eorum prouenit, & Dei, quia eo authore, id est voluntate fuit, idem opus bonum & malum: bonum, in quantum authore Deo, malum, in quantum praua intentione Iudæorum.* Bonum itaq; opus ex vna parte operati sunt Iudæi, quando Christum ad passionem tradiderunt, quantum ad opus operatum, quia ex passione Christi honor debitus DEO prouenit, & redemptio facta totius humani generis eiusque exaltatio. Hebr: 2. *Videmus IEsum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem:* ex altera parte sua scilicet operatione malum opus operati sunt, quia intentio illorum fuit praua, nempe ex odio & inuidia. Quare & Sacerdos accedens cum conscientia peccati mortalis ad tremendum Missæ sacrificium, bonum quidem opus facit ex parte rei operatæ, idest sacrificij quod multum placet & acceptatur à DEO, tamen ex parte operantis opus malum operatur, Sacrilegium committit, quo grauissimè DEUS offenditur.



PARS

PARS SECVNDA
ARTICVLI IV.
Mortuus & ſepultus.
CATECHESIS VI.
DE MORTE REDEMPTORIS.

EQuidem ſatis expreſſam de vera morte Chriſti in cruce fidem ab Euangeliſtis accepimus, omnes enim conſentiunt in vnum verbum, nempe IESUM inclinato capite Spiritum emiſiſſe, qui cùm fuerit verus DEus, verus etiam homo. Et homo quidem verè moritur ſeparatione animæ à corpore, ita IESUS verè mortuus eſt, quia anima eius à corpore per triduum ſeparata fuit. Meritò tamen SS. Apoſtoli hanc fidei doctrinam nobis in Symbolo voce viua tradiderunt, dicentes. *Mortuus & ſepultus eſt*, de quo Catech. Paroch. quia, inquit, non defuerunt Baſilidiani & Marcionitæ, qui eum negarunt in cruce verè mortuum. Quare in præſenti Catecheſi tria de morte Chriſti proponetur.

I. Cur voluit Dominus mori?

II. Quòd diuinitas nec ab anima, nec à corpore fuit ſeparata.

III. Quòd moriens fructum noſtræ ſalutis attulit.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, non ſolùm pati, ſed & mori Chriſtus voluit, idq; magnâ conuenientiâ & neceſsitate, quod vel Caiphas prophetice Ioan: 11. prædixerat. *Expedit*, inquit, *vobis vt*

vnus

vnus homo pro populo moriatur, & non tota gens pereat, quod August. Tract: 49. in Ioan. ponderans dicit. *Caiphas de sola gente Iudæorum prophetauit, verumtamen IEsus moriturus erat non tantum pro gente, sed vt Filios Dei qui dispersi erant congregaret, id est vniuersitatem gentium, ex quibus nondum quidem erant Filij Dei, futuri tamen erant,* dicit August. Hæc secundùm prædestinationem dicta sunt, nam neq; oues eius, neq; filij DEI adhuc erant, qui necdum crediderant. Voluit ergo Christus mori, tùm vt satisfaceret pro humano genere, quod propter peccatum morti erat adiudicatum: nam *stipendia peccati mors.* ergo satisfecit

Rom: 6. pœnam mortis pro nobis suscipiendo & sustinendo. 1. Petr. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est;* voluit ergo mori, vt dùm pœnam nobis debitam ipse sine culpa sustineret, nos à reatu mortis liberaret. Tùm etiam mori voluit, vt nobis mors eius esset non solùm satisfactionis remedium, sed etiam salutis Sacramentum, vt ad similitudinem mortis eius, nos carnali vitæ moriamur in spiritualem vitam translati; Rom. 6. *Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem viuit, viuit Deo, ita & vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.* Mori voluit, vt nobis mors eius esset perfectæ virtutis exemplum; primò quidem charitatis, quam nobis exhibuit, tantò enim magis amare quis ostenditur, quantò grauiora pro aliquo patitur, & quid grauius morte, per quam tota

2. Ethic: c. 6. hominis vita tollitur? *est enim mors rerum omnium extremum,* vt dicit Philosophus. Deinde exemplum dedit fortitudinis, ad quam maximè pertinere videtur, vt etiam nec timore mortis à virtute recedas, dicit enim Apostolus. *Communicauit carni & sanguini, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium,*

Hebr: 2. *id est diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Præterea docet patientiam, quæ in aduersis non sinit hominem tristitiâ absorberi; maximè autem aduersa est mors, quam quia Christus sine mentis perturbatione sustinuit, perfectæ patientiæ exemplum exhibuit, de quo

Isai: 53. *Tanquam agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suum.* Insuper obedientiam docuit, quia in re tàm difficili Patri obediens fuit, vt mori non recusaret. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ioan: 14.

QUÆSIER. Si mori voluit Christus pro nobis, cur non ordinaria morte sed per passionem? ℞. Sunt huius multæ congruentiæ, tùm vt impleret figuras, quæ effusionem sanguinis eius significabant, vt illæ victimæ; tùm ne videretur necessitate compellente mortuus, ex infirmitate naturæ, propterea ab extrinseco mortem sustinuit, cui se sponte obtulit. Nos quidem morimur quasi morti subiecti ex necessitate vel naturæ, vel alicuius violentiæ nobis illatæ, Christus autem mortuus est, non ex necessitate, sed potestate & propria voluntate, Ioan: 10. *Potestatem,* inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Nam quod in Christo secundum humanam naturam fuit naturale, totum eius voluntati subiacebat, propter diuinitatis virtutem cui subiacet tota natura. Erat itaq; in potestate Christi vt quamdiu vellet, anima eius vnita corpori remaneret, & cùm vellet statim separaretur ab ipso. Atq; huius diuinæ virtutis initium fuit, quòd voce magna clamans exspiraret, quam virtutem agnouit centurio cum suis dicens. *Verè Filius Dei erat iste;* quod & Apostolus dicit. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, sanguis & aqua:* Spiritus id est clamor ille vehemens testabatur diuinam virtutem. Matth: 27. 1. Ioan: 5.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, de morte Redemptoris nostri peruersè aliqui opinati sunt, existimantes diuinitatem & a corpore & ab anima in morte fuisse separatam, propter illa verba clamantis in cruce. *Deus meus vt quid dereliquisti me.* Tu verò Christiane fuge huiusmodi fatuitatem. Clamabat autem Christus se derelictum, quia fuit expositus persecutioni iniquorum. Hinc Magist: sent. lib. 3. dist: 21. *Non recesserat,* inquit, *Deus ab homine,*

ita quòd esset soluta vnio Dei & hominis, alioquin fuit quoddam tempus, quando Christus adhuc viuens homo erat & non Deus, quia adhuc viuens se derelictum clamabat non derelinquendum. Si ergo illa derelictio vnionis intelligatur solutio, antè facta fuit solutio DEI & hominis quàm Christus mortuus esset. Sed quis hoc dicat? separauit igitur se diuinitas ab humanitate, quia subtraxit protectionem sed non soluit vnionem. Separauit se foris, vt non adesset ad defensionem, sed non defuit intus ad vnionem. Quare quod ordinatum fuit Leuit: 16. vt duo hirci in festo expiationis ante ostium tabernaculi testimonij pro peccato statuerentur, quorum vnus, missis sortibus, Domino immolaretur, alter viuus in desertum emitteretur, significabant humanitatem & diuinitatem Christi, ita quòd immolatus humanitatis, emissus Diuinitatis figuras explerent. Vnde Esichius. *In solitudinem*, inquit, *id est in cœlum tempore passionis diuinitas abijsse dicitur, non locum mutans, sed quodammodo virtutem cohibens, vt possent impij consummare passionem.* Abijt ergo id est virtutem cohibuit & portauit iniquitates nostras, non vt haberet, sed vt consumeret. *Deus enim ignis consumens est.* Deut: 4. DEINDE si separata fuisset diuinitas ab anima, non posset dici, quòd post mortem Filius DEI descendisset ad inferos: & si à corpore, non posset similiter dici, quòd Filius Dei sepultus fuisset: hoc autem vtrumq; Apostoli in Symbolo tradiderunt. *Mortuus & sepultus, descendit ad inferos.* Quis ille? nempe quem confessi sunt IESUM Christum Filium DEI. Et si credimus quòd diuinitas non fuit separata à corpore, profectò nec ab anima; siquidem immediatiùs & per prius vnita est verbo DEI quàm corpus: à corpore autem non fuit separata, nam donum hoc vnionis fuit per gratiam, & gratia absq; culpa non reuocatur: in carne Christi sicut in anima nullum præcessit peccatum. Quis dicat vnionem personalem solutam in morte? Hinc Damasc: lib. 3. c. 27. *Quamuis*, inquit, *Christus mortuus est vt homo, & sancta anima eius separata à corpore immaculato, diuinitas tamen inseparabilis ab vtroq; permansit.*

QUÆ-

QUÆSTER. Separata anima à corpore per mortem, quomodo non etiam diuinitas ab eodem corpore diuisa fuit siquidem mediante anima diuinitas corpori vnita fuit, & amoto medio separantur extrema? ℞. Mediante anima diuinitas vnita fuit corpori, non eo modo quasi anima fuerit, quasi medium ligans diuinitatem corpori, sed quia per animam corpus pertinet ad humanam naturam, quam Filius DEI assumpsit. Habebat autem corpus ab anima etiam post mortem, quòd pertineret ad humanam naturam, in quantum ordinante DEO in resurrectione animæ vniendum erat.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, cùm audis lætabundam & triumphantem in solemnitate Paschali Ecclesiam atq; dicentem. *Qui mortem nostram moriendo destruxit.* exulta inæstimabiles fructus mortem Christi humano generi attulisse: nam imprimis vna morte sua in corpore, duas mortes nostras corporis scilicet & animæ destruxit. *Et quia mortem animæ peccatum introduxit, ideo mors Christi* Auguſt: li: 4. *hanc mortem destruxit. Traditus est enim propter delicta nostra,* id est de Trin: c. 3. vt sua morte pœnam debitam peccatis nostris ipsamq; mortem animæ aboleret. Destruxit & mortem corporis. Oseæ 13. Rom: 4. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne.* Apostolus autem 1. Cor: 15. dicit. *Absorpta est mors in victoria.* Quia enim mors est priuatio vitæ propriæ, Christus autem moriens vitam propriam posuit, ideo effectus suæ mortis vnius, fuit destructio mortis vtriusque nostræ, vt sicut mors illa destruxit vitam eius corporalem, ita vtraq; mors nostra corporis & animæ, illâ vnâ illius morte destrueretur.

QUÆSIER. Si mors Christi destruxit mortem nostram, an per modum meriti, sicut humiliatio Passionis per modum meriti nostram salutem operata est? at hoc non: cùm enim anima sit principium merendi & illa fuit separata à corpore mor-

tuo, morsq; illa fuit corporalis, quomodo ergo mors Christi mortem nostram potuit destruere? ℞. Mors Christi in facto consummata destruxit mortem nostram non per modum meriti, sed per modum efficientiæ, ideo etiam separatâ animâ à corpore, mors operabatur ad salutem nostram, virtute diuinitatis cum corpore mortuo vnitæ. Et hoc modo ait S. Thom. *quidquid contigit circa carnem Christi, etiam anima separata fuit nobis salutiferum virtute diuinitatis, cuius diuinitatis etiam ipsum corpus fuit instrumentum.*

CATECHESIS VII.

DE CHRISTI SEPVLTVRA.

Bernard: Lutzemb: lib. 2. lit. F.

VErè mortuum non simulatè aut phantasticè, vt Faustus Manichæus malè opinabatur, confitemur cum Apostolis & totâ Ecclesiâ Dominum nostrum IESUM Christum, cuius mortis argumentum est ipsa eius sepultura, non enim viui sed mortui sepeliuntur: neque verò solùm credimus Christi corpus sepultum esse, sed illud præcipuè his verbis credendum proponitur DEUM sepultum esse, quemadmodum ex fidei Catholicæ regula verissimè etiam dicimus DEUM mortuum, DEUM ex Virgine natum: nam cùm diuinitas nunquam diuisa fuerit à corpore quod in sepulchro conditum est, rectè confitemur DEUM sepultum esse, cum Apostolis dicentibus. *Crucifixus, mortuus, & sepultus.* Et cum Patribus Nicænis, *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, Passus & sepultus est.* Sed in hac Catechesi tria quoq; ad contemplandum Christiano dantur.

I. Quàm conuenienti modo Christus sepultus.

II. Corpus eius quomodo tribus diebus & tribus noctibus in sepulchro fuit?

III. Corpus illud nulli corruptioni in sepulchro obnoxium fuit.

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, cùm audis viros Iabes Galaad commendatos à Dauid & benedictos 2. Reg: 2 pro illa humanitate & obseruantia erga vnctum Domini Saul regem Israël, quem sepeliêrunt mortuum in montibus Gelboë. 1. Reg: 31. Cogita qua benedictione potiuntur Ioseph ab Arimathæa, nobilis Decurio & Nicodemus princeps Iudæorum, qui crucifixum vnctum Domini, atq; omnis creaturæ Dominum cum mixtura myrrhæ & aloés alijsq; aromatibus sepeliêrunt. August. lib. 1. de Ciuit: cap. 13. *Laudabiliter*, inquit, *commemorantur in Euangelio, qui corpus Christi de cruce acceptum diligenter & honorificè tegendum sepeliendumq; curauerunt.* Quòd si meritorium est opus misericordiæ dùm quis sepelit mortuos, quod in Tobia laudat scriptura, quanti meriti fuit DEUM in humana carne sepelire mortuum? inde magnifica sepultura Domini nostri Isai. 11. *Erit sepulchrum eius gloriosum:* quia à magnatibus fuit sepultus secundùm morem sepeliendi Iudæorum cum aromatibus à Nicodemo sepultus, in quo mysterium, & tua Christiane eruditio; illæ enim species myrrhæ & aloés propter amaritudinem significant pœnitentiam, per quam in tua mente conseruabis Christum absq; corruptione peccati. Et quia corpus IESU involutum erat Sindone munda, ad tuam instructionem Hieronymus exponit, vt tunc Sindone munda inuoluas IESUM, id est purâ conscientiâ, quando suscipis ipsum in Sacramento. In horto sepultus IESUS, datur tibi intelligere, quòd per mortem & sepulturam Christi liber sis à morte, quam per peccatum Adam in horto paradisi commissum, incurristi. In alieno sepulchro ponitur, scilicet in monumento Ioseph, vt scias eum qui propter te voluntariè pauper erat, nec in vita habens domum, nec post mortem suum sepulchrum, propter salutem tuam mortuum. In nouo sepulchro ponitur, in quo nondum quisquam positus erat, hoc famula

Matth: 27. *Ioan: 19.* *Matth. 27.* *2. Cor: 8.* *Luc: 9.*

mulatur testimonio veræ eius resurrectionis, si enim inter alios mortuos positus fuisset, dùm resurrexit à mortuis inimici dixissent (ait Theophilactus) non ipsum sed quempiam alium ipso remanente in sepulchro, resurrexisse: sed & tu Christiane morte & corruptione sublata per Christi sepulturam debes renouari. Istud deniq; sepulchrum excisum erat in petra, quia in corda nostra olim dura ad modum petræ, iam per doctrinam infertur Christus. Saxum insuper ingens ad ostium monumenti fuit aduolutum, ne quid facilè in monumentum illud ingrederetur, quia nihil debet præter Christum in corda nostra intrare.

QUÆSIER. Cùm esse passum, mortuum & sepultum, vnam & eandem difficultatem habeant, & vno suscepto non est difficilè alia suscipere, cur Apostoli addiderunt sepultũ, cùm ex eo quòd mortuus fuit facile necessitas sepulturæ consequatur? & posito sepulto videtur esse ταυτολογία mortuum edicere? Respondet Catech. Paroch: posito mortuo additum esse sepultum. Primò vt minùs dubitare de morte liceat: secundò vt resurrectionis mysterium magis declaretur, tertiò non solùm credendum corpus Christi esse sepultum, sed his verbis præcipuè credendum proponitur DEUM sepultum esse, sicut dicimus DEUM natum esse, DEUM mortuum. Immò magis propriè dicitur DEUS sepultus quàm homo, quia separata anima à corpore iam homo non erat, cùm autem diuinitas nunquam separata fuerit à corpore quod in sepulchro conditum est, rectè & propriè confitemur DEUM sepultum esse.

2. 2æ. q. 1. art. 6.

Lege Magist. sent: l. 3. dist. 22. Confer S. Thom: 3. p. q. 50. art: 4.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, ita recitabis in Symbolo Apostolorum, *Die tertia resurrexit à mortuis*. Patres etiam Nicæni, *Et resurrexit tertia die secundùm scripturas*. Scriptura ita refert Matth. 12. cùm Pharisæi à Domino signum doctrinæ & missionis postularent dicentes. *Magister volumus à te signum videre*: ipse respondens dixit,

dixit, *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ, sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Certum est autem Dominum nostrum vna die integra & duabus noctibus in sepulchro fuisse. Vna nox fuit post feriam sextam ante Sabbatum, altera nox post Sabbatum ante diem Dominicam. Quomodo igitur in Euangelio dicitur tribus diebus & tribus noctibus? Pro resolutione difficultatis illud considera, 1. mysticè prælibando, primi dies incipiebant à luce in noctem, propter significandum futurum hominis lapsum, à luce iustitiæ originalis in noctem peccati. Nunc autem à Christi morte & resurrectione, à tenebris ad lucem tempus computatur, propter reparationem nostram, per Christi mediatoris mortem & resurrectionem.

QUÆSIER. Si primi dies incipiebant à luce & desinebant in tenebras, cur scriptura Gen. 1. præmittit tenebras in enumeratione dierum id est vespere, dicens. *Factum est vespere & mane dies vnus, secundus, tertius &c.* ℞. Ideò fit, quia cum à luce dies inceperit, priùs occurrit terminus lucis, quod est vespere, quàm terminus tenebrarum & noctis quod est mane: sicut si à tenebris inciperet, priùs etiam terminus tenebrarum id est mane occurreret.

INSTABIS, Quomodo primi dies à luce inceperunt, cùm in principio tenebræ & non lux fuerunt, narrante scriptura. *Tenebræ erant super faciem abyssi?* ℞ Quando tenebræ erant super faciem abyssi, nondum erant tunc dies, qui suum principium sumpserunt à productione lucis, de qua dixit DEUS *fiat lux & facta est lux,* ex quo etiam cæpit appellari dies & nox, nam appellauit DEUS lucem diem, & tenebras noctem. Considera secundò, diem naturalem continere horas 24. propterea ipsa nox præcedens computatur in die sequenti vt diei naturalis compleatur numerus horarum 24. Considera tertiò in loco al- *August. lib. 3. de consensu Euangel. cap. 24.*

lega-

legato Euangelij esse locutionem Synecdochicam, vt ex parte totum intelligatur, ex parte scilicet vltima diei, id est feriæ sextæ intelligenda est integra dies eadem ipsa feria sexta, quæ sumpta vt naturalis dies, habebit horas 24. ad quarum horarum complementum seu completam enumerationem nox præcedens trahitur, quæ ad diem sequentem ipsam feriam sextam pertinebat. Ex his sequitur, sicut tres dies ostenduntur, quibus corpus Christi fuit in sepulchro (quamuis vna tantum die integra nempe Sabbato). Dies quidem prima ipsa feria sexta ad solis accasum; dies secunda id est Sabbatum vt dicitur integra: dies tertia Dominica in diluculo quo Christus
Psal: 107. resurrexit, iuxta illud. *Exurgam diluculo.* Noctes quoq; tres, vt retrogrediendo enumerentur. Vna inter diem Dominicum & Sabbatum; altera inter Sabbatum & feriam sextam; tertia inter feriam sextam & quintam: nam ista nox pertinet ad feriam sextam, à cuius principio ipsa feria sexta incipiebat. In qua feria sexta, quia corpus Christi in sepulchro positum erat, intelligitur tropicè positum etiam nocte præcedente, quæ nox cum feria sexta, vnam diem naturalem conficiebat horarum 24. Cùm ergo dies non potuerit carere sua nocte à qua incipiebat, si die iacebat in sepulchro, etiam nocte antecedente iacuisse intelligitur, vt compleatur numerus horarum 24. quæ diem naturalem conficiunt.

DIXERIS. Quomodo Christus fuit in sepulchro vsq; ad diem Dominicum, & in eo resurrexit, siquidem media nocte ex Sabbato resurrexit? dicit enim Gregor. Homil. 21. in Euangel. quòd *sicut Samson abstulit media nocte portas Gazæ, ita Christus media nocte auferens portas inferni resurrexit.* ℞. 1. si nocte præcedente Dominicum diem, resurrexit, etiam ipso die Dominico resurrexisse intelligitur, ad quem diem nox illa pertinebat. ℞. 2. Christum media nocte resurrexisse dicit Gregor. quia tenebris nocturnis adhuc remanentibus, non quòd præcisè in ipsa media nocte, tanquam diuisa in duas partes æquales.

Nam

Nam Auguſt: lib. 4. de Trin: cap. 6. dicit eum in diluculo reſurrexiſſe, in quo aliquid lucis eſt, & adhuc remanet aliquid tenebrarum noctis: diluculum autem dicitur prima pars diei & vltima noctis. ℞. 3. Confert Gregor. Chriſtum reſurgentem à mortuis cum Samſone, non tàm ratione temporis reſurrectionis, quàm ratione operis, quia ſicut Samſon de ſomno euigilans portas Gazæ effregit, ita Chriſtus rediuiuus portas inferni. Quòd ſi Chriſtus media nocte dicitur reſurrexiſſe, *Pſal: 106.* per medium noctis intelliguntur tenebræ noctis adhuc in diluculo remanentes.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, quia diuinitas ſicut ab anima Chriſti, ita etiam à corpore eius in morte non fuit ſeparata, ideo corpus illud nulli corruptioni, id eſt reſolutioni in elementa fuit obnoxium, iuxta illud Pſal: 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quare etiamſi corpus illud Domini vſque ad conſummationem ſeculi iacuiſſet in ſepulchro, diuinitas illi iuncta, non permiſiſſet illud incinerari. Congruentia id maxima probat, Chriſtus enim propter noſtram ſalutem mortem ſuſtinuit, fuiſſet autem magnum ſalutis noſtræ detrimentum, ſi non crederetur in eo eſſe virtus diuina, non crederetur autem, ſi corpus poſt mortem incineratum fuiſſet; vnde per Prophetam. d. *Quæ vtilitas in* *Pſal: 29.* *ſanguine meo, ſi deſcendero in corruptionem?* id eſt, quæ vtilitas fuſi ſanguinis mei ſi non credor DEUS? Noſtra quidem corpora incinerantur, ſed hoc prouenit ex infirmitate naturæ eorum, quæ non poteſt vlterius corpus continere in vnum; Chriſti autem mors non debuit eſſe ex infirmitate naturæ, ſed ex voluntate, & ideo non debuit corpus eius incinerari, quia ſic pateretur ex infirmitate, non ſpontanea voluntate.

QUÆSIER. Noſtra corpora ſtatim poſt mortem ex natura incipiunt putrefieri, Chriſti autem corpus eiuſdem naturæ

fuit cum nostris, quare non fuit obnoxium vel ex natura putrefactioni? R. nostra corpora ex duplici capite obnoxia putrefactioni: ex conditione naturæ, & ex merito putrefactionis. Christi corpus equidem ex conditione naturæ passibilis, putrefactibile fuit, non tamen ex merito putrefactionis cùm fuerit absque peccato, ideo immune ab omni corruptione, conseruante etiam Verbo, cui vnitum fuit.

COROLLARIVM.

Cùm audis admirabile opus Christiane, passionis & mortis Christi DEI in carne humana crucifixi, mente tota integrisque viribus consurge ad ipsum laudandum & redamandum, qui te in tantum amauit, vt cùm esset æterni DEI Filius, DEus de DEO impassibilis, immortalis, inalterabilis in sua natura diuina, propter te & tuam salutem exinanivit semetipsum, & se humiliauit vsq; ad ignominiosam crucis mortem, & indigna quæq; pertulit, tibi meruit, tibi introitum regni cœlestis aperuit, pro tuis debitis satisfecit, ac seipsum in ara crucis sacrificans, te redemit. Hæc & alia innumera, mente deuota recole, atq; in arrham gratitudinis pro tantis, tamque cumulatè collatis beneficijs amorem amore rependе.

ARTICVLVS SYMBOLI V.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

DUæ sunt huius quinti Symboli Apostolorum articuli partes, sicut & superioris. Vna est de Christi ad inferos descensu; altera de ipsius gloriosa resurrectione. Vt verò rudes dùm recitant verba Symboli debito ordine pronuntient,

tient, ſedulò ſanè monendi & inſtruendi. Hoc enim paſſim faciunt, vt prius de reſurrectione pronuntient, poſtea de ipſo deſcenſu, dicentes. vmárł pogrzebion / trzećiego dniá wſtał zmartwych / ſtąpił do piekłá / ißac z piekłá wſtąpił ná niebioſá; & in hoc errant. Docendi ergo ſunt, quòd anima eius ſancta, egreſſa de immaculato corpore, cum ipſa diuinitate vnita, illicò deſcendit ad inferos, & corpus in monumento conditum. Ergo huius articuli quinti erit.

CATECHESIS I.

DE IPSO DESCENSV AD INFEROS.

PAtres Nicæni nullam mentionem in ſuo Symbolo de Chriſti ad inferos deſcenſu fecerunt, ipſis quippe maximè propoſitum fuit, explicare tunc fidem de Chriſti diuinitate, & cum Patre conſubſtãtialitate contra Arium: proinde impertinens & alienum à ſuo propoſito illis videbatur de huiuſmodi deſcenſu verba facere. Apoſtoli autem & Athanaſius expreſſè poſuerunt. *Deſcendit ad inferos.* Itaq; in iſta Catecheſi tria Chriſtianus diſcet.

I. In quem locum deſcendit?

II. Quàm congruè deſcendit?

III. Quàm diu ibi moratus eſt?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, Dupliciter cogitare potes de Chriſti ad inferos deſcenſu, aut ſecundùm effectum, aut ſecundùm ſubſtantialem præſentiam. Et quoniam quadruplex fuit locus in inferno, vnus damnatorum, in quo eſt pœna ſenſûs & damni, tenebræ quoq; exteriores & interiores, id eſt abſentia luminis gratiæ, qui locus Iob: 10. vocatur *terra tenebrarum*,

 aper-

aperta mortis caligine, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ad hunc locum descendit Christus, non præsentia substantiali, sed tantum secundùm effectum suæ virtutis, quia ibi damnatos de incredulitate & malitia confutauit. Alter locus, limbus puerorum, vbi est pœna damni & non sensûs, sunt tenebræ interiores & exteriores. Et ad hunc locum descendit Christus tantùm secundùm aliquem effectum suæ virtutis. Tertius locus purgatorij in quo ad tempus detinentur & cruciantur animæ piorum, qui cum fide & charitate hinc discesserunt, habentes adhuc aliquas maculas: & in hoc loco est pœna damni & sensûs ad tempus, sunt tenebræ exteriores sed non interiores quia illi habent lumen gratiæ: atq; de hoc loco canit Ecclesia in officio pro defunctis. *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu,* Ad hunc locum descendit Christus non præsentiâ substantiali, sed secundùm effectum consolando & confirmando illos spe æternæ gloriæ. Quartus locus limbus Patrum Sanctorum, qui & sinus Abrahæ dictus fuit, vbi fuit pœna damni sed non sensûs, & tenebræ exteriores sed non interiores, quia illi etiam habuerunt lumen gratiæ. Et ad hunc tantum locum descendit Christus præsentiâ substantiali, nam illi lachrymabili voce Christum orabant (ait August.) & horum dolores, quos patiebâtur de dilatione speratæ gloriæ soluit Christus, gloriam illis conferendo, quam latroni in cruce pendenti Luc. 22. promiserat. *Hodie,* inquit, *eris mecum in paradiso,* id est fruêris diuinitatis gloriâ. Etenim vt anima illa sancta vnita diuinitati peruenit ad illum locum, luce diuinitatis illos illuminauit, iuxta illud Eccl. 24. *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sed hic aliquis negotium Catechistæ facessens.

Serm: 2. de Resurrect.

DIXERIT. non conueniebat Christum præsentiâ substantiali descendere ad inferos, cùm omnia sufficienter peregerit vis & virtus illius. R. quòd Christus omnem iustitiam implere venit: & sicut secundùm corpus sepultus est, ita secundùm ani-

Matt: 3.

animam, legem omnium mortuorum communem subijt & descendit ad inferos, quod innuit Iren. lib. 4. aduersus hæresses cap. 39. & lib. 5. ad finem. Credendum ergo tibi est Christiane ipsam animam re & præsentiâ substãtiali ad inferos descendisse, vt per Dauid Psal. 15. d. *Non derelinques animam meam in inferno.* Differt autem Christi descensus ad inferos ab alijs, quia alij descendunt inuiti & captiui, ipse verò sponte inter mortuos liber & victor ad profligandos dæmones descendit. Deinde alij omnes qui descendunt in pœnas descendunt, vel pœnas damni simul & sensûs, vel damni tantùm, CHRISTUS verò descendit, non vt aliquid pateretur, sed vt sanctos ex illa custodiæ molestia liberaret. Proinde per descensum nulla prorsus de summa eius dignitate vel potestate diminutio facta est; verùm ibidem sicut in cœlo & in terra vim suam & potestatem declarauit, vt sicut omne genu cœlestium & terrestrium, ita etiam inferorum in nomine eius flectatur. Atq; in eo summam benignitatem in genus humanum declarauit, qui pro nobis non modò mortem acerbissimam subijt, sed infimas etiam terræ partes penetrauit, vt inde animas sibi carissimas ereptas ad beatitudinem traduceret.

Psal. 15.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, magnopere congruum fuit animam Christi post mortem ad infernum, id est in abdita terræ receptacula descendere, tùm vt ascensus eius & descensus æquipararentur: qui enim altissimè super omnes cœlos ascensurus erat, voluit profundissimè humiliari descendendo ad imas partes terræ, & sic summa & ima compleuit. Hanc congruentiam proponit Apost: Ephes. 4. d. *Quòd autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* tùm vt tantus eius esset descensus, quantus erat liberandorum casus: primus enim homo in statera liberi arbitrij fuit positus, iuxta illud Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, &c.*

&c. in qua ſtatera poſitus, potuit ad vitam aſcendere vel ad mortem deſcendere, prout vellet. *Appoſuit,* inquit, *aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Sed peccato peracto, ſic brachium alterum ſtateræ per onus culpæ depreſſum eſt, vt eſſet in imo inferni, alterum verò in ſummo cœli; *veritas enim de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit:* nec poterat brachium depreſſum aſcendere, niſi aliud deſcenderet. Dominus ergo miſericors & clemens ad infernum deſcendit vt inde hominem captivum eleuaret vſq; ad cœlum, tùm etiam ideo deſcendit Dominus, vt ſicut vivus, erat lumen mundi per præſentiam corporalem, ſicut Ioan. 8. dicebat. *Quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi,* ſic mortuus eſſet lumen inferni, per diuinitatis maieſtatem. Tùm deniq; deſcendit ad inferos, vt hoc exequeretur per efficientiam, quod meruerat ſua paſſione per ſufficientiam. Meruit autem per ſuam paſſionem & ſatisfactionem apertionem ianuæ paradiſi, atq; ita in deſcenſu ſuo ad inferos per ſatisfactionem ſoluta ſunt vincula captiuorum, per apertionem ianuæ facta eſt illuſtratio ipſius carceris: tunc enim *populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.*

QUÆSIER. Quæ fuit neceſſitas Chriſto deſcendendi ad inferos cùm homines liberauit & à culpa & à pœna per ſuam paſſionem, quam in hoc mundo ſuſtinuit? ℟. Paſſio Chriſti fuit cauſa liberationis & à culpa & à pœna, ſed cauſa vniuerſalis: porrò cauſa vniuerſalis ad ſingulares affectus applicatur per aliquid ſpeciale; & viuis quidem paſſio Chriſti applicatur per Sacramenta configurantia nos paſſioni eius, mortuis autem applicata fuit per deſcenſum ad inferos, quo deſcenſu liberauit eos de lacu. Zachar: 9.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, dùm confiteris Chriſtum deſcendiſſe ad inferos crede quòd illo tritudo mortis totus fuit in ſepulchro ſed

non totum: totus in inferno, sed non totum. Totus quoad personam, quæ tota fuit in sepulchro per corpus sibi vnitum; tota quoque in inferno ratione animæ sibi vnitæ, ita August. lib. 3. de symbolo ad Catechum. c.7. *Totus*, inquit, *Filius apud Patrem, totus in cœlo, totus in inferno, in terra, totus in vtero Virginis, totus in cruce, totus in paradiso, quò latronem introduxit. Non per diuersa loca & tempora dicimus vbiq; totum, vt modò ibi sit totus, & alio tempore alibi totus, sed vt semper vbiq; sit totus.* Non erat autem totum sicut in sepulchro ita in inferno, quia non tota natura assumpta; in sepulchro enim tantùm secundùm corpus, & in inferno tantùm secundùm animam: totum enim est homo, iam verò in illo triduo Christus non fuit homo, cùm non fuerint vnita corpus & anima, nam talis vnio facit hominem. *S. Thom. 3.p. q. 50. art. 4.*
Ad propositum ergo, tàm diu anima mansit in inferno, quam diu eiusdem corpus in sepulchro fuit, ait Catech. Paroch. nempe ad horam ipsam resurrectionis. Et ratio congruentiæ est, quia sicut corpus toto illo tempore mansit in sepulchro ad comprobandam veritatem mortis, ita quoq; animam toto illo tempore à corpore separatam in inferno esse conueniebat, nam sicut corpus suum voluit in sepulchro poni, vt pœnas nostras in se susciperet: pari congruentia voluit animam suam in infernum descendere. ROGABIS Sicut corpus suum voluit in sepulchro poni vt pœnas nostras susciperet: sic pari congruentia voluit animam suam in infernum descendere, nonne vt pœnas quoq; nostras susciperet? nonne vt pateretur in inferno? ℞. Enormis Caluini blasphemia, asserentis animam Christi in inferno omnes damnatorum pœnas sustinuisse. Verùm sicut corpus nullam aliam pœnam in sepulchro sustinuit, præterquam quòd ibi positum esset, neque enim incinerationem sustinuit cui abnoxia sunt nostra corpora, pari congruentia anima in inferno nullam pœnam sustinuit, præterquam quòd descendit in illas inferiores partes terræ, non tanquam ipse debitor esset pœnæ, sed vt eos qui

erant

erant pœnæ obnoxij liberaret. Descendit ergo vt victor ad profligandos dæmones, & ex eorum custodia iustos liberandos. Solus *inter mortuos liber.* Psal: 87.

QUÆSIER. Cùm Christus vt homo fuerit crucifixus & mortuus, quomodo in symbolo de eodem dicitur. Descendit ad inferos, cùm homo non descenderit? ℞. Idem descendere dicitur ad inferos & sepultus, qui crucifixus erat & mortuus: non ratione naturæ humanæ, quia non erat tunc homo, sed ratione personæ diuinæ, cui & corpus in sepulchro, & anima in inferno vnita fuit.

CATECHESIS II.

DE FRVCTV DESCENSVS CHRISTI AD INFEROS.

SIcut Corpus Christi cum fructu nostro in sepulchro positum fuit, pariter anima absq; nostra vtilitate ad inferos non descendit. Corpus quidem sepultum dùm resurrexit, nostræ resurrectionis primitias dedicauit: anima verò quâ nostra vtilitate ad inferos descenderit, in ista Catechesi aperietur, in qua tria audiet Christianus.

I. Cur descendit ad inferos?

II. Quid Christi descensus antiquis contulit?

III. Quibus in inferno nihil contulit?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, descendens Christus ad inferos, ibi detentis, fructum suæ passionis exhibuit, nobisque multum profecit. Primò quidem quia nos ab illo descensu liberauit, quod ponderans Gregor. dicit. *Dùm Conditor & Redemptor noster claustra inferni penetrauit, electorum exinde animas eduxit, nosq; illò ire non patitur, vnde iam alios descendendo liberauit.* Antea enim etiam

Lib. 13. Moral. c. 20.

sanctis-

ſanctiſſimi quique poſt mortem in infernum deſcendebant. Redemptor ergo noſter ſicut morte ſua nos à morte liberauit æternam, ita deſcenſu ſuo ad inferos nos liberauit ne eò deſcendamus. DEINDE. per deſcenſum perfectè ſubuenit amicis ſuis, quos in inferno habuit, qui illuc cum charitate & fide venturi diſceſſerant, quorum principalis erat Abraham Pater credentium, qui deſiderabat aduentum Chriſti Ioan: 8. *Abraham exultauit vt videret diem meum.* Quoniam igitur Chriſtus viſitauit ſuos in mundo per natiuitatem, & ſubuenit eis per mortem, ita viſitauit ſuos qui erant in inferno, & ſubuenit eis per deſcenſum. Quanto verò deuotionis affectu tum illæ animæ venientem Chriſtum ſalutarent, canitur in Eccleſia. *Aduenisti deſiderabilis quem expectabamus vt educeres vinculatos de clauſtris.* PRÆTEREA, per deſcenſum oſtendit poteſtatem ſuam in inferno, ipſum viſitando & illuminando, ſicut & in terra oſtendit poteſtatem viuendo, ſigna operando & moriendo, ita in inferno oſtendit poteſtatem vt ibi adoraretur Philip. 2. *Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sed quiſpiam inficiabitur &

DICET. Sancti nulli erant in inferno ante Chriſti mortem, erant enim in paradiſo, id eſt in cœlo, nam Eccl. 44. de Enoch dicitur. *Placuit Deo & translatus eſt in paradiſum.* de Elia quoq; 4. Reg: 2. *Aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Quomodo ergo Chriſtus ſuo deſcenſu in infernum aliquem fructum eis attulit? ℞. Ante deſcenſum Chriſti in infernum nullus ſanctorum aut in paradiſo, aut in cœlo fuit, id enim ſignificabat illa eiectio Adæ ex paradiſo poſt peccatum, idq; manifeſtè docet Apoſt: Hebr. 9. dicens nondum propalatam fuiſſe viam ſanctorum. Et cap: 11. dùm enumerat ſanctos ante mortem Chriſti mortuos, dicit. *Hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem.* Verùm in deſcenſu Chriſti ad inferos paradiſum obtinuerunt, id eſt lumen gloriæ viderunt, ac in aſcenſione Chriſti in cœlum deducti ſunt, Pſal.

67. & Ephes. 4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Enoch autem dicitur translatus in paradisum, id est in locum aliquem segregatum ab hominibus, in quo tranquillissimam agit vitam, tanquam in vmbra paradisi. Elias quoq; ascendit in cœlum, non æthereum sed aéreum, vnde & volucres cœli dicuntur, per aéra volantes.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Sicut intellexisti, quòd antiqui sancti per hoc detinebantur in inferno, quòd eis ad vitam gloriæ aditus non patebat propter peccatum primi hominis, (nam huius peccati pœna mors corporalis & exclusio à vita gloriæ) ideo Christus descendens ad inferos virtute suæ passionis ab hoc reatu illos absoluit, quo erant à vita gloriæ exclusi. Ideo suo descensu & aduentu contulit eis, vt statim DEUM per essentiam viderent, in quo consistit perfecta hominis beatitudo. Contulit eis solutionem à dolore quem patiebantur ex dilatione gloriæ, desiderio enim magno angebantur, iuxta illud Psal: 40. *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Contulit eis, quia inde eos liberauit & eduxit *de lacu in quo non erat aqua, traduxit confidenter exspolians principatus & potestates,* id est exspolians dæmones suâ potestate, dominio & tyrannide, traduxit ex illis locis subterraneis sanctos Patres, Adam, Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen, Dauid. & alios qui desiderabant descensum eius.

Zachar: 9.

Coloss: 2.

QUÆSIER. Cùm in inferno nemo detineatur nisi propter peccatum, & sancti illi adhùc viuentes per fidem venturi Messiæ, iam à peccato liberati & iustificati fuerunt, quomodo illi in inferno detinebantur, vt per descensum Christi inde liberarentur? ℞. Equidem illi Sancti antiqui adhuc viuentes liberati sunt à peccato tàm actuali quàm originali per fidem venturi, liberati item erant à reatu pœnæ actualium peccatorum, non tamen à reatu pœnæ originalis peccati, per quod

exclu-

excludebantur à vita gloriæ, nondum soluto pretio redemptionis humanæ; sicut nunc qui baptizantur liberantur à reatu actualium peccatorum, & à reatu originalis, quia illis aperitur ianua cœlestis, obligantur tamen reatu originalis quantum ad necessitatem moriendi corporaliter.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, vt *DEum timeas, mandata eius serues, hoc est enim omnis homo*: scito Christum in descensu ad inferos damnatis nihil consolationis attulisse, sed eos in pænis perpetuis relictos de malitia eorum confutâsse: quod Petrus commemorans dicit. *His, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando.* Ratio, quia illi nullam fidem charitate formatam in Christum habentes, iam æternis pœnis gehennæ addicti sunt. Christi autem passio tantum illis proficua fuit, qui eidem passioni coniuncti fuerunt per fidem charitate formatam, per quam peccata tolluntur: proinde in peccatis manētes Passionis Christi participes non fuerunt. Nam quamdiu peccatum manet, tamdiu reatus pœnæ; in damnatis semper manet peccatum, quòd non alia ratione potuit aboleri nisi per pœnitèntiam, cuius locus non est in damnatione. Et propterea Oseæ: 13. Christus dicitur mortem quidem extinxisse, infernum autem momordisse, id est, quia *Christus mortem destruxit in sua resurrectione inchoatiuè in fine mundi destruet consummatiuè*, vt dicit Lyran: de quo Isai: 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Infernum autem momordit, quia educendo inde electos, reprobos seu damnatos ibi reliquit, partem ergo inferni abstulit, & partem reliquit. DEINDE. Nec infantes cum solo originali decedentes, quidquam consolationis tunc receperunt: eadem de causa, quia peccatum illud non potuit aboleri nisi per fidem, quâ illi carentes peccatum perseuerauit, peccato perseuerante liberationis incapaces. Porrò animas in purgatorio existentes liberauit Christus descensu

Eccl: 12.

1. Petr: 3.

ſuo, quæ iam ſufficienter purgatæ erant, & quæ adhuc viuentes per fidem & deuotionem ad mortem Chriſti meruerunt, vt eo deſcendente liberarentur, qualis erat anima latronis. Quæ verò nondum plenè purgatæ erant, eas reliquit, vt quadrantem vltimum exſoluerent. Sed hîc aliquis argutus.

DICET. Aut Chriſtus ſuo deſcenſu infantes & damnatos potuit liberare aut non potuit? ſi potuit & non liberauit, inuidus, quod abſit cogitare, quia ab optimo longè eſt inuidia. Si non potuit; non eſt operatus virtute diuinitatis. ℞. Quod Chriſtus virtute diuinitatis ſuæ in deſcenſu nec damnatos, nec infantes liberauit, nec inuidiam nec impotentiam arguit, ſed vt leges æternæ iuſtitiæ inuiolatæ cuſtodirentur, quæ infringerentur liberatis ijs, qui iam in perpetuum obfirmati ſunt in malo. Sed huius doctrinæ accipe Chriſtiane moralem.

COROLLARIVM.

CUm audis Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, & inde electos ſuos liberâſſe: reprobros & damnatos de ſua malitia confutatos in æternis cruciatibus reliquiſſe; diſce quid ſit tibi agendum, ne in illud æternæ deſperationis barathrum deci-
Philipp: 2. das. Ante omnia autem debes ſolicitus eſſe de tua ſalute, eamque cum metu & tremore operari. Et quia Chriſtus pro noſtra ſalute ad inferos deſcendit, tu crebrius eò deſcendas, pœnas inferni conſiderando & mente reuoluendo, quòd iuſtus peccatoribus exoptat dicens. *Deſcendunt in infernum viuen-*
Pſal: 54. *tes*; *illi enim viui deſcendunt in infernum* (inquit Ayguanus) *qui hîc viuentes, mentem inclinant ad ipſum meditandum*. Et qui illuc frequenter per cogitationem deſcendit in vita, non facilè de-
Eccl: 7. ſcendet in morte, quia huiuſmodi cogitatio retrahit à peccato, dùm in omnibus operibus ſuis cogitat nouiſſima. Exinde in omnibus tribulationibus ſpem firmam in DEO figere de-
Thren: 3. bes; *Bonus eſt enim Dominus ſperantibus in eum*: nec vnquam deſerit ſperantes in ſe. Cùm enim Chriſtus electos amicos ſuos ex il-

ex illo profundo lacu liberauit, nec te despiciet, si per obseruantiam mandatorum fueris amicus eius. Hac spe vacillantes firmabat ille Mathathias Filios suos. *Cogitate*, inquit, *per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur.* Et Psal. 90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Postremò fac, memor sis in pœnis purgatorij existentium. Christus descendit ad inferos vt subueniret suis, esto tu quoq; eius mentis vt descendas iuvamine & subuenias tuis, qui seipsos iuvare non possunt, sed à te deposcunt auxilium. *Miseremini mei saltem vos amici mei.*

1. Machab: 2.

Iob: 19.

PARS SECVNDA ARTICVLI V.

CATECHESIS III.

DE CHRISTI RESVRRECTIONE.

POst funestam Passionem, mortem, sepulturam, & descensum ad inferos Domini & Saluatoris nostri IESU Christi, iam lætissimam eius Resurrectionem ad credendum nobis magnâ constantiâ prædicant SS. Apostoli, præterit humiliatio, succedit glorificatio, priùs Dominus noster humiliatus passione, nunc glorificatus Resurrectione; *non enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset*, inquit August: Tract: 104. in Ioan. Et humilitatis merito non caro in sepulchro corrupta est, non anima eius diu in inferno relicta, sed tertia statim die reuixit ad vitam immortalem, nullam miseriam, nullam mortem passurus ampliùs. Est autem ea articuli huius sententia (dicit Catech. Paroch.) *postquam Christus Dominus sextâ feriâ, horâ diei nonâ in cruce spiritum emisit, & eadem die vespere sepultus*

est, corpus de cruce depositum, in propinqui horti monumentũ illatum, tertio à morte die, qui fuit Dominicus summo mane illius anima corpori iterum coniuncta est, atq; ita è sepulchro egressus resurrexit. Vt autem Christianus in fide Resurrectionis Domini nostri, quam Apostoli summo conatu & labore prædicauerunt & propter eam prædicationem persecutiones passi sunt, distinctè instruatur, in ista Catechesi tria proponentur.

I. Quàm certa fides Christi Resurrectionis.

II. Quòd resurrexit secundum scripturas.

III. Aliter quàm alij resurrexit.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, ad hoc se fides tua debet extendere, vt credas Crucifixum & mortuum verè resurrexisse, hinc Augustinus admiratus huius articuli fidem d. *Non magnum est credere quia mortuus est Christus, hoc & pagani & Iudæi, & omnes iniqui credunt, hoc omnes credunt quia mortuus est, fides Christianorum, resurrectio Christi est, hoc pro magno habemus quia credimus eum resurrexisse.* Intende Christiane vox ipsa resurrectionis erectionem eius quod ceciderat significat. Christum resurrexisse à mortuis post funestam eius passionem & mortem certissima firmissimaq; fide credimus & confitemur; non ad infinitam eius vbiq; præsentem Deitatè non etiam ad immortalem animam, resurrectionem referimus, sed ad corpus eius quod crucifixum, mortuum & sepultum erat, licet per communicationem idiomatum totus Christus resurrexisse dicatur. Certificamur & firmamur in fide Domini nostri veræ resurrectionis. Primò quidem constanti doctrina Ecclesiæ & Apostolorum, nam propter hanc constantem doctrinam multa passi sunt Apostoli, ipsam deniq; mortem, cùm & Paulus se à Iudæis iudicari & pati persecutionem propter hanc vnam vocem fu-
Act: 23. erit protestatus. *De resurrectione*, inquit, *mortuorum ego iudicor.*

DEIN-

DEINDE certificamur Angelorum testimonio hanc ipsam resurrectionem annuntiantium, vt palam est apud Euangelistas, qui & locum sepulturæ Dominicæ iam vacuum corpore mulieribus demonstrabant. Et quod maximum est certificamur argumentis ab ipso Christo Domino inductis, tùm quia scripturis suam resurrectionem probauit, Luc. 24. *Oportebat*, inquit, *impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Psalmis & Prophetis de me*, tùm quia sensibilibus signis rem euidenter demonstrabat, ostendendo eis manus & pedes conclauatos, tùm latus lanceâ transfixum, inde Act:1. d. *Per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei*, in multis argumentis, in Græco ponitur. ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις iam vero τεκμήριον apud Aristot: lib: 1. Rhetor. *est signum euidens ad probandum*, his autem probauit signis Christus Apostolis suam resurrectionem.

QUESIER. Quoniam Resurrectio Christi est causa credulitatis nostræ, & credulitas nostra causa salutis, si Christus euidentibus signis probauit resurrectionem suam, quomodo illa causa credulitatis non apparentium & salutis nostræ? ℟. De vera credulitate, merito eius & salute nihil detrahunt huiusmodi signa quibus firmamur in credulitate iam ante signa habita. Quòd si verò quis nolit credere nisi per huiusmodi signa, minuitur de eius credulitate, merito & salute, quod coram regulo exaggerabat Dominus Ioan. 4. *Nisi*, inquit, *signa & prodigia videritis non creditis.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, non ex improuiso & insperatè Christus resurrexit à mortuis, verùm secundùm oracula scripturarum, quod prima Synodus Constantinopolitana verbis huius articuli addidit dicens. *Et resurrexit secundum scripturas*, recapitulat Apostolus 1 Cor. 15. *Tradidi*, inquit, *vobis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas*, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm

scri-

ſcripturas. Multifariam ſcripturæ teſtabantur Chriſtum à mortuis reſurrecturum. Pſal:3. *Ego*, inquit, *dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*: in quibus verbis prædicit Chriſtus per Prophetam mortem, ſepulturam, & reſurrectionem ſuam. Mortem prædicit per dormitionem ſignificatam, ſicut enim in dormitione omnes ſenſus quieſcunt à laboribus, ita in morte omnia ceſſant. Per ſoporem ſignificatur ſepultura Chriſti, ſopor enim eſt ſuavis quies, & Chriſtus
Iſai. 11. ſuauiter ſepultus, cuius ſepulchrum glorioſum. De reſurrectione manifeſtè loquitur. *Et exurrexi, quia Dominus ſuſcepit*
Act: 2. *me*: quem DEus ſuſcitavit. Illud quoq; Amos 6. vaticinium eſt de Chriſti reſurrectione. *In die*, inquit, *illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit*, & hoc ſenſu locum iſtum, Apoſtoli Act: 15. in illo Ieroſolymis concilio ſunt interpretati. Cecidit tùm tabernaculum Dauid cùm Chriſtus crucifixus eſſet mortuus; tabernaculum, inquam, illud, de quo Iudæis dictum
Ioan: 2. eſt, *Soluite templum hoc*: ſuſcitatum tabernaculum in eius reſurrectione. *In tribus*, inquit, *diebus ſuſcitabo illud*; dicebat au-
Ionæ 2. tem de templo corporis ſui. Idem myſterium Reſurrectionis
Matth: 12. Domini noſtri in Iona præfiguratum præceſſit, qui cum tribus diebus & tribus noctibus eſſet in ventre piſcis, triduum mor-
Luc: 18. tis & Reſurrectionis Domini deſignauit. Ipſe Dominus ſæpe diſcipulis ſuam tertia die Reſurrectionem prædicebat: nec vnquam mortis mentionem fecit, quin reſurrectionis faceret. Quare vehementer Apoſtolus 2. Tim: 2. Epheſi. Paſtorem hortatur meminiſſe huius myſterij. d. *Memor eſto Dominum IEſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis*. Petrus quoq; princeps Apo-
Oſeæ: 6. ſtolorum illam Oſeæ Prophetiam. *Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius*. volens ex-
1. *Petr:* 1. ponere, d. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri IESV Chriſti qui ſecundùm magnam miſericordiam ſuam, regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem IESV Chriſti ex mortuis*.

QUÆSIER. Cùm Chriſtus non potuerit detineri ab inferno & mor-

& morte, dicente Petro Act: 2. *Impossibile erat teneri illum ab eo*, cur vsq; ad tertium diem, suam distulit resurrectionem? ℞. Ad tertium diem non vltra, distulit Dominus suam resurrectionem, vt nos instrueret in fide diuinitatis & humanitatis. Non distulit vlteriùs, ne de ipsius vera diuinitate dubitarent homines; non præuenit tertium, ne opinarentur non verè mortuum, sed ita temperauit tempus & modum suæ resurrectionis, vt & verus DEUS & verus homo, verè mortuus crederetur. Deinde tertia die resurrexit, permanens in sepulchro vna die integra & duabus noctibus, vt ostenderet vna morte sua corporali, quæ fuit vt lux diei propter iustitiam, duas mortes nostras, animæ scilicet & corporis quæ fuerunt tenebrosæ vt nox propter peccatum, esse destructas.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Christus resurrexit à mortuis, & nos resurgemus, eius enim resurrectio nostræ resurrectionis generale exemplar & causa fuit. Aliter tamen ille, atq; nos aliter resurgemus. Primo quidem quia ille tertia die post mortem, nos expectamus ad vltimum diem consummationis seculi: nisi ex priuilegio aliquibus concedatur, vt de B. V. Deipara credimus, de B. quoq; Ioanne Euangelista ait S. Thomas in expositione Symboli. Nam sicut Christus ianuis clausis ad discipulos post resurrectionem intrauit, & sicut salua Virginitate Matris, de eius vtero in natiuitate prodijt, ita eum mortuum nec petra in qua iacuit, nec militum custodia retinere potuit. Deinde Christus omnium primus resurrexit; perfecta resurrectione non ampliùs moriturus, ceteri qui ante ipsum mortui surrexerunt, iterum mortui sunt, tàm qui à Prophetis, quàm qui ab ipso Domino fuerunt suscitati. Ideo Christus appellatur ab Apostolo *primitiæ dormientium*: appellatur *primogenitus mortuorum* ob eandem causam. Non rectè proinde Iudæi ex illis verbis Deut: 34. *Mortuus est Moyses seruus Dei iubente Domino, &*

Rom: 6.
3. Reg: 17.
4. Reg. 4.
Matth. 9.
Luc: 7.
Ioan: 11.
1. Cor: 15.

 non

Apoc: I. *non cognouit homo sepulchrum eius vsq; in præsentem diem*; inferunt Moysen esse in cœlo corpore & anima: cùm manifesta scriptura dicat corpus eius in valle terræ Moab sepultum, ipsum tamen occultatum Iudæis, quod etiam epistola Iudæ Apostoli significat. Adhuc Christus propria virtute resurrexit; nullus autem hominum propria virtute resurgit, sed virtute diuina resuscitatur, ideo Christi resurrectio, propriè resurrectio dicitur, nostra non proprie resurrectio sed resuscitatio. Christus sicut propria potestate posuit animam, ita propria potestate eandem resumpsit. *Nemo*, inquit, *tollit à me animam meam; sed ego pono eam, & iterum sumo eam, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Eandem potestatem ostendebat cum Iudæis Ioan:2. loquens. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Apostolus quoq; 2. Cor. 13. attestatur dicens. *Et si crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*, id est ex potentia diuinitatis, quæ quoniam nec à corpore in sepulchro, nec ab anima cùm ad inferos descendisset seiuncta vnquam fuit, eius virtute & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus quod dimiserat, & sic Christus propria virtute resurrexit, vnde eius resurrectio nostræ resurrectionis causa efficiens instrumentalis, DEUS in mysterijs redemptionis nostræ, humanitate Christi tanquam efficienti instrumento ad omnia vsus est, vnde dicit Apostolus, *per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum.* PRÆTEREA, resurrectio Christi quæ fuit perfectissima, exemplar est nostræ resurrectionis corporis & animæ; corporis quidem, nam sicut corpus Christi resurgens ad gloriam & immortalitatem immutatum est, ita corpora nostra nunc infirma, gloriâ & immortalitate ornata restituentur. Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Exemplar etiam resurrectionis animæ à peccatis. *Nam quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: id est

[Margin notes: Ioan: 10. (beside "Christus sicut propria potestate"); 1. Cor. 15. (beside "per hominem mors"); Rom. 5. (beside "Nam quomodo Christus")]

eſt *in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ noſtræ*, vt non relabamur amplius in peccata. Luc. 1.

QVÆSIER. Si Chriſtus primus reſurrexit perfecta reſurrectione, quid de illis ſentiendum, qui moriente Chriſto reſurrexerunt, vt Matth. 27. d. *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt.* Si moriente Chriſto ſurrexerunt, ante ipſius reſurrectionem ſurrexerunt, ſi ante eius reſurrectionem, aut perfecta aut imperfecta reſurrectione. Non imperfecta, quia ſi iterum morerētur, magis illis eſſet tormentum, quàm ſi non reſurgerēt. Si verò perfecta, quomodo Chriſtus *primitiæ dormientium?* ℞. Illi qui reſurrexerunt in teſtimonium reſurrectionis Dñi, iterum mortui ſunt, docet S. Thom. proinde non præceſſerunt Dominum perfecta reſurrectione, de quo Hieron: *Sicut*, inquit, *Lazarus reſurrexit, ſic & multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, Lazarus autem reſurrexit iterum moriturus, ita & illi.* Neq; exiſtimandum in tormentum illis ceſſiſſe quòd iterum mortui erant, nam placida morte tales vitam finiunt. Quòd ſi ei ſententiæ quis ſubſcribere velit, vt dicat non fuiſſe amplius mortuos, ergo Chriſtus non eſt primitiæ dormientium? reſpondebis eſt, quia ipſi non reſurrexerunt niſi poſt Chriſti reſurrectionem, quia & poſt Chriſti reſurrectionem *venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerunt multis* vt ibi dicitur, prior tamen ſententia probabilior. 3. p. q. 53. a. 3. 2m.

CATECHESIS IV.

DE QVALITATE CHRISTI RESVRGENTIS.

CRedimus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, in eoq; opus noſtræ redemptionis conſummaſſe, quod hactenus fide & ſpe gerimus, cuius reſurgentis dùm qualitates conſideramus, tria in iſta Catecheſi ponderabimus.

 1. Quòd

I. Quòd Christi Corpus post resurrectionem fuit verum Corpus.

II. Quòd gloriosum fuit.

III. Quare cicatrices retinuit?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Fides Catholica te credere docet, corpus Christi post resurrectionem verum fuisse corpus, eiusdem naturæ sicut fuit ante passionem. Id in primis ipse Dominus docuit, quem discipuli post resurrectionem in medio stantem videntes, conturbatiq; ac conterriti spiritum se videre existimantes, ipse Dominus veritatem sui corporis manifestat dicens. *Videte manus meas & pedes quia ego ipse sum, palpate & videte quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quia igitur ad veritatem naturæ humani corporis pertinent ossa, carnes & alia huiusmodi, cum quibus omnibus se resurrexisse Dominus discipulis testatus est, non est vllum dubium, quia corpus eius post resurrectionem, verum fuerit humanæ naturæ corpus. Deinde discipuli quoq; confessi sunt experimento Dominum verè resurrexisse & Simoni apparuisse, quis iam dubitet verum corpus eius fuisse? neq; potuisset esse vera resurrectio, nisi corpus resurgens, fuisset verum corpus, eius naturæ sicut prius. PRÆTEREA, Si inconveniens fuit Christum in natiuitate aliud corpus assumere quam corpus humanæ naturæ, non enim fuisset verus homo, certè multo magis inconveniens, non idem corpus cum quo natus erat resumere, vt qui corpus in resurrectione resumpsit ad vitam immortalem, quod in conceptione assumpserat ad vitam mortalem. INSUPER. veritas naturæ corporis est ex forma, qua in esse constituitur & perficitur: anima autem Christi in resurrectione iterum vnita est corpori, tanquam formalis eius perfectio, verita-

rita-

ritatem igitur humanæ naturæ corporis in resurrectione evincit.

QUÆSIER. cùm sit extra controversiam, post resurrectionem corpus Christi fuisse verum corpus humanæ naturæ, quomodo igitur potuit clausis ianuis ingredi ad discipulos: non enim datur dimensionum penetratio, nec duo corpora simul in eodem loco esse possunt: tunc autem necesse fuit corpus Christi cùm ianuis clausis quibus intrabat in eodem esse loco? ℞. Aliud de corpore aliâs naturali sentiendum, atq; aliud de corpore glorioso, & adhuc aliud de corpore Christi. Corpus quodcunq; naturale cum alio corpore simul in eodem loco naturaliter esse non potest, supernaturaliter autem nihil prohibet virtute diuina, vt *camelus etiam per foramen acus transeat, corpus verò gloriosum ex indita sibi qualitate subtilitatis, ad instar spiritus alia corpora penetrat & peruadit*, ait Damasc. Corpus tandem Christi, præter hoc, ex virtute diuinitatis vnitæ, sicut ex vtero clauso Virginis adhuc mortale exijt, ita in gloria resurrectionis, & ex sepulchro non aperto, & ad discipulos clausis ianuis introiuit, ita enim August. *Moli corporis in quo diuinitas erat ostia clausa non obstiterunt, ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit.* In eadem sententia Gregor. Homil. 26. in Euangel. *Corpus*, inquit, *Dominicum ad discipulos ianuis clausis introiuit, quod ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero Virginis.* Et confirmat à loco minorum. *Quid mirum si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto Virginis vtero exijt.*

Matth: 19. *Marc: 10.* *Luc. 15.* *Lib: 4. c. 28.* *Tract: 121. in Ioan.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, quia ad immortalem vitam Christus resurrexit, ita vt iam non moriatur, glorificata carne resurrexit, cuius prognosticum signum erat, claritas vultus in transfiguratione sicut sol facie eius resplendente. DEINDE. Si Sanctorum corpora

Rom: 6. *Matth: 17.*

pora resurgent gloriosa, quod scripturæ promittunt. Sap. 3. *Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Daniel. 12. *Qui docti fuerunt fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui multos erudiunt ad iustitiam tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Matth. 12. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Et quia causa potior est causato, & exemplar exemplato, corpus Christi quod est causa & exemplar gloriæ Sanctorum, multo magis gloriosum resurrexit, à quo claritatem habitura sunt corpora nostra. PRÆTEREA, Anima gloriosa deriuat gloriam in corpus. August: epist. 56. *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor.* Proinde anima Christi gloriosa in resurrectione, suam gloriam in corpus derivabat. Quòd verò hæc Christi anima ab instanti conceptionis gloriosa per fruitionem perfectam diuinitatis, non deriuabat ante passionem gloriam in corpus, dispensatiuè factum est, donec mysterium nostræ redemptionis sua passione impleret: tamen in resurrectione peracto opere nostræ redemptionis ab anima redundabat gloria in corpus.

QUÆSIER. Corpora gloriosa habitura sunt illas quatuor dotes, de quibus 1. Cor: 15. scilicet habebunt impassibilitatem, claritatem, agilitatem & subtilitatem; Gloriosum corpus, est clarum & fulgidum: spirituale corpus, cibo & potu non eget: Christus cùm resurrexit, manducauit cum discipulis; claritatis fulgor nusquam scribitur visus. Quomodo corpus eius gloriosum fuit post resurrectionem? R. Comestio Christi cum discipulis post resurrectionem, non fuit ex aliqua necessitate aut indigentia, sed ad declarationem veri corporis, neq; cibus ille in eius substantiam vertebatur, sed in præiacentem
3. p. q. 51. a. 3. 5m. materiam, ait S. Thomas. Claritatem corporis sui post resurrectionem non legitur ostendisse discipulis, vel ne dubitarent ipsum esse, qui passus fuerat, vel quia fulgorem & claritatem illam, ad futuram vitam illis reservabat, quam tunc videre

non

non poterant, vel quia non omnia ſcripta ſunt. Canit etiam Eccleſia in hymno de Apoſtolis. *Luce fulgentem noua IESVM vident Apoſtoli, in carne Chriſti vulnera micare tanquam ſidera mirantur.* Poterat ergo eſſe, vt viderent aliquatenus Apoſtoli fulgorem Corporis Chriſti quamvis ſcriptum non ſit.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Quæ paſſus eſt pro nobis Dominus & Saluator noſter vulnera, eorum cicatrices in corpore reſurgens retinuit, idq; ob iuſtas rationes, ait Haymo. *Quòd cicatrices non aboleuit, non fuit impoſſibilitatis ſed pietatis:* maius eſt enim carnem ſuſcitare, quàm in ipſa carne paſſionis veſtigia ſanare, ſed qui potuit quod maius eſt, vtiq; feciſſet quod minus eſt, niſi varias ob cauſas veſtigia paſſionis in ipſa carne reliquiſſet. S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ: dicit. *Ad ſananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lanceæ erant ſeruata veſtigia.* S. Thomas 3. p. q. 54. art. 4. certas congruentias aſſignat. Primò propter gloriam ſuam, vt videlicet in perpetuum ſuæ victoriæ circumferat triumphum, id eſt, quòd fuerit glorioſus victor diaboli, mortis & mundi. Apoc. 6. Exivit vincens vt vinceret. Similibus triumphis lætabuntur SS. Martyres, lib. 22. de Ciuit. c. 10. Auguſt. d. *Fortaſſis in illo regno, in corporibus Martyrum vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt fulgebunt, non enim deformitas in eis ſed dignitas erit.* Tùm propter confirmandos diſcipulos in fide reſurrectionis, ſi enim fuerunt tardi ad credendum, etiam videntes fixuras clauorum, quantò tardiores fuiſſent non videntes? Tùm etiam cùm ſit aduocatus noſter, exhibet Patri cicatrices noſtram cauſam apud ipſum agens, de quo Rom: 8. *Chriſtus IESVS qui mortuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et quanquam. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius;* qui omnia dat cum Patre ſecundum diuinitatem, vt tamen efficaciùs ad miſericordiam pro-

Ioan: 3.

1. Ioan: 2.

prouocet Patrem, exhibet ei signa passionis suæ, secundùm humanitatem. Semper ostendit quale genus mortis pro homine pertulerit, inquit S. Thomas. Tùm vt ostendat redemptis, quàm misericorditer ab ipso sint adiuti, dùm illis proponit mortis iudicia. POSTREMO quia veniens in iudicio, in eadem forma apparebit omnibus, iustis & iniustis. Et iusti quidem videntes quanta pro illorum redemptione sustinuerit, in laude eius & gratiarum actione proficient, iniusti verò eò manifestiùs ingratitudinis conuincentur, & grauiùs punientur, quantò indignius larga DEI beneficia contempserunt. Apoc. 1. *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Hinc August: lib. 2. de Symbolo ad Catech. cap. 8. *Sciebat quare cicatrices in corpore suo seruaret. ita inimicis suis vulnera demonstraturus est sua, propter quod dictum est, per Prophetam. Videbunt in quem pupugerunt, & conuincens eos veritas dicet. Ecce hominem quem crucifixistis, ecce hominem & Deum in quem credere noluistis, videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis, qui non estis redempti pretio sanguinis mei, non estis mei, discedite à me in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.*

QUÆSIER. Si Christus ideo cicatrices retinuit, vt tanquam Advocatus repræsentet Patri, nunquid ergo in cœlo pro nobis orat? Ratio dubitandi, quia ex vna parte & scripturæ & Patres dicunt orare Christum in cœlo, scripturæ, Ioan: 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis,* & aliæ quæ supra sunt allatæ. Ex altera parte quòd non oret ampliùs, inde probatur, quia facere potest omnia, secundū datam sibi omnē in cœlo & in terra potestatem. ℞. Itaq; orat Christus in cœlo non propriè sumpta oratione, cùm pro suo arbitrio & potestate accepta possit sine oratione facere, & disponere omnia ad vitam æternam pertinentia. Impropriè tamen orat, seu interpretatiuè repræsentando Patri suam passionem, per cicatrices manentes in corpore. Hinc Chrysost: Homil. 15. ad Rom.

Rom. *Qui desperatos, inquit, & condemnatos propria authoritate ab illa condemnatione liberauit, & iustos & filios fecit, & ad honores supremos subuexit, & quæ nunquam sperata fuerunt ea ad opus deduxit: is quo tandem modo post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno regio ostensam ac collocatam, ad ea quæ faciliora sunt intercessionis indigeat?* Quòd verò promisit se Christus rogaturum, vt daretur Spiritus Sanctis fidelibus, id ante passionem expleuit. Ioan.17. orans ad Patrem & dicens. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Et vltra. *Pater Sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*

CATECHESIS V.

DE ARGVMENTIS RESVRRECTIONIS CHRISTI.

SEdulus prædicator, & testis passionis & Resurrectionis Domini nostri IESU Christi, Petrus Apostolus, cùm primum accepisset Spiritum Sanctum, audenter turbis & principibus Iudæorum, de vera eius resurrectione loquebatur, Act: 2. post multa quæ locutus est ad turbas, dixit. *Hunc IESVM resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus.* Et cap. 10. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Etenim sicut natiuitas per certa signa fuit manifestata, non omnibus tamen, non Herodi nec alijs iniquis, sed Pastoribus Simeoni, tribus Magis, & alijs expectantibus redemptionem Isräel; ita & resurrectio certis indicijs & testimonijs fuit manifestata: de quibus breuiter in ista Catechesi tria contemplabitur Christianus.

I. *Quibus modis manifestata est Resurrectio Christi?*

II. *Quare Christum Resurgentem discipuli non viderunt?*

III. Quare non semper cum discipulis conuersatus est?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, cùm scriptura Act: 1. dicat, Dominum nostrum post suam resurrectionem, *Per dies quadraginta apparuisse discipulis in multis argumentis*, scito ipsum sufficienter his argumentis deduxisse suam resurrectionem: ne autem existimes ipsum, rationes evidẽtes, aut demonstrationes adduxisse, quarum principia nisi nota fuissent discipulis, inutiliter producerentur, cùm ex ignotis non possit aliquid notum fieri: si vero notæ eis essent, fidem tamen diuinam non conciliarent aut
Psal: 92. astruerent, quæ fides transcendit humanam rationem. Testimonijs itaq; quæ nimis credibilia facta sunt, & signis evidentibus Domini, resurrectio sufficienter probata: duplici testimonio vtroq; infallibili, Angelorum quidem, qui mulieribus resurrectionem Domini annuntiauerunt, vt palam est apud omnes Euangelistas, deinde testimonijs scripturæ, quæ ipse
Luc: 24. Dominus post resurrectionem adducebat. *Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Argumenta verò seu signa evidentia Dominus adduxit, tùm ex parte corporis, tùm ex parte animæ, tùm ex parte Deitatis. Ex parte corporis, alia signa sufficienter probabant verum corpus, solidum non phantasticum quia palpandum dedit. Alia ostendebant etiam corpus humanum, veram effigiem humanam oculis exhibendo. Alia astruebant idem numero corpus, post resurrectionem quòd ante fuit non aliud, quia cicatrices & signa vulnerum exhibebant. Alia deniq; probabant gloriosum corpus resurrexisse, quia ianuis clausis ad discipulos intrabat, & subitò ab oculis eorum evanescebat: nam in potestate gloriosi corporis est videri & non videri, pro ipsius voluntate. Ex parte animæ quæ iterato corpus resumpserat:

rat: Alia signa erant ex parte animæ vegetatiuæ, seu vitæ nutritiuæ, quia cum discipulis manducauit & bibit, nam manducare & bibere proprium est corporis viuentis & animati, Angeli enim licet videantur manducare cum hominibus, illa tamen manducatio non est vera comestio, cùm corpus ab Angelo assumptum nec vivum nec animatum sit. Christi autem fuit vera comestio licet illa non eguerit. Alia signa ex parte animæ sensitiuæ, quia cum discipulis loquebatur, audiebat, videbat, ad interrogata respondebat. Alia signa ex parte animæ & vitæ intellectiuæ quia de scripturis disserebat. Ex parte Deitatis ostendebat signa probantia habere diuinam naturam; sicut enim ante passionem miraculo in capiendis piscibus Luc: 5. probauit se habere diuinam naturam, ita post resurrectionem Ioan: 21. Deinde quia videntibus illis ascendit in cœlum, probauit signo evidenti Act: 1. se DEUM esse: & nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.

QUÆSIER. Cur Christus argumentis & signis vsus est ad probandam suam resurrectionem, cùm illam sufficienter probarent testimonia tùm Angelorum, tùm scripturarum ab ipso adducta? R. Id duplici causa Christus fecit. Primò vt firmaret corda discipulorum, quæ non erant disposita, vt de facili reciperent fidem resurrectionis, propter quod & increpauit eos. *ô stulti & tardi corde ad credendum*. Et Marc: 16. *Exprobrauit incredulitatem eorum*, deinde signa adduxit, vt per illa tanquam oculis visa, firmius redderetur testimonium eorum quod perhibebant 1. Ioan: 1. *Quod vidimus & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt, annuntiamus.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, hora resurrectionis Domini latuit discipulos, & ne viderent quando resurgeret, diuinæ sapientiæ consilio factum est, quæ *attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Etenim ea quæ pertinent ad futuram gloriam, com-

mũnem hominum cognitionem excedunt, Isai: 64. *Oculus non vidit, Deus absq; te, quæ præparasti.* Christus autem non resurrexit ad vitam communem hominibus mortalem, sed ad immortalem & gloriosam, proinde excedebat communem hominum notitiam, nec conueniebat ab hominibus videri dùm resurgeret; Angelis autem hora resurrectionis fuit manifesta, quia beati sunt, & illi hominibus idipsum tanquam pro hominibus factum annuntiauerunt, mulieres admonentes de resurrectione, sicut pastores de natiuitate. *Id enim habet diuinus ordo, vt ea quæ supra homines sunt, hominibus per Angelos nuntientur,* ait Dionys: cap. 4. cœlest: hierarch. Nam qui aliquando resurgebant ad vitam mortalem, facile ab hominibus videbatur eorum resurrectio: Christi autem resurrectio quia gloriosa, ab hominum oculis abscondita. Matri tamen suæ Virgini, illicò apparuisse ante omnes homines vt resurrexit piè credendum, vnde Sedulius canit. *Semper Virgo manens, huius se visibus astans, luce palam Dominus prius obtulit.* Potest etiam dici in pœnam dubitationis discipulorum factum, quòd non viderint resurgentem, vnde nec postea præsentem videntes agnouerunt, sed ambigui dixerunt. *Nos sperabamus quòd ipse redempturus esset Israël,* eam quoq; ob causam Thomæ diu non apparuit, quia diu dubitauit.

QUÆSIER. Cur ascensionem ipsam viderunt discipuli & resurrectionem non viderunt, siquidem vtraq; pariter sublimis & ad certitudinem fidei habendam ordinabatur? R. Resurrectio magis excedebat communem hominum cognitionem quàm Ascensio, ideo hanc viderunt non illam. Et licet Ascensio quoq; quantum ad terminum Ad quem, & ipsa transcendebat communem hominum cognitionem, propterea non viderunt discipuli quando recipiebatur Dominus in ipsis cœlis, quia *nubes suscepit eum ab oculis eorum,* tamen quantum ad terminum, A quo, non transcendebat, ideo viderunt discipuli quando eleuabatur à terra. Resurrectio autem quantum

ad

ad vtrumq; terminum excedebat communem hominum cognitionem, ideo ipsam non viderunt. Et primò quantum ad terminum Ad quem, transcendebat, quia ad vitam gloriosam resurgebat, similiter quantum ad terminum A quo, id est quando anima rediȷt ab inferis, & corpus clauso sepulcho exiȷt.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, duo sunt manifesta de Domini resurrectione. Vnum quòd crebro discipulis apparebat, Alterum quòd non semper nec continuò cum ipsis conversabatur. Apparebat inquam frequenter: non semper cum ipsis conversabatur: cognitus à discipulis *in fractione panis, ipse euanuit ab oculis eorum.* Quid mysterij in facto, considera, duo enim volebat Christus nota esse discipulis, vnum quòd verè resurrexit, alterum quòd ad vitam gloriosam resurrexit. apparebat itaque frequenter discipulis, vt crederent eum verè resurrexisse. deinde vt trepidos consolaretur, qui propter motum Iudæorum clausi manebant, & ideo lætificabantur videntes Dominum. Ne verò existimarent ad mortalem iterum vitam sicut prius erat, resurrexisse, ideo non semper nec continuè cum ipsis conversabatur. Tùm etiam nolebat in terra continuo cum ipsis conversari, quia id in futurum eis disponebat, & promittebat Ioan. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum,* ibi erit continuitas sine fine.

DICES. Sufficiebat discipulis illa notitia quam acceperant in Ascensione Domini, de ipsa eius resurrectione, quòd ad immortalem & gloriosam vitam resurrexerit: sciebat enim quòd iam in æternum in gloria Patris victurus, in cœlum ascendit: vt quid ergo necesse fuit non continuò cum ipsis conversari post resurrectionem, vt appareret ad immortalem vitam resurrexisse? ℞. Non solùm in ascensione, sed ante etiam, post ipsam resurrectionem oportebat discipulos in ea fide instrui,

quòd ad immortalem vitam resurrexit, in qua fide iterum in ipsa ascensione fortius fuerunt roborati. Sed iam huius quoq; partis secundæ, articuli quinti Symboli Apostolorum, sit morale.

COROLLARIVM.

SIcut *omnis Christi actio est nostra instructio*, ita ex eius resurrectione instructio datur Christiano. vt ita resurgat à morte peccati, sicut Christus à morte corporis. Et primò quidem Christus qui mortuus erat resurrexit, tu satage spiritualiter à morte animæ resurgere per pœnitentiam ad vitam iustitiæ. *Beatus enim qui habet partem in resurrectione prima, quia in eo mors secunda non habet potestatem.* Deinde Christus cito resurrexit quia die tertia, ita tu quoq; *ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*; die tertia resurge, habes enim tres dies pœnitentiæ, primus contritionis, secundus confessionis, tertius satisfactionis. Ne ergo differas ad quartum diem qui est mortis; est enim huiusmodi procrastinatio periculosa: *ne glorieris in crastinum ignorans quid superuentura pariet dies.* Et ille qui ad ægritudinis tempus differt pœnitentiam, magnis se implicat difficultatibus, nam gravatus infirmitate vix aliquid cogitare potest ad salutem necessarium: tùm etiam perdit magnam partem bonorum quæ fiunt in Ecclesia, quorum propter obicem, peccati particeps fieri non potest: multa etiam mala incurrit ex diuturna in peccato perseuerantia, inhabituatur enim in malo, debilis & tardus ad bonum efficitur: quin etiam *diabolus quantò diutiùs possidet, tantò difficilius dimittit* ait Beda. Præterea Christus resurrexit ad vitam immortalem & incorruptibilem, ita tu per pœnitentiam oportet resurgas ad vitam incorruptibilem, ne amplius corruptelam peccati incurras & moriaris, in quo sedulò monet Apostolus. *Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino nostro, non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscen-*

Apoc: 20. *Eccl: 5.* *Prou: 27.* *Rom: 6.*

piscen-

piſcentijs eius, ſed neq; exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis in peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes. Poſtremò Chriſtus reſurrexit ad vitam glorioſam corpore iam glorificato, ita tu peractâ pœnitentiâ omnia illa deuites & fugias, quæ fuerunt cauſa & occaſio peccati. *Quomodo Chriſtus reſurrexit per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

ARTICVLVS SYMBOLI VI.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

FIdes noſtra Chriſtiana, non ſolùm ſe extendit ad veram Chriſti Deitatem, quam à Patre per æternam accepit generationem, non ſolùm ad Incarnationem & ex Virgine Natiuitatem, non ſolùm ad paſſionem, mortem & reſurrectionem, verùm etiam ad aſcenſionem in cœlum, & ſeſſionem ad Patris dexteram; quod in hoc articulo ſexto ſymboli, Apoſtoli Sancti nobis credendum & confitendum tradiderunt, ſcilicet quòd ille qui crucifixus erat, mortuus & ſepultus, poſt reſurrectionem ſuam, in cœlum aſcendit atq; *in dextera ſedet maieſtatis in excelſis.* Hebr. 1. Quoniam verò iſte etiam articulus duas continet partes, vna eſt de aſcenſione, altera de ſeſſione ad dexteram Patris, horum ſuccinctè doctrina ſubiectis Catecheſibus explicabitur. Sit iam articuli huius pars prima, in qua inſtituitur.

CATECHESIS I.

DE IPSA DOMINI IN COELOS ASCENSIONE.

SIcut propter nos homines Chriſtus deſcendit de cœlo in ter-

terram, ita propter nos de terra ascendit in cœlum: nam *qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Cuius ascensio propter nos prædicta Psal: 7. *Exurge Domine Deus in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere,* Psal: 46. *Ascendit Deus in iubilo,* Psal: 67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*: quia ascendit in cœlum Trinitatis, cœlum Empyreum quod supereminet omnibus cœlis, propter dignitatis excellentiam, cœlum cœlorum nominatur. Hæc igitur Catechesis in tribus expediatur.

I. Quàm rationabiliter Christus in cœlum ascendit.

II. Cur non statim post resurrectionem ascendit?

III. Quæ vtilitas ex eius ascensione?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, rationabilissimum summeque conveniens fuit Saluatorem nostrum perfecto iam & absoluto redemptionis nostræ mysterio, vt homo est, in cœlum corpore & anima ascendere, ait Catechis. Paroch. Tùm quia sibi cœlum debebatur ex sua natura: est enim naturale, vt vnumquodq; reuertatur illuc, vnde originem trahit; principium autem originis Christi è cœlo à Patre luminum, Ioan: 16. *Exiui à Patre & veni in mundum.* Hinc Nicæni Patres. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Tùm quia missus in mundum pugnaturus contra diabolum, quem superauit, mortem in æternum præcipitauit, meruit exaltari super omnia, ideo Apoc: 3. d. *Ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius.* Tùm quia ipsi ex sua humilitate cœlum debebatur qui in tantum se humiliauit, vt cum esset DEUS & Dominus gloriæ, fieri voluit homo & abiici, atq; formam serui Dominus accipere, & cùm esset immortalis & impassibilis, ad mortem crucis se humiliauit; mortuus ad infernum descendit. Ideo meruit exaltari super cœlos, ad dexteram Patris, humilitas enim meritum

Isai: 25.

ritum est exultationis. DEINDE, locus debet proportionari locato, & quanto nobilius est locatum, tanto ei debet nobilior deputari. Corpus Christi post resurrectionem nobilissimum fuit: nam præter hoc, quòd vnitum fuit Verbo diuino, etiam immortale, impossibile & gloriosum fuit. INSUPER, ascensu Domini in cœlum confirmati sunt discipuli in fide diuinitatis ipsius, & qui antea erant tepidi, iam videntes eleuatum in cœlum omnem tepiditatem & dubitationem deposuerunt, Angelico etiam tunc affatu refocillati & testimonio roborati. *Hic IESVS qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sed curiosius fortè. *Act. 1.*

DIXERIS. Perinde bonum erat Christo manere cum hominibus in terra post resurrectionem atq; in cœlum ascendere, nihil enim illi de nouo ex ascensione accreuit boni. ℞. Tametsi Christo ascensione in cœlum nihil accreverit quantum ad ea, quæ sunt de essentia gloriæ siue animæ siue corporis, accrevit ei tamen quantum ad decentiam loci, quod etiam quodammodo ad eius gloriam pertinebat.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, certis de causis Christum commoratum per dies quadraginta post resurrectionem suam cum discipulis priusquam in cœlum ascenderet, res ipsa loquitur. Quarum quidem causarum ea est prima, vt veritas resurrectionis comprobaretur, ita enim Gloss. Ord. super Act: 1. d. *Quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se viuere confirmat:* potuisset enim occasio dari aliquibus dubitandi, si statim vt resurrexit à mortuis abijsset in cœlum, quia verò tanto tempore conversatus est cum discipulis, sæpius apparens eis in multis argumentis, loquens & conuescens, omnis dubitatio veræ eius resurrectionis tollitur. DEINDE hac ipsa mora incolatus, cum discipulis post resurrectionem informat patientiam nostram, quam sæpius ante passionem & exemplo & præce-

pto commendabat: nam futuræ beatitudinis mercedem in patientia nos expectare convenit, quod suadet Apostolus Iacob: 5. *Patientes estote fratres vsq; ad aduentum Domini, ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* PRÆTEREA, fecit Dominus propter instructionem & consolationem discipulorum diutius cum ipsis commorando; plurimum enim eius præsentia lætabantur. POSTREMO ista commoratione mysticum numerum Dominus obseruavit, nam quadraginta diebus pluvia descendit in diluvio generali, quadringentis annis semen Abrahæ peregrinum fuit in terra Ægyti, qui si dividantur faciunt quadraginta decades: quadraginta annis fuerunt in deserto: quadraginta dierum ieiunio lex divina data fuit: Ninivitæ quadraginta dies pœnitentiam egerunt: ipse Dominus quadraginta dies & noctes ieiunauit.

Gen: 7. *Gen:* 15. *Num:* 14. *Deut.* 9. *Ionæ.* 3. *Matth.* 4.

QUÆSIER. remorari à consecutione debiti sibi boni, est onerosum, Christi corpori glorioso post resurrectionem debitum erat bonum, vt illicò ascenderet in cœlum: an non erat ei onerosum quadraginta diebus in terra commorari? ℞. Non erat, tàm enim bene se habuit cùm esset in terra atq; cum ascendisset in cœlum, vbiq; gloriosus fuit, commoratus autem Dominus quadraginta diebus in terra, ob rationes iam dictas.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, tibi magna vtilitas & fructus salutis ex Domini ascensione accrescit, quia dictum est, quod propter nos ascendit: secundum quod Ioan: 16. dicebat. *Expedit vobis vt ego vadam.* Et ad multa quidem expediens erat nobis Christum abire in cœlum. Primò propter fidei argumentum, quæ est de rebus non visis, augetur autem fides nostra, dùm credimus in Christum tametsi non videmus in Patris dextera sedentem, crescit & beatitudo credentium, iuxta illud. Ioan. 20.

Beati

Beati qui non viderunt & crediderunt: quem fructum gratulatur Apostolus. 1. Petr: 1. d. *In Christum quem nunc non videtis, creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* DEINDE, ascensione Christi in cœlum, subleuatur spes nostra, partim quia ideo ascendit, vt interpellaret pro nobis: sicut enim in veteri testamento Pontifex intrabat in sanctuarium, vt assisteret coram DEO pro populo, ita Christus ascendit in cœlum, in ipsum Sanctum Sanctorum, iuxta illud, Hebr. 7. *Accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quare spem nostram erigit & refocillat alius, 1. Ioan: 2. d. *Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum.* Partim quia ad parandum nobis locum ascendit, quod promisit Ioan: 14. *Vado parare vobis locum.* Quia enim Christus ascendit in cœlum, & nobis spem eo perveniendi dedit, capitis enim motum consequuntur membra, & vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Et quemadmodum resurrexit vt nos faceret resurgere, ita ascendit, vt nos duceret, qui viam nesciebamus, sed ipse ostendit Mich: 2, *Ascendit iter pandens ante eos.* *Matt: 24.* PRÆTEREA ascensione sua nos trahit post se Christus, affectusq; nostros à terrenis transfert ad cœlestia. Coloss. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, vt vbi est thesaurus noster, ibi sit cor nostrum. *Matth: 6.* *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*, thesaurus fidelium est Christus in cœlo creditus, ibi sit cor nostrum: vbi ego sum, & vos sitis, vt eum amemus ex toto corde. *2. Cor: 4.* Quem affectum amoris ipse excitat in cordibus nostris, dùm pollicetur dicens. *Si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* q. d. Mittam Spiritum Sanctum qui est amor in cœlestia rapiens. *Ioan: 14.* Hinc August. Tract: 94. in Ioan. *Non potestis capere Spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis amare Christum, Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus Sanctus, sed & Pater & Fi-*

lius illis affuit spiritualiter. Et hoc tunc evenit, quando iam non existimamus Christum sicut hominem terrenum, sed sicut DEUM cœlestem, sicut & Apost. 2. Cor: 5. dicit. *Etsi cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non novimus.* id est, *si aliquando nouimus Christum tantum mortalem hominem,* vt Gloss: Ord. & Interlin. d. *sed iam non novimus,* id est, *nunc non nouimus nisi immortalem & impassibilem,* vt Chrysost: & Theodor. dicunt.

QUÆSIER. Si Filius DEI humanam naturam assumere & homo fieri propter nostram vtilitatem & salutem voluit, an non maior & cumulatior vtilitas hominum fuisset, si docendo, consolando, dubia resoluendo, & præsentiam suam visibiliter exhibendo in terra cum hominibus mansisset, quæ maior vtilitas ex ascensione? ℞. Subtracta præsentia corporali Christi per ascensionem, cum fidelibus semper manet præsentia diuinitatis, quod promisit Matth: 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Et Ioan: 14. *Non relinquam vos orphanos, vado & venio ad vos.* Et quoniam præsentia diuinitatis efficacior est, ideo vtilior est Christi ascensio, quâ nobis subtraxit præsentiam corporalem, vt præstaret Spiritualem & divinam.

QUÆSIER. adhuc. Cur Dominus in cœlum ascensurus, de ciuitate in Bethaniam eduxit discipulos, vt cap: 24. narrat Lucas? ℞. Ex ciuitate eduxit, vt ipsa eductione discerent, se hic non habere manentem ciuitatem. In Bethaniam eduxit, vt discerent per opera obedientiæ se in cœlestia transituros: nam Bethania exponitur domus obedientiæ seu afflictionis,
Act: 14. *& per multas tribulationes atq; afflictiones oportet nos introire in regnum DEI.*

CATECHESIS II.

DE POTESTATE ASCENDENTIS.

CElebrat Propheta David gloriosam Domini ascensionem, vt obseruat etiam Catechismus Paroch. omnesq; hortatur ad læ-

ad lætitiam & gaudium illis verbis Psal: 46. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, ascendit Deus in Iubilatione.* Nam sicut descendendo de cœlis nostræ consuluit vtilitati, ita in cœlos ascendendo: hoc tamen interest, quia descendendo humilis apparuit, ascendendo potens extitit, de cuius ascendentis potentia in hac Catechesi tria expendentur.

I. Quàm sublimiter Dominus ascendit?
II. Secundum quam naturam ascendit?
III. Quâ virtute & potentiâ ascendit?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane quanto corpus maiori refulget gloria, tanto sublimior ei debetur locus: eo quòd plus participet de divina bonitate, & quia corpus Redemptoris nostri inter corpora gloriosa supremum gradum gloriæ obtinet, Verbo DEI hypostaticè vnitum, proinde sublimissimum locum in ascensione obtinuit. Ephes: 4. *Ascendit super omnes cœlos vt impleret omnia.* Docet etiam experientia, quòd res naturaliter tantum ascendere potest quantum descendit: & quia Christus descendit de summo cœlo, ideo ad summum cœlum ascendit. Psal: 18. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius,* id est, *vsq; ad Patris æqualitatem,* inquit Ayguanus, quod ipse Ioan: 16. d. *Exiui à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quòd verò confitemur Dominum ascendisse super omnes cœlos, tripliciter exponitur. Primò super omnes cœlos corporeos, vbi sol, luna, & stellæ & super cœlum empyreum. Deinde ascendit super omnes cœlos Spirituales, id est super naturas Spirituales, vt omnes Angelos & beatos, ita enim Apost: Ephes: 1. *Constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius.* Insuper

ascendit ad cœlum supersubstantiale, id est ad sedem Patris. Apoc: 3. *Ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius.* Hoc mysterium prænuntiatum fuit Daniel: 7. *Aspiciebam*, inquit Propheta, *in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit*: Deinde. *Dedit ei potestatem & honorem & regnum, &c.* Porrò Euang. Marc: 16 d. *Dominus quidem IESVS postquam locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Forsitan Christiane.

ROGABIS. Cùm omne corpus oporteat esse in loco, si super omnes cœlos corporeos ascendit corpus Christi, etiam illud oportet ibi esse in loco: at super cœlos non est aliquis locus pro corporibus recipiendis, quomodo corpus Christi ascendit super omnes cœlos, cùm ibi non sit locus? ℞. Corpora naturalia quæ accipiunt aliquid à loco, quia indigent contineri à loco, necessario sunt in loco, corpora autem gloriosa, maximè autem corpus Christi, quia nihil à loco accipit, sed à solo DEO mediante anima, non repugnat esse extra continentiam loci.

Lib. 1. de cœlo tex. 69.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, credis Christum DEUM & hominem in cœlum ascendisse, sicut audis Prophetam dicentem, *Ascendit Deus in iubilatione & Dominus in voce tubæ.* Ne tamen existimes secundum diuinitatem ascendisse. Vsquequo enim diuinitas ascendisset, qua nihil celsius, nihil sublimius? excelsior cœlo est. DEINDE, diuinitas loco moueri non potest, omnia enim loca implet. *Cœlum & terram ego impleo*, dicit Dominus, Ierem: 23. & qui secundum diuinitatem nunquam cœlum deseruit, illuc secundum divinitatem ascendere non oportebat. Hinc Magister sent: lib. 1. dist. 37. *Cùm* (inquit) *diuina natura veraciter & essentialiter sit in omni loco, & omni tempore, non tamen mouetur per loca vel tempora, nec temporalis nec localis est.* Si igitur consideres conditionem Ascendentis, ascendere in cœlum competit Chri-

Iob. 11.

Christo secundum humanam naturam, quæ continetur loco & motui subijci potest, Proinde Gloss: Interlin. super cap. 4. Ephes. *Constat quòd secundum humanitatem Christus descendit & ascendit, si tamen metaphorice ascendere sumatur, potest etiam conuenire Christo secundum diuinitatem, quatenus cœlum & omnia sibi subiecit,* & iuxta hunc sensum potest exponi illud Psal: 46. *Ascendit Deus in iubilo,* & Deut: 33. *Ascensor cœli auxiliator tuus.*

DIXERIS, Ita ascendit Christus in cœlum, sicut descendit de cœlo, ait enim Apostolus Ephes: 4. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos,* Et Ioan: 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* iam verò de cœlo descendit non secundùm humanam naturam quæ ibi ante non fuerat, sed secundum diuinam naturam: pariter igitur secundùm diuinitatem ascendit. ℞. Sicut descendit ita ascendit, non descendit autem de cœlo secundùm diuinitatem, quasi mutatione locali, sed dicitur descendisse, quia apparuit in terris, *& qui antè invisibilis erat in suis, visibilis factus est in nostris,* vt dicit S. Leo, ita quoq; non ascendit secundum diuinitatem, quasi transeundo de terra in cœlum, sed quia illa humanitas subsistens in Persona Verbi, migrauit de terra in cœlum.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Sicut propria virtute Christus resurrexit à mortuis, ita propria virtute ascendit in cœlum: Primò quidem propria diuina, deinde etiam propria animæ glorificatæ, quæ corpus pro arbitrio suo mouebat. Nam *sicut corpus efficitur gloriosum participatione animæ beatæ, ita participatione Dei fit anima beata, dicit Augustinus.* Tract: 23. in Ioan. Et licet naturali vi id fieri non potuerit, quæ procedit ex principijs naturæ, tamen virtus illa, qua beata anima Christi prædita erat, corpus vt libuit movere potuit: corpus etiam quod iam gloriam adeptum erat, moventis animæ imperio facilè parebat. Atq; hac ratione Christum, vt DEUS & vt homo est, in cœlum sua virtute ascendisse credi-

credimus. Crede igitur indubitanter Christiane, Dominum Saluatorem nostrum, propria virtute non aliena vi sublatum,
4. Reg. 2. ascendisse. Elias quidem olim alieno auxilio, nempe curru igneo & equis igneis: & Abacuc ab Angelo capillo capitis sui
Daniel. 14. delatus fuit in Babilonem: Philippus diaconus postquam baptizauit Æthiopem, Spiritu Domini raptus, & delatus vsq; in
Act: 8. Azotum. Verùm & authoritas confirmat Christum propria virtute ascendisse Isai. 63. Angeli mirantur dicentes. *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ*: nempe *qui fecerat omnia, super omnia virtute ferebatur*, ait S. Gregor. Quare si

QUÆSIER. Cur Christus in scripturis passim *assumptus* vel
Marc: 16. *subleuatus* dicitur, si propria virtute credi debet ascendisse. Si
Luc. 24. eleuatus & assumptus, quomodo propria virtute ascendit?
Act: 1. R. Non solùm assumptus & eleuatus, sed etiam ascendisse apud Prophetam legitur. *Ascendit*, inquit, *Deus in iubilo*. Et Ioan: 20. ipse dixit: *Ascendo ad Patrem meum*. Quòd autem assumptus & eleuatus dicitur, non inde sequitur, non propria virtute ascendisse. Cùm enim eleuata & assumpta fuerit humanitas, à propria diuinitate cui hypostaticè vnita fuit, propria virtute diuinitatis suæ ascendit; & cùm corpus eleuatum fuerit, virtute animæ gloriosæ, de cuius redundantia glorificabatur corpus, propria virtute animæ suæ ascendit.

PARS SECVNDA ARTICVLI VI.

CATECHESIS III.

DE SESSIONE AD DEXTERAM PATRIS.

IN hac secunda parte Articuli Sexti Symboli Apostolorum ad ex-

ad explicandam Christi gloriam, quam vt homo præ cæteris omnibus adeptus est: eum in Patris dextera esse confitemur. Nam infirmæ alicui menti, posset talis occurrere cogitatio & inquisitio, vbi nunc est Christus? & quid agit? breviter dicit Symbolum: nunc eum sedere in sede cœlesti, in honore diuino, id est, ipsum secundùm humanam naturam nunc regnare & iudiciariam potestatem, super omnem creaturam exercere; idq; non procul à Patre, sed iuxta Patrem, hoc est in eodem throno regio cum Patre, qui thronus est cœlum. Nec in sinistra Patris, sed ad dexteram eius hoc est in summa felicitate & gloria Patris. Iam verò vt hæc planiora fiant, tria in ista Catechesi proponentur & exponentur.

I. Quid sit sedere ad dexteram Patris omnipotentis?

II. Quæ illa natura quæ sedet ad dexteram Patris?

III. An solius Christi est sedere ad dexteram Patris?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane Catechismus Parochorum abunde docere te potest, quid sit ad dexteram Patris sedere: ait enim. *Sedere hoc loco, non situm ad figuram corporis significat, sed eam regiæ summæque potestatis ac gloriæ firmam & stabilem possessionem, quam à Patre accepit, declarat:* de qua Ephes: 1. *Suscitans eum à mortuis, & con- constituens, ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem.* Cùm audis sedet ad dexteram Patris, caue suspiceris dexteram corporalem sicut in homine vides: Deus enim cùm sit Spiritus, in eo dexteram corporalem cogitare nec debes nec potes. Deinde si in dextera huiusmodi Patris, Filius sedere intelligatur profectò Pater in sinistra Filij consisteret ait August: quod Filium sedere confitemur tropica locutione seruata & scripturis vsitata, ad summam Christi gloriam explicandam, in quantum æternaliter immutabilis *Ioan: 4.* *Lib: 1. de Symbo: ad Catech. c. 4.*

manet in gloria Patris: hinc ſedere ad dexteram Patris inquit Auguſt: *ſedere habitare* intelligitur, *quomodo dicimus de quocunq; homine. In illa patria ſedit per tres annos, ſic ergo credite habitare Chriſtum in dextera Dei Patris vbi eſt. Beatus enim eſt, & à beatitudine quæ dextera Patris vocatur, ipſius beatitudinis nomen eſt, dextera Patris, ibi omnis dextera eſt, quia ibi nulla eſt miſeria.* Hinc Pſal: 15. *Delectationes in dextera tua vſq; in finem,* q. d. ait Aijguanus. *Lætitia & gaudium erit mihi ſedere ad dexteram tuam, dùm humanis obtutibus ſubtractus fuero, & hoc vſq; in finem id eſt in æternum.* Alio modo, ſedet Chriſtus ad dexteram Patris, in quantum Patri conregnat, & ab eo habet iudiciariam poteſtatem, ſicut qui aſſidet regi ad dexteram, aſſidet ei in regnando & iudicando. Vnde Auguſt: lib. 2. de Symb. c. 7. *Ipſam,* inquit, *dexteram intelligite, poteſtatem quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui priùs venerat iudicandus.*

QUÆSIER. Cùm ſcripturæ Chriſtum ſedere ad dexteram pariterq; ſtare referant. Stephanus enim Act:7. dùm lapidaretur vidit ſtantem à dextris DEI: num igitur conuenienter fecerunt Apoſtoli, qui prætermiſſa ſtatione, ſolum ſeſſionem in Symbolo fidei poſuerunt? ℞. Conuenientiſſimè factum, id enim quod ſublimius & honorificentius eſt, de Filio Dei noſtræ fidei tradere inſtituerunt Apoſtoli: multo verò ſublimius & honorificentius eſt ſedere quàm ſtare, qui honor eſt regnantis & iudicantis, ſtare autem eſt in labore adiuvantis, opitulantis & corporantis, qualiter Stephanus in illo ſuo certamine vidit ſtantem, id eſt ſe adiuuantem, & pro ſe pugnantem.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, tàm ſecundum humanam, quàm ſecundum diuinam naturam, ſedet Chriſtus ad dexteram Patris, de diuina quidem nulla eſt quæſtio, de qua Damaſc. lib. 4. c. 2. d. *Dexteram Patris dicimus gloriam & honorem diuinitatis, in qua Filius Dei*

Dei extitit ante ſecula vt Deus, & Patri conſubſtantialis. De humana natura Chryſoſt. in ſerm: de Aſcenſ. *Cognoſcamus*, inquit, *quis ſit ille qui audivit, ſede ad dexteram meam: quæ natura eſt, cui dixit Deus, eſto meæ particeps ſedis, illa natura eſt, quæ audiuit, terra es, & in terram ibis.* Id ipſum poteſt deduci ex illo Marci. 16. *Dominus quidem IESVS aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei*, & quia ſecundum quod homo aſſumptus eſt; Ergo ſecundum quod homo ſedet. Verumtamen Chriſtiane cum diſcretione id oportet accipias, nam ſecundum quod DEUS, ſedet Chriſtus ad dexteram Patris, id eſt in æqualitate Patris, ita quòd ſedere ad dexteram Patris nihil ſit aliud, quàm ſimul cum Patre habere gloriam divinitatis, & beatitudinem, & iudiciariam poteſtatem, regulariter & immutabiliter, quod convenit Filio DEI, ſecundum quod DEUS per æternam originem. Itaq; ſecundum quod DEUS, ſedet ad dexteram Patris, quia habet eandem naturam cum Patre, & eſt in æqualitate Patris. Iam verò ſecundum quod homo Chriſtus, ſedet in dextera Patris, id eſt in bonis paternis potioribus præ omnibus creaturis, id eſt in maiori beatitudine, iudex à DEO Patre conſtitutus, quia Filius hominis eſt. Quin etiam quatenus homo ſedet ad dexteram Patris ſecundum æqualitatem honoris, in quantum propter vnitatem ſuppoſiti eodem honore veneramur ipſum Filium DEI cum natura aſſumpta; quod in Decretis quintæ Synodi Can: 9. dicitur. *Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ſed non vna adoratione, Deum verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ Dei traditum eſt, talis anathema ſit.* Hic obſerua Chriſtiane obiter, licet Chriſti humanitas ſecundum conditionem ſuæ naturæ non habeat gloriam vel honorem Deitatis, habet tamen ratione perſonæ cui vnitur: ita enim Damaſc. loco ſupra dicto. *In qua*, inquit, *gloria Deitatis Dei Filius exiſtens ante ſecula, vt Deus Patri conſubſtantialis ſedit conglorificata ei carne eius, adoratur enim vna hypoſtaſis vna adoratione cum carne ſua ab omni creatura.*

QUÆSIER. Si eodem modo convenit Christo esse in æqualitate Patris, & in potioribus bonis? ℟. Esse in æqualitate Patris secundum illud Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* non conuenit Christo secundùm quod homo est, ita enim Pater maior illo est, sed conueniet Personæ assumenti naturam humanam, quæ vna eademque subsistit in vtraq; natura, diuina scilicet & humana. Esse autem in potioribus bonis DEI conuenit ei secundum quod homo, quia in illis excedit omnem creaturam.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, sedere ad dexteram DEI, ita proprium & singulare est Domino nostro IESU Christo, vt nulli alteri creaturæ concedi possit. Jlle nunc in dextera, qui diu fuit in sinistra, in laboribus à iuventute, in angustijs, in tribulationibus, iu cruce, in morte. Nulla autem creatura alia assumpta est ad vnitatem Personæ diuinæ, vt ei propterea tantus honor tribueretur & communicaretur. Sublimata quidem est natura Angelica à DEO, in naturalibus & supernaturalibus, nullus tamen etiam supremus Seraph pervenit ad tantum honorem, vt sedeat à dextris DEI. Hebr: 1. *Ad quem aliquando Angelorum dixit Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et vltra. *Ad quem Angelorum aliquando dixit. Sede à dextris meis? ad Filium autem Thronus tuus Deus, in seculum seculi.* Hoc Christo etiam homini dictum propter vnitatem hypostasis Verbi. Sed

DIXERIS. Si solius Christi proprium est sedere ad dexteram quomodo intelligendum quod multis promittitur. Et Apostolus quidem Matth. 19. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Ergo sicut Christus iudiciariam potestatem habet, quod pertinet ad consessum dexteræ paternæ, ita & illi quibus iudiciaria potestas promittitur ad dexteram sedebunt, Deinde Apoc: 3. *Qui vicerit faciam illum sedere in throno meo.* Et Matth. 20. expresse dicitur præparari aliquibus

bus à Patre, ſedere ad dexteram aut ad ſiniſtram. Quomodo igitur ſolius Chriſti proprium eſt? ℞. Quantumvis multi ſint habituri iudiciariam poteſtatem per ſimilitudinem, ſolus Chriſtus per authoritatem, ideo ſolus Chriſtus ad dexteram Patris ſedet, illi verò ſedebunt cum Chriſto in throno eius, & hoc modo à Patre præparatur ſedere ad dexteram, non Patris ſed Chriſti, cùm ipſe clarè dicat, *ſedere ad dexteram meam non eſt meum dare vobis.* Si verò etiam ad dexteram DEI aliqui ſtatuendi dicantur, vt Matth. 25. *Statuet oues à dextris*, ſtaturi non ſeſſuri dicuntur, quia erunt quidem in beatitudine, non tamen DEI beatitudinem habebunt cum dominatiua poteſtate, quod ſoli Chriſto conuenit.

COROLLARIVM.

AGe deuote & fidelis Chriſtiane, qui credis IESUM Chriſtum Crucifixum à mortuis reſurrexiſſe, in cœlos aſcendiſſe, atq; conſortium & conſeſſum paternæ dexteræ obtinuiſſe, ipſam devota mente & animi deſiderio nunc per mandatorum obſervātiam, & bonorum operum perſeuerantiam comitare, vt cùm dies egreſſus animæ tuæ de corpore advenerit, præſentialiter ad cœleſte gaudium comitari merearis: poſtremo in die noviſſimo iudicij viuorum & mortuorum ad dexteram ipſius ſituatus, beatitudinis æternæ conſors efficiaris.

ARTICVLVS SYMBOLI VII.

Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

AGnouiſti Chriſtiane poteſtatem iudiciariam delatam eſſe, Domino noſtro IESU Chriſto, *qui conſtitutus eſt Iudex viuorum & mortuorum*, in quantum eſt homo, nam vt DEus ſimul *Act. 10.*

iudicat cum Patre & Spiritu Sancto. Cogita proinde diligenter de iudicio, ne in eo abeas confusus; nec enim sine causa tàm impense hortantur scripturæ ad eius recordationem. Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Id Apostoli in isto septimo Symboli articulo monitum esse voluerunt, dicentes. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Duo autem insinuantur iudicia per scripturas, si quis aduertat,* ait August. *vnum occultum, alterum manifestum.* *Occultum nunc agitur,* de quo August: 1. Retr: 4. *Tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini: occultum namq; iudicium est pœna, qua nunc vnusquisq; hominum aut exercetur ad purgationem scelerum, aut admonetur ad conuersionem, aut si contempserit vocationem & disciplinam Domini excæcatur ad damnationem.* Iudicium occultum quo anima egressa de corpore sistitur iudici, de quo Hebr: 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc iudicium.* *Porrò manifestum iudicium, quo Dominus noster in consummatione seculi venturus est cum Angelis suis, in gloria, iudicare viuos & mortuos omnibus fatentibus eum esse, à quo & bonis præmia & malis suplicia decernentur.* Et quidem de hoc iudicio tremendo, 2. Cor: 4. monet Apostolus. *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum:* id est prout gessit vnusquisq; in corpore existens; nam *cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Eccl: 12. Sit iam

In Psal: 9.

CATECHESIS I.

DE IVDICIO PRIVATO SEV PARTICVLARI.

CAtechismus Parochorum in explicatione huius septimi Symboli Apostolorum articuli, dùm ostendit duo tempora esse in quibus necesse est vnumquemq; in conspectum Domini venire, & singulorum quæ gesserit rationem reddere, ac iudicis DEI sententiam subire: à iudicio particulari seu pri-

priuato exorditur, de eoque pauca proponit, nempe dùm vnusquisq; nostrum migrat é vita, statim ad tribunal Domini sistitur, ibiq; de omnibus iustissima quæstio habetur. Hinc ordini inhærendo, in hac prima Catechesi poterit Catechista Christiano tria proponere.

I. Quàm certum iudicium priuatum?

II. Quàm terribile?

III. Quæ in eo circumstantiæ spectandæ.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, tàm certum est iudicium particulare, vt nullus Catholicorum eam rem in dubium vocare possit. Iudicari animas cùm é corporibus exierint certum, & qui negauerit, æthnica insania deterior, cùm & Socrates Philosophus apud Tullium huius iudicij effectum illis verbis enuntiârit. *Duæ sunt*, inquit, *viæ duplicesq; cursus animorum é corporibus exeuntium, nam qui se humanis vitijs contaminauerunt, & se totos libidinibus tradiderunt, ijs deuium est quoddam iter, seclusum à concilio deorum: qui verò se castos seruauerunt, & in corporibus humanis imitati sunt vitam deorum, ijs ad eos à quibus profecti sunt, facilis patet reditus.* *lib: 1. Tusc.* Iam verò duplex iste cursus post egressum à corpore, nonne per iudicium determinatur? Verùm res ista scripturarum oraculis firmiùs roboratur. Hebr: 9. *Post mortem iudicium*, Eccl: 11. *In die bonorum, ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuiq; secundum vias suas.* Et vltra, *In fine hominis denudatio operum eius*: hac verò denudatiò quid nisi coram tribunali iusti iudicis? Quare in hoc iudicio infans cum originali decedens, iudicatur ad exilium perpetuum & pœnam damni, id est carentiæ diuinæ visionis: innocens verò ab omni macula depuratus, iudicatur illicò ad æternam beatitudinem. Sceleribus autem & flagitijs multis deformatus, iudicatur in bara-

barathrum æternæ damnationis. Qui verò in gratia quidem & charitate decedit, verumtamen aliquas venialium maculas habet, aut pœnitentiam ante obitum implere non potuit, ad purgatorij ignis emundationem iudicatur: de quo Gregor: Nissen. *Si aliquis Christo amico consentiens in hac vita, minùs peccata purgare potuerit, post transitum hunc per purgatorij ignis conflationem expeditur.* DEINDE plurimæ historiæ testantur aliquos in morte in cœlum ascendisse, aliquos verò in inferno demersos. Nam & in Euangelio res manifesta, latroni paradisum hora mortis deputatum, Lazarum post mortem in sinum Abrahæ ab Angelis deportatum, divitem post mortem in inferno sepultum, & cùm omnium causâ nonnisi per iudicium determinata fuerit, liquet post mortem esse iudicium.

QUÆSIER. Futurum est generale iudicium in consummatione seculi de quo plurimæ scripturæ, & in eo vnusquisq; referet propriam mercedem secundum suum meritum. Vt *iuxta 70.* quid ergo priuatum circa mortem, vtiq; *Deus non iudicat bis in idipsum.* Nahum. 1. ℞. Fuit error dicentium animas omnes non iudicatas reseruari vsque ad vltimum diem consummationis seculi, & tunc primùm iudicandas, sed hic error damnatur: iudicatur quælibet anima in egressu de corpore, vbi retributionem accipit, vt iam ex scripturis patet, omnis autem retributio requirit iudicium, vt dicit S. Thom. opusc. 3. c. 242. Quod autem Nahum dicit. *Deus non iudicat bis in idpsum,* hoc certum est secundum idem, at secundum diuersa non est inconveniens quòd bis iudicat, nunc secundum animam tantùm, tunc autem etiam secundum corpus.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, quàm sit horrendum præsentari iusto Iudici in die & hora exitus animæ é corpore, testatur in primis Apost: Hebr. 10. *Iudicabit,* inquit, *Dominus populum suum, horrendum est incidere in manus Dei viuentis, viuens est Deus, quia im-*

mor-

mortalis & æternus, in perpetuum viuit & viget, vt nunquam eius oculos, memoriam aut manus effugere possis, ait Theophilact. Testantur illi viri sanctissimi, quibus licet nihil fuerit damnationis, vehementer tamen horrebant apparere Iudici iustissimo. Iob ille patientissimus cap. 14. *Quis,* inquit, *hoc mihi tribuat vt in inferno protegas me donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* profectò sententia Iudicis ipsâ gehenna formidabilior, ideo iustus in inferno tunc protegi & abscondi desiderat. S. Paulus dùm de iudicio temerario quosdam reprehenderet. d. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die, sed neq; me ipsum iudico, qui autem iudicat me Dominus est.* q. d. licet ego in me peccata non video, sed Dominus forte videt ea, ideo iudicium eius exhorresco. Hinc S. Anselm. *Iusti,* inquit, *non humana iudicia, sed æterni Iudicis examen aspiciunt, atq; ideo derogantium verba cum Paulo despiciunt.* In illa magna calamitate Iob constitutus, equidem non desinebat iuiudicij subsequentis recogitare horrorem, illo tamen cap. 9. impense ex sapientia Iudicis illud expendit. *Verè,* inquit, *scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum illo, non poterit ei respondere vnum pro nullo, sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei pacem habuit?* Sapiens corde, ideo nouit omnia, & nemo poterit illum fallere. Fortis robore, ideo nemo poterit ei resistere, aut de manibus eius eripere. *Deus,* inquit, *cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo cur uantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui etsi habuero quidpiam iustum non respondebo, sed Iudicem meum deprecabor.* Hoc idem negotium mente reuoluens, *Semper,* inquit, *quasi tumentes fluctus super me timui Deum, & pondus eius ferre non potui,* quid memorem Dauid, qui Psal: 142. humiliter orat. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine quia non iustificabitur, in conspectu tuo omnis viuens.* S. Hilarion Eremita, tàm exire de corpore trepidabat, & sisti tribunali iusti Iudicis, vt animam suam trepidantem excitando

1. Cor: 4.

Iob. 31.

diceret. *Egredere anima mea quid times? quid dubitas? septuaginta prope annos Christo seruijsti & mori times.* Parabolæ quoq; Euangelicæ abunde ostendunt quàm sit rigidum iudicium, stricta & exacta ratio in die mortis reddenda, cùm & ille Luc:16. vehementer turbaretur cui dictum erat. *Redde rationem villicationis tuæ, tam enim non poteris villicare.* Sed hæc Christianus cogitabundus.

QUÆSIER. Cur hoc iudicium tàm horrendum insinuas cum Iudex ipsi sit Clementissimus, qui propter salutem no-
Matt: 25. stram homo & frater noster fieri dignatus est, & neminem ve-
2. *Petr:* 3. lit damnare, sed omnes saluare, ad cuius thronum cum fidu-
1. *Tim:* 2. cia accedere monet Apostolus. *Adeamus,* inquit, *cum fiducia ad*
Hebr: 4. *thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur?* ℞. Verum est, clementissimus est in bonos quos præmiat vltra merita, verumta-
Eccl: 5. men in peccatores respicit ira illius, quare *de propitiato peccato*
Rom: 11. *noli esse sine metu,* nec alte præsumas sapere sed time. Cogita-
Psal: 50. bat rigorem & horrorem huius iudicij ille cui DEVS occulta
Psal: 118. sapientiæ suæ manifestauit, propterea petebat. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Apostolus autem hortatur nunc cum fiducia ad thronum gratiæ accedere implorando eius auxilium in omni tentatione, tribulatione & persecutione. *Nunc enim placabilis sedet in throno gratiæ, postea terribilis sessurus est in throno iudicij,* ait Theophilactes.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Circumstantiæ iudicij particularis sunt, locus, tempus & causæ. Locus iudicij particularis est ille, in quo quis moritur: non enim ad cœlum vbi est sedes Iudicis, sistitur iudicandus, sed hic vbi moritur iudicium exercetur. Cùm enim vbiq; sit DEUS, vbicunq; quis moritur, ibi thronum iudicij DEI inuenit, Moritur aliquis in aquis, ibidem iudicatur, alter in igne, alter à bestijs deuoratur, in conflictu cum hoste cadit, ibi Iudicem habet. Et quia communiter moriuntur homines

mines in cubiculis, in lectis: tu Christiane, cùm te disponis ad nocturnam quietem, meditare locum mortis tuæ, atq; iudicij spatium imaginare, & in quem locum post mortem, non corpus sed anima tua transferatur. Sunt namq; vani homines (quod hic obiter obserua) superstitiose sibi locum sepulturæ eligentes, vbi cum maiori pompæ solemnitate celebrentur, spreta Parochiæ propriæ Ecclesia, ad aliquam Regularium fastidiosi capellam se transportandos disponunt, quasi verò in propriæ Parochiæ Ecclesia capax non sit locus. Tempus iudicij priuati duplex, aliud ordinarium, extra ordinarium aliud. Ordinarium tempus egressa iam anima de corpore, quod ostẽdit Apost: iam supra citatis verbis. *Post hoc iudicium*, hoc enim momento DEUS animam suo tribunali sistit, contra eam accusationes excipit, totam causam vitæ eius expendit, tunc animæ ob oculos omnes & singulæ actiones distinctissime statuentur, à primo vsu rationis vsque ad illud momentum exercitæ, tunc Iudex sententiam profert, & prolatam executioni mandari iubet. Extraordinarium tempus huius iudicij aliquando ante mortem, quod aliqui horrendis suis exemplis docuerunt, qui ante mortem suam æternæ damnationis sententiam se excepisse testati sunt, vt ille Presbyter impurus, de quo Petrus Cluniacensis lib: 1. miracul. cap. 25. qui in ægritudine sua multa horribilia perpessus, ad extremum clamauit adhuc viuens. *Ad iudicium*, inquit, *æternum raptus sum & heu miser æterna morte damnatus sum*. Post mortem aliquando iudicium suspenditur, non statim iudicij sententia profertur. Nam Egesippus scribit à S. Petro Apostolo quendam ethnicum hominem infidelem à morte fuisse excitatum, idq; credibile à reliquis Apostolis ethnicos à morte fuisse excitatos. S. Maximus serm: 2. de S. Agnete dicit ab ipsa excitatum filium præfecti qui in peccato mortali obierat. Euodius lib: 1. de miraculis S. Stephani dicit parvulum quendam mortuum ante baptismum ad reliquias S. Stephani excitatum. Isti nondum ad

infernum fuerunt iudicati, quia inde non reuocarentur, suspensum ergo eorum fuit iudicium. Causæ in iudicio priuato æqua lance ponderabuntur, quid aliquando feceris, dixeris & cogitâris. Adstabunt accusatores conscientiæ peccatorum, Rom: 2. *Testimonium reddente conscientia, & cogitationibus accusantibus*, iniuriæ multis illatæ & querelæ. Hinc S. Thom: 2. 2æ. q. 67. a. 3. 1m. d. *Deus in suo iudicio vtitur conscientia peccatoris quasi accusatore*. Adstabunt tetri spiritus animam egredientem accusantes, & rapere parati. Accusabunt & Angeli tutelares quorum monita & auxilia spernebantur. Accusabit deniq; ipse DEUS, in cuius conspectu non puduit sæpe facere, quod vel coram vilissimo homine puduisset. Quare Christiane nihil miserabilius quàm in peccato mortali decedere, huic irreuocabile iudicium æternæ damnationis, nam *mors peccatorum pessima*, Psal: 33. quare monebat S. Augustinus, *neminem etsi nullius criminis sibi conscius esset committere debere, vt sine pœnitentia decedat ex hac vita*, Sed

DICES. de loco particularis iudicij ambiguitas esse potest, nam peccatum diaboli longè grauius est peccato hominis, & peccatum diaboli in cœlo iudicatum est, vnde post iudicium deiectus est. Luc: 10. *Vidi Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo*, cur non etiam in cœlo iudicium hominis morientis perficitur? ℞. Quod homini mors, hoc diabolo fuit casus; & quia homo vbi moritur ibi iudicatur, ideo & diabolus vbi ceciderat, ibi iudicatus est, cecidit autem per peccatum in cœlo, ibidem iudicatus, ergo & homo vbi moritur, ibi iudicatur. DEINDE quia indignum est peccata in cœlo consistere, ideo etiam diabolus statim vt peccauit de cœlo cum peccato pulsus est, Isai: 14. *Ad inferos detracta est superbia tua*.

CATECHESIS II.

DE FORMA IVDICII.

POst iudicium priuatum & particulare, superesse iudicium publi-

publicum & generale in consummatione seculi; passim scripturæ loquuntur: nam spernentibus verba sua, minatur Dominur Ioan: 12. *Sermo quem locutus sum, ille iudicabit illum in nouissimo die*; quis igitur in controuersiam vocabit rem in confesso manifestam? in quo quidem generali & finali iudicio omnia occulta publica luce detegentur. *Veniet Dominus* (inquit Apostolus) *qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium*. Forma verò huius iudicij in tribus concurrit, quæ in ista Catechesi exponentur.

I. Quis sit iudex?

II. Qui iudicandi?

III. De quibus iudicabuntur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, in illo finali iudicio Christus iudicabit DEus homo; atq; hoc ipsi proprium & peculiare. Et primò quidem in quantum DEus, quia in iudice requiritur sapientia & veritas: ratio enim iudicij est lex sapientiæ & veritatis, secundùm quam iudicium celebratur, Hinc Eccl: 10. *Iudex sapiens iudicabit populum suum*: Filius autem DEI est sapientia genita, & veritas à Patre procedens, ipsumq; perfectè repræsentans, ideo ipsi proprie iudiciaria potestas tribuitur. Competit ei eadem potestas in quantum homo idque multifariè. Primò quidem *condecens est vt iudicandi iudicem videant*, vt August: dicit serm: 64. de verbis Domini, iudicabuntur autem boni & mali, quod si in forma DEI iudicaret, non possent illam videre mali, nam forma DEI ita est delectabilis, vt nullus possit eam videre & non gaudere: gauderent proinde mali visa forma DEI in iudicio, quam videre est præmium quod per iudicium redditur. DEINDE, capiti conuenit iudicare de membris, Christus autem secundum humanam naturam est caput Ecclesiæ, vnde ad ipsum pertinet secundùm humanam

S. Thō: opusc. 3. c. 241.

naturam, poteſtatem iudiciariam habere, vt Auguſt: Tract: 19. in Ioan. explicat illud Ioan. 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis eſt*; non quidem propter conditionem naturæ, quia ſic omnes homines poteſtatem iudiciariam haberent, ſed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Chriſtus in humana natura accepit. PRÆTEREA Chriſtus ſecundùm quod homo meruit hoc officium, qui ſecundùm quod homo iniuſte fuit iudicatus, congruum ergo eſt, vt ipſe quoq; ſecundum quod homo vniuerſum mundum iudicet, hic Iob. 36. *Cauſa tua vt impij iudicata eſt, cauſam iudiciumque recipies*. Igitur qui in tantum humiliatus fuit, vt ſub homine iudice iniuſtè iudicaretur, quam humiliationem ſub Pontio Pilato paſſum Symbolum memorat, humiliationi eius præmium exaltationis debebatur, vt ipſe Iudex in humana natura conſtitueretur. Proinde etiam in illo iudicio in forma glorioſa ad præmium pertinente, apparebit, cùm venerit in nube cum poteſtate magna & maieſtate, cuius glorioſæ maieſtatis viſio ele-
Iſai: 33. ctis erit in gaudium, qui Regem in decore ſuo videbunt: re-
Iſai: 26. probis in confuſionem, qui videbunt & confundentur, cùm ignis eos vt hoſtes deuorabit. INSUPER, vt ſit ſuauius iudicium, & deſperatio ab hominibus propulſetur ſecundum humanam naturam iudicabit: ſuavius quidem iudicium ex eo quando homines per hominem iudicabuntur. Act. 17. *Iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis*. Sicut enim DEUS per cauſas medias tanquam propinquiores effectibus operatur, ita quoq; per hominem homines iudicabit. Abigitur ergo per hoc deſperatio: ſi enim ſolus DEUS iudicaret homines territi deſperarent, quare Filium hominis videbunt venientem. Sed hic etiam

QUÆSIER. Proprium & ſpeciale iudicare quomodo dicitur Chriſto cùm ſit multis commune, ipſe enim Matth. 19. Apoſtolis promiſit. *Vos*, inquit, *qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes*. Sap. 3. *Iudicabunt iuſti nationes*. Iſai: 3. *Dominus ad iu-*

ad iudicium veniet cum senibus populi sui. Immò etiam mali iudicabunt peiores, *Viri Niniuitæ,* dicit Dominus, *Surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam?* ℞. Iudicabunt alij, soli tamen Christo proprium & speciale est iudicium authoritatis, Sancti autem iudicabunt interpretatiuè approbantes sententiam Iudicis viri perfecti vt Apostoli & alij iudicabunt similitudinariè in quantùm in ipsis continentur decreta diuinæ iustitiæ ex quibus homines iudicabuntur: & quia alios ducent in cognitionem diuinæ iustitiæ, vt sciant quid iuste pro meritis eis debeatur, hac ipsa reuelatione iustitiæ, iudicabunt. Mali quoq; iudicabunt sed comparatiuè, in quantum ex comparatione eorum apparebunt alij iudicandi. Quin etiam creaturæ insensibiles suo modo condemnabunt impios. Sap: 5. *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Et quod horribilius est, ipse satanas quantumvis cum angelis suis condemnatus, quodammodo iudicaturus est impios, & ipso opere clamaturus. *Ego,* inquit, *ô Iudex iuste pro his quos mecum vides, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec regnum cœleste illis promisi, & tamen vsq; ad lassitudinem multam, in via iniquitatis mihi seruierunt, me audierunt, consilijs meis acquieverunt. Nonne ergo iustum est vt iam in eandem sortem mecum descendant.* Sed quoniam Ioan: 5. d. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Matth: 12.

Cypria. serm. 1. de eleemosyn. Basilius.

DUBITABIS. An penes Patrem aliqua potestas iudicandi resideat? ℞. Iudicat Pater, immò tota Ss. Trinitas invisibiliter, solus Filius visibiliter. Tamen quoad iudicium inuisibile, iudicat Pater cui convenit potestas & authoritas iudiciaria, in quantum est principium Filij, qui est sapientia & veritas secundum quam formatur iudicium. Iudicat Spiritus Sanctus, propter Zelum & amorem iustitiæ. Sed Filio ipsa ratio iudicij convenit, in quantum est sapientia & veritas à Patre procedens, atq; ipsum perfectè repræsentans, vt sicut Pater per Filium omnia facit qui est ars eius, ita per Filium omnia iudicat, qui est eius sapientia & veritas.

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

S. Thō: opusc. 3. c. 243. CHristiane, Omnes homines iudicabuntur, qui sunt, fuerunt & futuri sunt; boni & mali: adulti & parvuli: baptizati & non baptizati; ita enim Apostolus 2. Cor: 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.* Iudicabuntur inquam boni & mali, sed differenter. Duplices enim sunt boni, & duplices mali: iudicium quoq; duplex, discussionis & retributionis. Quantum igitur ad bonos iudicabuntur omnes iudicio retributionis, quia vnusquisq; eorum recipiet præmium ex divina sententia suo merito respondens. Matth: 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.* Sed iudicio discussionis non omnes iudicabuntur, vt valde boni, qui nihil mali habuerunt, & bona corporalia totaliter contempserunt, soli DEO vacantes & his quæ sunt DEI. Nam discussio meritorum non est necessaria nisi bona malis permisceantur, vbi verò bonum est absq; mistione mali, discussio locum non habet, vt in Ss. Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, & alijs perfectis, qui servitijs divinis totaliter insistebant, nullam notabilem admixtionem mali habentes, quiq; ædificaverunt super fundamentum fidei *aurum, argentum & lapides pretiosos.* (1. Cor: 3.) Illi verò qui ædificant super fidei fundamentum *ligna, fœnum, stipulam*, id est qui negotijs terrenis implicantur, ita tamen vt nihil Christo præponant, non enim apponunt cor ad terrena, sed student peccata eleemosynis expiare: quia habent commixtionem bonorum operum cum aliquibus malis, iudicabuntur iudicio discussionis. Quantum ad malos omnes similiter iudicabuntur iudicio retributionis, quia omnes accipient sententiam Iudicis retribuentis pœnas pro malis meritas. *Discedite,* inquit, *maledicti in ignem æternum.* Sed cùm hi quoq; duplices sint, alij qui habuerunt fidem sine charitate & bonis operibus,

bus, alij nec fidem habuerunt. Qui igitur fidem non habuerunt, vt Pagani, Iudæi, & hæretici, isti non iudicabuntur iudicio discussionis, sed solùm retributionis, carentes enim fundamento fidei, non potuerunt ædificare cum perfecta rectitudine intentionis bona opera, vnde cùm non sit in eis aliqua permixtio bonorum cum malis, quæ faciat ambiguam damnationem, ideo damnabuntur absq; meritorum discussione: nam qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit. Qui verò habuerunt ad minus laudabilem actum fidei, quamvis informem, qui sine charitate non sit meritorius, tamen quantum de se, est ordinatus ad meritum, iudicabuntur iudicio discussionis: vt evidenter appareat quid præponderet, bonum aut malum. Vt enim rex terrenus hostem absq; omni audientia damnat, civem verò peccantem cum audientia, ita Rex cœlestis faciet, infideles tanquam hostes sine discussione damnabit, fideles peccatores tanquam ciues aliquando & domesticos fidei, cum discussione, Sed Christianus.

QUÆSIER. Cùm discussio fiat propter ignorantiam, & ordinetur ad informationem, Iudex autem iste sapientissimus, cuius oculis omnia sunt nuda & aperta, nec est vlla creatura invisibilis in conspectu eius; ad quid in iudicio erit necessaria discussio? ℞. Non propter ignorantiam, aut informationem Iudicis sicut contingit in humanis iudicijs, verùm vt vnicuiq; innotescat de seipso & de alijs, quomodo digni sunt pœnâ vel gloriâ, vt sic iusti de iustitia DEI in omnibus gaudeant, & mali contra semetipsos excandescant.

QUÆSIER. Iterum, quomodo intelligendum quod in Symbolo recitamus. *Venturus est iudicare viuos & mortuos*, qui viui & qui mortui? ℞. Hoc problema proponit Magist: sent: lib. 4 dist: 43. & soluit d. *Dicitur Christus iudicaturus viuos & mortuos, hoc dupliciter intelligi potest, aut enim viui accipiuntur, qui in aduentu eius viui inuenientur, licet in raptu moriantur, & mortui qui ante decesserant, vel viui & mortui qui accipiuntur iusti & iniusti.* *August. lib. 1. de Symbolo ad Catech: c. 4.*

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, scito pro omnibus operibus bonis & malis iudicandos homines: in quo præmonet Eccl: cap. 11. *Ambula in vijs cordis tui, & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium*. Et cap. 12. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit*. Non solùm mala sed etiam bona iudicabuntur, quo animo & intentione facta sunt. Et non solùm mala commissa, sed etiam bona omissa, *scienti enim* Iacob: 4. *bonum facere & non facienti peccatum est illi.* Nam de omissis bonis Matth: 25. dicetur. *Non pavistis, non potastis, non operuistis.* De tempore inaniter consumpto, de verbis malis & otiosis, de cogitationibus perversis, de his omnibus districtum fiet iudi- Sap: 1. cium. Quare cùm Apostolus 1. Cor: 4. d. *Illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* Gloss: interlin. d. *Gesta & cogitata, bona & mala tunc aperta erunt omnibus & nota*. Quanto cum horrore! Gregor: d. *Licet homo cuncta praua opera* Lib: 24. Moral. c. 7. *quæ intelligere potuit devitarit, venturus tamen coram districto iudice, illa magis quæ in semetipso non intelligit, pertimescet.*

DICES. Si per singula, omnia sunt iudicanda, infinitum tempus illi iudicio necessarium erit. ℞. Lactantius opinabatur extremum iudicium mille annis duraturum ad plenè singula iudicanda; sanè verò neque tamen tempus sufficeret, si vocaliter illud iudicium celebrandum foret, cùm ad vnius hominis iudicium hoc modo complendum plures dies requirerentur. Quia verò non vocaliter sed mentaliter perficietur, & quoad discussionem, & quoad accusationem malorum, & quoad commendationem bonorum, & quoad sententiæ prolationem, vt docet S. Thom: proinde velocissimè omnia ex- In 4. dist: 47. q. 1. art: 2. pedientur. Fiet enim virtute diuina, vt statim vnicuiq; occurrant bona & mala omnia quæcunq; fecit, pro quibus est præmiandus vel puniendus. Et non solùm vnicuiq; de seipso, sed etiam de alijs, Apoc: 20. dicit Ioannes. *Vidi mortuos magnos &*

pusillos, stantes ante thronum, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris. Per libros in plurali apertos intelliguntur singulorum conscientiæ, in quibus patebunt omnibus omnia. Liber verò vitæ, qui in singulari apertus dicitur, est vis quædam divina, qua fiet, vt cuiq; opera sua bona & mala subito in memoriam reducantur.

CATECHESIS III.

DE CIRCVMSTANTIIS IVDICII EXTREMI.

CIrcumstantiæ iudicij extremi sunt in triplici differentia, quædam enim antecedunt, vt signa, quædam comitantur vt eiusdem iudicij qualitates; quædam deniq; subsequentur consummationem iudicij. Quare in ista Catechesi tria expedientur.

I. Quæ signa præcedent iudicium?

II. Quale erit illud iudicium?

III. Quomodo mundus innovabitur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Signa præcedentia iudicium in scripturis expressa, tria memorat Catechismus Parochorum, Primum est prædicatio Euangelij in vniuerso mundo. Nam cùm Apostoli requirerent à Domino dicentes. *Dic nobis quando hæc erunt, & quod est signum aduentus tui & consummationis seculi*: tùm ille inter alia respondit eis. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*, id est, præcedet annuntiatio regni DEI in omnes gentes, ne qua gens aut populus in iudicio obtundat excusationem quòd non crediderit, & malum egerit, sibi non fuisse annunti- Matth: 24.

atum. Aliud signum discessio, de qua 2. Thessal: 2. *Ne terreamini, inquit, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessit primum.* Quæ sit futura ista discessio, Sancti Patres desolationem imperij Romani intelligunt. Chrysost: in hunc locum. *Quando, inquit, de medio sublatum fuerit Romanum imperium*: vt desinat esse Romanus imperator, & & in decem reges imperium dividatur prout Daniel: 7. & Apoc: 17 per decem cornua bestiæ decem reges ostenduntur. Possumus per discessionem istam, horrendas multorum apostasias intelligere futuras, quia à fide & obedientia Romanæ Ecclesiæ recedent, num Luc: 18. Dominus prædicit. *Filius hominis veniens putas fidem inveniet in terra?* Tertium signum aduentus Antichristi, quem Iudæi in fine mundi pro Messia recipient prout Dominus Ioan: 5. prædixit. *Ego, inquit, veni in nomine Patris mei, & non recipitis me, si alius venerit in nomine suo hunc recipietis.* Et Matth. 24. discipulis dicebat. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto, tunc qui in iudea sunt, fugiant ad montes*, quod de Antichristo intelligendum docet S. Hieron. Et Apost: in illo loco ad Tessal. *Cùm, inquit, reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis; tunc veniet iudicium.* Atq; hic homo peccati quantam persecutionem contra Ecclesiam DEI sit excitaturus docet ipse Domius dicens. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsq; modo neq; fiet.* Alia signa proximè præcedentia aduentum Domini ad iudicium, passim tùm in Euangelio, tùm in Prophetis exprimuntur, vt quòd signa sint futura in sole & luna & stellis, & quòd obscurentur luminaria cœli, ad terrorem hominibus incutiendum. Ioël: 2. *Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* S. Hieronimus se in Annalibus Hebræorum legisse testatur: singulis diebus quindecim, immediatè ante aduētum Domini in iudicium, signa miranda futura, verùm vt Hebræorum sunt. Hebræis relinquuntur.

Luc: 21.

DIXE-

DIXERIS. Quid necesse est aduentum Domini in iudicium præcedere aliqua signa, cùm nec aduentum eius primum dùm veniret ad saluandum præcesserint? ℞. Primum aduentum Christi venientis ad saluandum non præcesserunt signa, quia humilis & occultus apparere voluit, ne impediretur opus redemptionis humanæ, si fuisset aliquibus signis euidentibus manifestatus. Ad iudicium verò quia venturus est gloriosus, & manifeste in gloria Patris, apparebit in nubibus & videbit eum omnis oculus, id eo signa præcurrent aduentum eius. Matth: 16. Apoc: 1.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Rigidum & iustum iudicium erit, cuius species Matth: 25. proponitur. *Cùm*, inquit, *venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, &c.* iustis iusta fiet retributio. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Non frustrabitur etiam contra reprobos iustitia, quibus dicetur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Duplicem pœnam, vnâ sententiâ Domini referent iniqui, pœnam damni, in verbo discedite à me, priuabuntur enim in omnem æternitatem visione DEI, iuxta illud Isai: 26. *In via sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Pœnam sensus referent quia in ignem destinantur. Qui præparatus est diabolo & Angelis eius. Atq; contra istam sententiam non valebunt fraudes, technæ, dilationes aut excusationes, quæ hominum solent iudicijs imponi. Tunc enim *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium.* vbi Gloss: d. *Abscondita tenebrarum, id est peccatorum; & manifestabit consilia cordium, id est bonas cogitationes. Tunc venient iniqui in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.* Locus iudicij iniquorum erit vallis Iosaphat, de quo Ioël: 3. *Deducam omnes gentes in vallem Iosaphat & disceptabo cum eis ibi*, Et infra. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat,* 1. Cor: 4. Sap: 4.

ſaphat, quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. Iuſti verò occurrent Domino in aëra. 1. Theſſ. 4. *Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra;* id eſt in nubibus ſplendidis quaſi in thronis aſſiſtent. Peccatores autem in imo relinquentur, in terra quam dilexerunt. In valle dicta Ioſaphat propter certas congruentias, tùm quia locus iudicij debet eſſe communis, qualis eſt Ieruſalem & terra ei adiacens, cùm ſit quaſi locus medius terræ habitabilis, tùm quia locus ille, & terra eſt famoſiſſima propter opera noſtræ redemptionis; tum quia negotium magnum, opus ſcilicet miſericordiæ & iuſtitiæ, ibi tractandum eſt. Mons enim oliveti circa quem deſcendit Chriſtus, & ex quo aſcendit, qui ſupereminet valli Ioſaphat deſignat pinguedinem miſericordiæ. Ioſaphat autem quod à iudicio dictum eſt, deſignat diſtrictionem iuſtitiæ. Aduerte & iſtud Chriſtiane, quòd aduētum ſuum ad iudicium voluit Dominus
Matth: 24. eſſe certum, ſed horam & tempus incertum, dixit enim. *De die illa & hora nemo ſcit, neq; Angeli cœlorum niſi ſolus Pater.* Et hoc ideo vt ſemper vigilemus prout monet. *Vigilate quia neſcitis*
Marc: 13. *qua hora Filius hominis venturus ſit, ne cùm venerit repente, inveniat vos dormientes.*

DICES. Cùm hominibus & Angelis, tempus & hora ſit occulta, mirum quomodo etiam Filius hominis qui Iudex eſt, ignoret tempus iudicij, vt loco proximè allegato dicitur. *De die,* inquit, *illo & hora nemo ſcit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius niſi Pater.* ℞. Arius qui dicebat Filium minorem eſſe Patre in diuinitate, dicebat etiam non omnia ſcire quæ ſcit Pater. Sed
Ioan: 1. errat hæreticus, ſi enim per Filium omnia facta ſunt, & ſine
Hebr: 1. ipſo factum eſt nihil, certè ipſa tempora per ipſum facta ſunt; ſi autem & tempora per ipſum facta ſunt, certè novit omnia tempora, quomodo enim ignorabit quod fecit? Dicitur autem filius neſcire diem iudicij, quia non facit quenquam ſcire, ita enim Act: 1. Apoſtolis de hoc interrogantibus reſpondit. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta:* Pater autem dici-

tur nosse, quia eiusmodi cognitionem habens à se, tradidit Filio, & Filius ab eo habet per æternam generationem. Cognoscit ergo & Filius, non solùm quantum ad divinam naturam, sed etiám quantum ad humanam, secundum quam Iudex futurus est, ad iudicem autem pertinet etiam tempus nosse iudicij. Hinc Chrysost: Homil. 30. in Matth. *Si Christo homini datum est, vt sciat qualiter oporteat iudicare quod est maius, multo magis datum est ei scire quod est minus, scilicet tempus iudicij.*

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Consummationem iudicij consequetur merces plena iustorum, & pœna iniquorum, Ita Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et quia Dominus in igne veniet iudicaturus viuos & mortuos, & seculum per ignem, nam *ignis ante ipsum præcedet.* Psal: 96. Ignis ille vltimæ conflagrationis, quo mundus purgabitur & renouabitur. Vt enim olim perijt mundus diluvio, perditis impijs vniuersis, solo iusto Nòe cum sua familia seruato: ita & nunc post diluuium verbo DEI restauratus, *Igni reseruatur in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* 2. Petr: 3. *Ignis,* inquit, *Propheta in conspectu eius exardescet.* Psal: 49. Quare innouatio mundi quæ per ignem fiet, remouebit à mundo infectionem ex culpa relictam, & impuritatem commixtionis: & disponet ad gloriæ perfectionem. Et primò quidem remouebit infectionem ex culpa, habet enim maximam efficacitatem ad purgandum, qui non inficitur, sicut alia elementa nobis viciniora, cùm eius Sphæra sit à nobis remotissima. DEINDE renouabit impuritatem commixtionis, qui non recipit commixtionem extranei, sicut alia, cùm sit maximæ actiuitatis. Tandem disponet ad gloriæ perfectionem, quia cùm sit nobilissimum elementum, habet naturales proprietates, similiores proprietatibus gloriæ, quod maximè apparet in luce. Quapropter iam in fine audita sententia suæ damnationis reprobi, cum miran-

mirando luctu & lamentatione in barathrum æternæ obliuionis descendent operti humo, vt olim Core, Dathan & Abyron seditiosi, hiatu terræ absorpti sunt. Num: 16. *Dirupta est,* inquit, *terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devorauit eos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis*: ita reprobi inuoluti illo igne, quo mundus adveniente Domino innovabitur, in ipso descendent in infernum, vbi *vermis illorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt vsq; ad satietatem visionis carni*. Videbunt enim beati diuinæ iustitiæ exercitium in damnatis, & in se misericordiæ beneficium, quo pœnas illas euaserunt. Cremabuntur ergo continuo corpora damnatorum non tamen consumentur, adumbrat id similitudine Magist: sent. lib. 4. dist. 44. *Sicut,* inquit, *animus cuius præsentia corpus viuit, & dolorem pati potest, & mori non potest, hoc erit etiam in corporibus tunc damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium*.

Isai: 66.

DIXERIS. Mirum est. quod Apost: 2. Petr: 3. dicit, *Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis calore tabescent.* Quomodo cœli solidissimi & quasi ære fusi, igni vltimæ conflagrationis sint purgandi. ℞. Ignis ille non purgabit cœlos, quia corpora cœlestia peregrinæ impressionis non sunt receptiua; deinde in tàm sublime non ascendet, sed tantum spatium àëris occupabit, quantum aqua occupauerat in diluvio, ait Gloss: Ord. in 2. Thess: 1. aqua autem in diluuio non ascendit ad cœlos, sed solòm quindecim cubitis super altitudinem montium, vt Gen. 7. d. Quòd verò Apost: dicit. *Cœli ardentes soluentur,* cœlos vocat non æthereos sed àëreos, de quibus præmiserat, quòd cœli & terra prius per aquam perierant, qui nunc verbo repositi seruati sunt igni, in diem iudicij. Sed iam Christiane huius articuli accipe morale.

Iob: 37.

COROL-

COROLLARIVM.

COgita Christiane angustas fore peccatoribus in iudicio vias, *tunc enim incipient dicere montibus, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni, quoniam dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Quare ne asperneris consilium, quod tibi ad evadendum futura mala datur: oportet te benefacere in vita tua & vitare mala. Audi suadentem Apostolum. *Vis non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa.* Pœnitentia satage emundare delicta, quæ enormissima indubitanter credimus aboleri, etiam in vltimo Spiritu si admissorum pœniteat. Non prætermittas misericordiæ opera, quæ misericordiam apud Iudicem concilient. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Etenim in illo iudicio, *fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Super omnia charitatem habe* erga DEUM & proximum, *quod est vinculum perfectionis*, & illa est, quæ *vniuersa operit delicta.*

Luc. 23. *Apoc: 6.* *Rom: 13.* *De dogmatib. Eccl. c. 48.* *Tob: 4.* *Coloss: 3.* *Prou: 10.*

PARS TERTIA SYMBOLI APOSTOLORVM.

IN QVA PONITVR.

ARTICVLVS VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

QUia omnes tres Personæ diuinæ, sunt vnius eiusdemq; naturæ ac indivisæ substantiæ idem vnus DEus, ideo in regula fidei, vt est Symbolum Apostolorum iubemur credere sicut in Patrem, ita in Filium, ita quoq; in Spiritum Sanctum. Fides enim Catholica hæc est, vt vnum DEUM in Trinitate, & Tri-

Trinitatem in vnitate veneremur. Neq; confundentes Personas (quòd fecit Sabellius) neque substantiam separantes, (quod Arius & Macedonius) nam etsi alia sit Persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, sed tamen Patris & Filij & Spiritus Sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas. Et sicut baptizamur in nomine Patris & Filij pariter quoq; Spiritus Sancti, Act: 19. Ignorantes Ephesios, si Spiritus Sanctus est, instruit Paulus affirmans baptismum in remissionem peccatorum, non valere nec prodesse, si non detur in nomine Spiritus Sancti. Quid sit Christiano de Spiritu Sancto tenendum & credendum, quantum simplicitas eius in erudita deposcit, inhærendo huic octauo Symboli Apostolorum articulo, per subiectas Catecheses quantum Dominus concesserit, Dominus autem Spiritus est, explicabitur.

Athanas. *Matth: 28.* *2. Cor: 3.*

CATECHESIS I.

DE NOMINIBVS SPIRITVS SANCTI.

VAria nomina Spiritus Sancti ponuntur, nam ab operationibus suis vocatur Spiritus fidei, Spiritus sapientiæ, intellectûs & similium, quia hæc in hominibus operatur. Ab ipsa sua divinitate vocatur Spiritus rectus; Spiritus principalis; Spiritus bonus. Ab origine vocatur Spiritus Patris, Spiritus Filij. Quare de nominibus Spiritus Sancti in ista Catechesi, tria expendentur.

2. Cor: 4. Isai: 11. 1. Cor. 12. Psal: 50. Psal: 142. Matth: 10. Gal: 4.

I. Quòd nomen Spiritus Sanctus, est proprium tertiæ in Deitate Personæ.

II. Quare Spiritus Sanctus dicitur amor?

III. Quare dicitur donum?

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Quamuis Pater & Filius rectissimè dicantur vnus Spiritus Sanctus, quia vnus incorporeus & Sanctus DEus sunt, quemadmodum lib: 15. de Trinit: ponderat S. August:, Vsu tamen scripturæ & Ecclesiæ nomen Spiritus Sancti, propriè accommodatum, est, tertiæ in Deitate Personæ. Ambros. in Symb. Apost. cap. 1. *Licet*, inquit, *Pater sit Spiritus, & Filius sit Spiritus: & Pater sit Sanctus, & Filius sit Sanctus, sola tamen tertia Persona Spiritus Sanctus nuncupatur.* Dum autem DEus dicitur Spiritus, significatur planè incorporeus, simplex & incompositus, nullo loco circumscriptus, vllo tempore comprehensus: tale enim est, quod perfectè Spirituale est. Dùm verò dicitur Sanctus, designatur ipse purus, & alienus ab omni malo immenseq; bonus; plena enim Sanctitas solius DEI est, quam decantabant illi duo Seraphim Isai. 6. Quamuis ergo Spiritus Sanctus, si sumatur in virtute duarum dictionum, Spiritus scilicet & Sanctus, commune sit tribus Personis, sumptum hoc quod dico Spiritus Sanctus in vi vnius dictionis secundum vsum Ecclesiæ, proprie attribuitur tertiæ Personæ. Ratio istius potest hæc assignari, quia tertia Persona procedens vt amor per voluntatem, procedit per modum cuiusdam impetus & spirationis, nam & amor vehementiam Spiritus habet. Atq; hoc appropriatum tertiæ Personæ in scripturis invenimus Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Idem ex doctrina Apostolorum constat. 2. Cor: 13. *Gratia Domini nostri IESV Christi & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti.* 1. Ioan: 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus.* Hinc August. lib. 7. de Trinit: c. 4. *Cum quæritur quid tres?* dicimus tres Personæ, & quia in ordine trium Personarum vltimo loco positum est Spiritus Sanctus, hinc facile convincitur tertiæ Personæ accommodari tanquam proprium nomen Spiritus Sanctus.

QUÆSITER. Cur tertiæ Personæ non est tributum nomen ita proprium sicut primæ Pater, & secundæ Filius? ℞. Hoc nomen Spiritus Sanctus, ex ipsa sua significatione tribus Personis commune, tribuitur propriè Personæ ex Patre & Filio procedenti, eo quòd homines pro re quæ procedit ab alio & non gignitur, peculiare nomen non habent: sicut pro re quæ gignit habent peculiare nomen Pater, & pro re quæ gignitur nomen Filius. Ita rem istam faciliter explicat Catechismus Parochorum. *Secunda*, inquit, *Persona ideo proprium nomen habet & Filius dicitur, quia eius æternus à Patre ortus propriè generatio vocatur.* Ergo sicut ille ortùs, proprie generationis nomine significatur, ita Personam quæ emanat proprie Filium appellamus, & à qua emanat Patrem. Productioni verò tertiæ Personæ, non est proprium nomen impositum, sed spiratio & processio appellatur, quare & ipsa Persona quæ producitur proprio nomine caret, sed Spiritus Sanctus dicitur. Quod nomen illi maxime convenit ex eo, quia Spiritualem vitam in nos infundit, ac sine Sanctissimi numinis illius afflatu, nihil æterna vita dignum efficere possumus, ita vt *nemo possit dicere Dominus IESVS, nisi in Spiritu Sancto*: quod Ecclesia quoq; illis diebus confitetur. d. *Sine tuo numine, nihil est in homine nihil est innoxium.* Sed contra hunc articulum.

DICES. Quid necesse est multiplicare in vna notitia eademq;, distinctos articulos, vt etiam hic de Spiritu Sancto distinctus ponatur, vtiq; vna est notitia Patris & Filij & Spiritus Sancti. nam *Qui videt me videt & Patrem meum.* Ioan. 14. Sufficiebat ergo vnus articulus trium Personarum. ℞. Vna est notitia Patris & Filij & Spiritus Sancti, quantum ad vnitatem essentiæ, quantum verò ad distinctionem Personarum, circa quas contingit esse errorem, debent distincti esse articuli; nam Arius errauit circa Personam Filij, dicens non esse coæqualem nec consubstantialem Patri, immò minorem Patre,

ideo

ideo de Persona Filij necesse fuit distinctum poni articulum, quem abunde explicat Symbolum Nicænum dicens. *Et in vnum Dominum nostrum IESVM Christum Filium Dei vnigenitum, &c.* Macedonius errauit circa Personam Spiritus Sancti, vocans ipsum ministrum Patris & Filij, ideo & de Spiritu Sancto articulus poni debuit. Sabellius porrò erravit circa totum mysterium Ss. Trinitatis, negans esse tres Personas distinctas in vna Deitate. Proinde tres articuli necessario sunt distincti, vnus de Persona Patris, alius de Persona Filij, atq; alius de Persona Spiritus Sancti.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, equidem multùm laborant Theologi, explicando in divinis amorem, tùm essentialiter, tùm notionaliter seu personaliter sumptum: & an ex natura rei sint idem aut distinguantur necessario. Tibi sufficiat Spiritum Sanctum Amorem appellari; tùm ex vsu Ecclesiæ, tùm accurata scripturarum dicendi ratione, Ecclesia in hymno Pentec: de Spiritu Sancto canit. *Fons vivus, ignis charitas, & spiritualis vnctio.* Gregor: in Homil: Pentec: *Ipse,* inquit, *Spiritus Sanctus est amor.* August: lib. 15. de Trin: c. 17. amorem procedentem qui est DEUS, dicit esse Spiritum Sanctum. Ideo autem nomen Amoris appropriatur tertiæ Personæ (cùm tamen ex se aliquid commune tribus Personis significet) quia denotat operationem voluntatis, per quam Spiritus Sanctus procedit. Nam sicut Filius DEI quia per intellectionem procedit, dicitur in scriptura sapientia, ita Spiritus Sanctus quia procedit per voluntatem vocatur Amor. Idem in scriptura reperitur. 1. Ioan: 4. *Charissimi,* inquit, *diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum, qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas est.* Et quoniam Apostolus hoc loco dilectionem dicit esse DEUM, & dilectionem esse ex ipso DEO. Si amor est DEUS, & amor est ex DEO,

 est

est igitur amor procedens, nempe ex DEO, & quis nisi Spiritus Sanctus? Verùm vt aliquid Christiane ad tuum profectum derivetur, cùm Spiritus Sanctus amor dicitur, etiam in nobis causans amorem, tibi commendatur donum charitatis, quod eodem nomine atq; DEUS ipse vocatur. eoq; maximè DEO assimilaris. Vrget namq; Apostolus, dicens. *Charissimi diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est.* Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* qui
1. Cor: 12. multifaria dona tribuit misericorditer fidelibus, & diuidit singulis prout vult.

DIXERIS. Charitas Patri appropriatur, ita enim Ecclesia in Festo Ss. Trin. *Charitas Pater est, gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus.* immò & Apost: 2. Cor: 13. *Gratia Domini nostri IESV Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti.* Non ergo Spiritus Sanctus amor dici debet, sed Pater. ℟. Charitas duplicem habet comparationem ad alias virtutes; comparatur enim vt mater, iuxta Ambrosium: comparatur vt vinculum iuxta illud Coloss: 3 *Charitas est vinculum perfectionis.* Ergo ratione primi, appropriatur Patri, sed ratione secundi Spiritui Sancto.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Communiter dicunt Theologi (ne verò excedat limites nostræ Catechizationis) donum in quantum personaliter sumitur in diuinis, quod natura sua donum est, proprium esse nomen Spiritus Sancti: in quo sensu Ecclesia canit. *Qui paraclitus diceris, Altissimi donum Dei.* Ideo August: lib: 15. de Trin: c. 19, inter plurimas rationes idipsum comprobantes, etiam istam adfert, vt dicat. *In scriptura Spiritus*
Ioël: 2. *Sanctus aqua viua nominatur.* iuxta illud. Ioan: 4. *Qui credit in me,* sicut dicit scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quæ sit hæc aqua viua, exponit Euangelista. *Hoc,* inquit, *dixit de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes:* esse autem

aquam

aquam viuam, est donum DEI, Apoc: 21. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis*. Quid igitur desideratur, nisi quòd nomen doni proprie Spiritui Sancto competat. DEINDE, donum est datio irredibilis, quæ includit in se rationem gratuiti affectûs, proinde includit amorem: ergo amor est primum donum, in quo alia omnia dona donantur, & Spiritus Sanctus qui est amor, cùm procedat vt primum donum: profectò donum esse proprium est Spiritui Sancto. Ideo quoq; tàm crebrò promittitur dandus in Euangelio, & alibi in scripturis. Ex quo disce Christiane quàm suppliciter donum hoc debeas expetere: bona enim innumera operatur Spiritus Sanctus, datus in anima hominis. Et cùm propheta Psal. 103. d. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ.* AYGVANUS exponens dicit. *Notandum quòd per Spiritum Sanctum merito in virtutibus creari dicimur & renovari.* Purgat enim peccata, siquidem gratia cùm sit contraria peccato, simul cum illo esse non potest, ideo aduveniente gratia Spiritus Sancti omnis culpa tollitur. Isai. 4. *Si laverit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in Spiritu iudicij & Spiritu ardoris*. Dicitur Spiritus iudicij, quia discernit bonos à malis. Spiritus ardoris, quia animam ad DEI amorem accendit & desiderium æternorum. Infundit gratiam viuificantem, anima enim sine gratia Spiritus Sancti mortua est, Spiritus autem est qui viuificat. Ossa illa arida Ezech: 37. non habebant vitam, sed per Spiritum flantem viuificata sunt. Quare & Apostolus mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum Sanctum viuificanda pollicetur. Ducit ad gloriam cœlestem. Psal: 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, quo qui aguntur sunt filij & heredes. Sed hic aliquis.

4. Top: c. 4.

Ioan: 6.

Rom: 8.

DIXERIT. Si donum esse, est proprium Spiritus Sancti debuit ei ab æterno convenira: nam proprium est, quod semper conuenit. vt ex Logicis patet: donum esse Spiritui Sancto nequaquam ab æterno conuenit, nulli enim creaturæ ab æterno

datus

datus est, cùm nulla creatura ab æterno extiterit. ℞. Donum esse ab æterno conuenit Spiritui Sancto, quòd autem ab æterno nulli donatus fuerit, nihil obstat, quo minùs verè donum dicatur: expresse id docet August: lib. 5. de Trin: cap. 15. d. *Aliter intelligitur cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum: nam donum potest esse anteaquam detur, donatum verò nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Donum ergo est, non tantum id quod actu donatur, sed etiam quod donari potest, vel ad id deputatum est.

CATECHESIS II.

DE SVBSTANTIA SPIRITVS SANCTI.

SUbstantiam Spiritus Sancti dùm venerando consideramus, eum DEUM verum, Patri & Filio consubstantialem coæternum & coæqualem confitemur, eiusdem naturæ indiuisæ atque eiusdem gloriæ. *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Qui Spiritus,* inquit Ambros. *non est de natura rerum corporalium, neq; de substantia inuisibilium creaturarum; est autem Creator omnium visibilium & inuisibilium, vnâ cum Patre & Filio.* Ergo dùm substantiam Spiritus Sancti, in ista Catechesi contemplari appetimus, tria expediemus.

I. *Quòd Spiritus Sanctus est verus Deus, vnus cum Patre & Filio?*

II. *Quòd Spiritus Sanctus, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens?*

III. *Quòd Spiritus Sanctus sicut à Patre ita & à Filio procedit?*

QVAN-

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Firmissimè tene, & nullatenus dubites Spiritum Sanctum esse verum DEUM, Patri Filioq; consubstantialem, atq; vnum cum Patre & Filio in natura DEUM. Hoc fides euincit Catholica, dùm in doctrina ab Apostolis tradita pronuntiamus. *Credo in Spiritum Sanctum*, si enim creatura & non Creator esset Spiritus Sanctus, in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, sed ipse etiam ad Ecclesiam pertineret in illa eius parte, quæ in cœlis est. Quare sicut Christus Ioan: 14. se esse DEUM ostendit, d. *Creditis in Deum & in me credite.* q. d. ait August. *Consequens est, vt si in Deum creditis, & in me credere debeatis; quod non esset consequens si Christus Deus non esset.* Ita nunc, quia pariter ex doctrina fidei in Symbolo tenemur credere in Spiritum Sanctum, sicut credimus in Patrem & Filium, Spiritus Sanctus ostenditur esse verus DEUS, in nullam enim creaturam obligamur credere nisi in solum DEUM. *Tract: 67. in Ioan.*

DEINDE. Sicut Filius est verus DEUS Patri consubstantialis, & vnus DEUS cum Patre, quia est æqualis Patri, & omnes eius perfectiones accipit præterquam esse Patrem, ita & Spiritus Sanctus est verus DEUS, Patri & Filio consubstantialis, & vnus DEUS cum Patre & Filio, quia æqualis Patri & Filio, atq; omnes perfectiones Patris & Filij accipit, præterquam esse Patrem & Filium. In hac enim Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Et vt in confessione veræ sempiternæq; Deitatis, & in Personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas. Hanc fidem Catholicam de vera Spiritus Sancti Deitate confirmant scripturarum oracula, Act: 5. Ananias ille, quia mentitus est Spiritui Sancto, arguit Petrus mentitum fuisse DEO. Et 1. Cor: 12. cùm dixisset Apostolus diuisiones gratiarum esse à DEO, mox explicat esse à Spiritu Sancto.

PRÆTEREA, Matth: 25. Vnum nomen, vna operatio, vnus idemq; effectus in baptismo Spiritus Sancti cum Patre & Filio, convincit vnam naturam Deitatis, atq; vnum eundemq; DEum. INSUPER, Cui tribuuntur ea quæ sunt veri DEI, DEUS verus est, Spiritui Sancto tribuuntur ea quæ sunt veri DEI, nam templum habere est veri DEI. Psal: 10. *Dominus in templo Sancto suo.* Spiritus Sanctus habet templum. 1. Cor: 6. *Corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Act: 17. *Deus est qui dat vitam & inspirationem & omnia*: Spiritus Sanctus dat vitam. Ioan: 5. *Spiritus est qui viuificat.* Luc. 1. DEus locutus est per Prophetas. *Locutus est per os Sanctorum, quia à seculo sunt Prophetarum eius.* idem Spiritus Sanctus. 2. Petr. 1. Spiritu Sancto inspirato locuti sunt Sancti DEI homines. Ierem: 23. *Cœlum & terram ego impleo dicit Dominus.* sed Sap: 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Et alia plurima, quæ manifeste testantur veram Spiritus Sancti Deitatem. Et quòd non sit aliquod DEI attributum absolutum, sed relatione subsistens Persona contra Praxeanos & Sabellianos, quia habet intellectum, ad scrutandum omnia etiam profunda DEI. 1. Cor: 2. habet voluntatem, ad dividendum singulis prout vult. 1. Cor: 12. Sed aliquis ex Macedonij secta.

INSTITERIT. Orare & postulare non convenit DEO vero, qui enim orat & postulat, superiorem orat. DEO eutem quis superior? Spiritus Sanctus orat & postulat. Rom: 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quomodo ergo verus DEus? ℞. Orare & postulare propriè & formaliter DEO convenire non potest, orare autē & postulare causaliter quid prohibet? cùm scripum sit tu es patientia mea. Orat igitur *Psal: 70.* Spiritus Sanctus non proprè & formaliter, orat autem & postulat causaliter, quia sua efficacia causat & efficit nos orantes & postulantes, docens nos quid orare & postulare debeamus, cùm id ex nobis ipsis ignoremus.

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Cùm confiteris Spiritum Sanctum esse DEUM verum, Patri & Filio consubstantialem, & vnum DEUM cum Patre & Filio, confiteri debes non factum, nec creatum: quòd verò nec genitus sit sed procedens, audi Athanasium in suo Symbolo. *Spiritus*, inquit, *Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et facere quidem siue etiam fieri quia importat exteriorem materiam, vt patet in artefactis. Spiritus Sanctus non factus, cum essentialiter DEUS vnus cum Patre & Filio nihil extraneæ admixtionis habet. Creare etiam seu creari, aliquid ex nihilo produci sonat. Spiritus Sanctus non ex nihilo, quia de essentia Patris & Filij. Non etiam Spiritus Sanctus est genitus, quia generatio in divinis, est productio similis, ex vi & modo suæ productionis; Spiritus autem Sanctus, licet producatur similis ratione essentiæ sibi communicatæ, non tamen ex vi & modo suæ productionis, quin non producitur per intellectum, sed per voluntatem inde etiam dicitur amor, qnod autem producitur per voluntatem, non est simile producenti ex vi processionis suæ, seu productionis. Etenim vt sit aliquid simile producenti ex vi & modo productionis suæ, debet illi simile secundum illam formam, secundum quam producens producit, quod autem producitur per voluntatem, non est simile producenti secundum illam formam, quæ producens producit; productum enim per voluntatem nihil est aliud quàm actualis inclinatio in rem amatam, id est amor, forma autem secundum quam voluntas fertur in obiectum est ipsa bonitas obiecti per intellectum apprehensa & ipsi voluntati proposita, porrò bonitas ista obiecti non est similis actuali inclinationi in obiectum amatum. Quod verò producitur per intellectum, est simile intellectui secundùm illam formam, qua intellectus intelligit. Nam quod producirur per intellectum est verbum 1. p. q. 47. a. 4.

mentis, seu vitalis & actualis imago rei intellectus, forma autem quâ intelligens est talis est habitualis species seu imago rei intellectæ, istæ autem duæ imagines sunt sibi similes. Sed

INFICIABERIS. Si Spiritus Sanctus qui est amor non procederet in similitudine naturæ, extraneus esset à diuina natura, quod est Macedonianum. ℟. Procedit Spiritus Sanctus in similitudine naturæ, & ideo non est extraneus à diuina natura, sed quia non procedit similis producenti ex vi & modo suæ productionis vt dictum est, ideo non est genitus aut natus, procedens ergo seu spiratus dicitur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Credere Spiritum Sanctum, non tantum à Patre, sed à Filio pariter ab æterno procedere, tanquam ab vno principio, vno spiratore, vnica spiratione, duorum spirantium, est de necessitate salutis. Id Concilia Nicæn: & Constantinopolitanum. *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.* Athanas: in Symbolo. *Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et in Epistola ad Serapionem. *Etiamsi quos videris cum Elia volantes per àéra, & cum Petro & Moyse sicco pede calcantes maria, nisi Spiritum Sanctum profiteantur Deum, essentialiter ex Filio Deo existentem, sicut & Filium naturaliter Deum genitum æternaliter ex Deo Patre existentem, vt nos profitemur, eos non recipias.* Et iterum. *Blasphemantibus & negantibus Spiritum Sanctum Deum esse de natura Dei Filij, non communices.* Et Cyrillus in lib. thesaurorum. *Necessarium,* inquit, *saluti nostræ est, confiteri Spiritum Sanctum de essentia Filij existere, tanquam ex ipso secundùm naturam, existentem.* Firmat in hoc fidem nostram authoritas divinarum scripturarum. Ioan: 15. Filius DEI pollicetur. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis,* Cap: 16. *Mittam ad vos Paraclitum.* Et vltra. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Si Spiritus Sanctus accipit de eo quod est Filij, & mittitur à Filio, profectò procedit

cedit ab eo. DEINDE. *Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt;* eodem loco dicit, habet autem Pater potentiam spirandi, certe & Filius, qui habet quæcunq; Patris sunt. Præterea multæ authoritates Spiritum Sanctum vocant Spiritum IESU Christi, Rom: 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Gal: 4. *Quoniam estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Si Spiritus Sanctus est Spiritus Filij, quomodo non procedit à Filio? Pulchrē Cyrill. Alexandr. in Concilio Ephesino. *Spiritus,* inquit, *Sanctus est appellatus Spiritus veritatis & veritas Christus est, vnde & ab isto similiter, sicut & à Patre procedit.* POSTREMÒ. Quia Catholicè profitemur Filium Patri æqualem, necesse est profiteamur Spiritum Sanctum æquè à Filio vt à Patre procedere, sin secus non esset DEUS, quod est Arianum, siquidem in diuinis omnia sunt communia tribus Personis exceptis relationibus secundum originem, quia sola relatio multiplicat Trinitatem, vt est apud Boëtium in lib. de Trin. proinde cuicunq; non sunt cętera communia præter relationem & personalem proprietatem, in diuinis locum non habet: si Filius non spirat cum Patre, non sunt ei comunia cætera in diuinis præter relationem originis & proprietatem Personalem: spirare enim non est proprietas Personalis Filij nec relatio secundum originem, per quam Persona Filij constituatur aut differat à Patre. Quare si Filius non spiret cum Patre, non est DEUS, ex quo Schismatici in Arianismum incidunt.

DIXERIS. Non alia de causa Ioan: 15. promittit Christus missurum se Spiritum Sanctum qui à Patre procedit, nisi vt ostendat non à se, sed à Patre dumtaxat procedere: si enim eum à Patre mittit Filius, & à Patre procidentem, profectò declarat à solo Patre procedere. ℞. Ex verbis istis. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* nullo modo colligitur à solo Patre procedere, sed quòd Filius id etiam quod suum est defert Patri, tanquam Ætio, quod à Patre per æternam generationem accepit, quia Pater solus est Ætios, à seipso omnia habens, qui gignit & emittit. CA-

CATECHESIS III.
DE MISSIONE SPIRITVS SANCTI.

Cùm toties in Euangelio legatur promissio missionis Spiritus Sancti, cuius aduentu roborarentur Apostoli: nam præter tot loca in Euangelio S. Ioannis. Luc. 24. Iam ascensurus in cœlum Dominus discipulis locutus est. *Mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in ciuitate quoad vsq; induamini virtute ex alto.* Atq; in huius memoriam factæ promissionis, quæ tunc in executione fuit, nunc nos Christiani Pentecosten celebramus, quibus promissus Spiritus Sanctus in linguis igneis fidelibus Christi in Spiritu vehemēti missus erat. Proinde vt Christianus sciat recolere missionem Spiritus Sancti, dùm sibi quoque mittitur, tria in ista Catechesi ad hoc pertinentia dicentur.

I. Quid sit mißio inuisibilis?
II. Quomodo fiat mißio visibilis?
III. Quæ mysteria in mißione Spiritus Sancti?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Cùm dicitur mitti Spiritus Sanctus, ne cogites velim de motu locali, Deus enim non mouetur de loco ad locum; cùm enim diuina natura veraciter & essentialiter sit in omni loco & omni tempore, non mouetur per loca vel tempora, nec localis est, nec temporalis inquit Magist. sent. *Lib. 1. dist. 37.* Mittitur ergo inuisibiliter Spiritus Sanctus, cùm nouo modo incipit esse, absq; sui mutatione in creatura rationali. Et hoc nota, quòd duobus modis mittitur Spiritus Sanctus inuisibiliter ad hominem. Primus modus est perfectus, quando mittitur per gratiam sanctificantem, vt in homine habitet tanquam in tem-

in templo, iuxta illud, 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spititus Sanctus habitat in vobis?* Hunc modum ostendit Christus Ioan: 14. d. *Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Et Ezech: 37. ossibus aridis promissus. *Ecce ego*, inquit, *intromittam in vos Spiritum & viuetis.* Hinc Beda. *cùm gratia Spiritus Sancti datur hominibus, mittitur Spiritus Sanctus.* Nam quoties confertur donum gratiæ gratum facientis, seu sanctificantis vel iustificantis, etiam ipsa Persona Spiritus Sancti mittitur, & datur cum ipso dono, dicit enim Apostolus. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rom: 5. Duo enim dicit ista missio, & quòd infunditur gratia, & quòd Spiritus Sanctus datur. Secundus modus quo mittitur Spiritus Sanctus inuisibiliter, est imperfectus, qui dici potest dispositivus, secundum quem datur gratia excitans & disponens, per quam gratiam Spiritus Sanctus præparat sibi templum in quo habitat, si homo non excludat per ingratitudinem. Et hoc crebrius vt gratia excitans conferatur homini. Ephes: 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum.* Mittitur ergo Spiritus Sanctus, cùm vel linguarum varietatem operatur, vt in Apostolis, qui post acceptum Spiritum Sanctum. *Cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis:* vel fortitudinem, quâ roborati Petrus cum Ioanne principibus Iudæorum responderunt. *Si iustum est, in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, iudicate.* Et iterum. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Sed hic aliquis.

INSTABIT. Persona Spiritus Sancti est ex se donabilis, cùm sit natura sua donum, & donum est nomen eius proprium, potest ergo mitti & dari, absq; omni dono creato. Ergo sine gratia. ℞. Non potest quia ratio missionis requirit, vt nouo modo sit in creatura: si novum modum essendi in creatura requirit missio, requirit & mutationem, quia nouitas non potest

test esse sine mutatione, Persona autem Spiritus Sancti mutari non potest. Ergo nec nouitas aliqua ex parte illius esse potest. Ergo aliquid extrinsecum, qualia sunt dona, requiritur ad rationem novitatis, mutationis & missionis. Quare ad omnes qui renouantur per gratiam gratum facientem, fit invisibilis missio Spiritus Sancti.

1. p. q. 43. a. 6.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Est modus connaturalis homini per cognitionem visibilium, devenire ad cognitionem invisibilium. Hoc & Apostolus Rom: 1. ostendit, d. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta à creatura mundi conspiciuntur.* Itaq; benignitas DEI, accommodans se captui humano, inuisibilem missionem Spiritus Sancti, secundum visibiles creaturas manifestavit. Quare sicut Filius DEI missus est à Patre in mundum in carne visibilis. *Inuisibilis*, inquit S. Leo, *in suis, visibilis factus est in nostris.* ita quoq; Spiritus Sanctus visibiliter missus est. Et legitur quater visibiliter missus seu signo visibili. Primò missus est specie columbæ super Christum baptizatum. In specie inquam columbæ in baptismo, columba enim cùm sit animal fæcundum, significabat in Christo fæcundam authoritatem donandi gratiam, per spiritualem regenerationem quæ fit in baptismo, vnde & vox Patris intonuit. *Hic est Filius meus dilectus*: vt ad similitudinem vnigeniti adoptivi regenerarentur. Secundò missus in specie nubis lucidæ in Transfiguratione in monte Thabor: tùm ad ostendendam exuberantiam doctrinæ, vnde dictum est. *Ipsum audite*: tùm ad demonstrandam eius maiestatem: nam in multis locis scripturæ, nubes figurat maiestatem DEI, quia & ad iudicium in nube veniet cum potentia magna & maiestate. Tertiò missus & datus in specie flatus Ioan: 20. quando Dominus in Apostolos sufflauit, ad ostendendam potestatem remittendi peccata, ministerium dispensandi Sacramenta. Quartò missus in specie lingua-

Matth: 3.

1. p. q. 43. a. 7. 6m.

Matth. 17.

guarum, ignitarum, verbis vt essent proflui, & charitate feruidi, vt canit Ecclesia. Sed hic quoq;

DICES. Si Spiritus Sanctus missus est visibiliter, debet dici minor Patre, sicut & Filius, ex eo dicitur minor Patre, quia visibiliter missus est, in humana carne. ℞. Filius DEI dicitur minor Patre, non simpliciter quia in visibili humanitate missus, sed quia humanitatem assumpsit ad vnitatem diuinæ Personæ, atq; ita quæ de humanitate dicuntur proprie, etiam de Filio DEI quadamtenus dicentur. Spiritus autem Sanctus licet visibiliter missus fuerit in creaturis visibilibus, nullam tamen creaturam assumpsit ad vnitatem suæ Personæ, propterea non potest dici, minor Patre ratione illius creaturæ in qua apparebat, sicut Filius dicitur minor ratione humanæ naturæ, ad vnitatem Personæ assumptæ.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Si mysteria placet rimari in missione Spiritus Sancti, cùm audis bis datum à Domino Apostolis post resurrectionem, quid in hoc mysterij seu spiritualis eruditionis, ita contemplare. Datus est bis Spiritus Sanctus ad designandum duplex dilectionis præceptum: primo enim in terra adhuc Domino consistente, ad inculcandam proximi dilectionem, quem nobiscum in terra conuersantem habemus. Datus est iam in dextera Patris Domino sedente, ad instillandum DEI amorem. Vel etiam datus est in terra ad relaxanda peccata aliorum: datus est in die Pentecostes ad robur & operationem miraculorum. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, cœli autem sunt Apostoli, qui enarrant gloriam DEI, roborati ergo sunt & miracula operati eodem Spiritu Sancto quem acceperunt. Quòd si ante passionem Domini fuerunt Apostoli baptizati, etiam tunc in baptismo eis collatus fuit Spiritus Sanctus, quod innuitur. Ion: 13. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.* Datur etiam nunc

Ioan: 20. *Act: 2.* *Psal: 32.* *Psal: 18.*

Spiritūs Sanctus multis: peccatoribus quidem ad purganda peccata. Matth: 3. *Ipse baptizabit vos Spiritu Sancto & igni*: sicut enim ignis purgat aurum, ita Spiritus Sanctus purgat scoriam peccati: accipiunt pœnitentes ad proficiendum. Psal: 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* AVGVANUS in hunc locum. d. *Spiritus hic bonus nos mirabiliter docens ad patriam ducit, dùm sua inspiratione cor nostrum multipliciter tangit*: accipiunt perfecti ad certificandum. 2. Cor: 5. *Deus est qui dedit pignus Spiritus.* Ephes: 1. *Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ*: accipunt ignorantes ad instruendum, Ioan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: accipiunt tribulati ad consolandum: ideo paraclitus seu consolator est appellatus. DEINDE, Considera Christiane, quòd die quinquagesima à resurrectione Domini datus est Spiritus Sanctus, vt ostendatur author esse remissionis peccatorum, nam annus Iubileus serviebat remissioni. Leuit: 25. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim Iubileus.* Hinc Ecclesia de missione Spiritus Sancti in hymno canit. *Patrata sunt hæc mysticè Paschæ peracto tempore, sacro dierum circulo, quo lege fit remissio.* Datus die Dominico, vt esset dies renovationis, qui fuit dies creationis; datus hora tertia. Act: 2. ad recuperandam gratiam, quam primus homo dicitur perdidisse hora tertia, in qua creatus fuit.

QUÆSIER. An patribus veteris testamenti Spiritus Sanctus missus fuerit? R. Invisibili missione omnibus mittitur qui sunt gratiæ participes, quare & illis Sanctis Patriarchis & Prophetis ceterisq; iustis. Visibiliter autem nunquam fuit missus. Ratio quia prius debuit perfici missio visibilis Filij quàm Spiritus Sancti, cùm Spiritus Sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem.

DICES. Factæ sunt visibiles apparitiones divinarum Personarum Patribus veteris testamenti: vt Abrahæ Gen: 18. &

alijs

alijs profectò missio visibilis divinæ Personæ. Ergo Spiritus Sancti. ℟. Illæ apparitiones visibiles, missiones dici non possunt, quia non fuerunt factæ ad designandam inhabitationem diuinæ Personæ per gratiam sed ad aliquid aliud manifestandum, vt dicit August: lib: 2. de Trin: cap. 17.

DICES adhuc. Sed neq; invisibiliter missus fuit in veteri testamento, immò vsq; ad Christi glorificationem, dicitur enim Ioan: 7. *Nondum Spiritus fuit datus, quia IESVS nondum fuit glorificatus*. ℟. Non negat Euangel: missum fuisse Spiritum Sanctum, sed dicit quòd non fuerit missus in tanta plenitudine, sicut post glorificationem IESU, vel non fuit datus cum illo signo, visibli sicut in Pentecoste.

COROLLARIVM.

CONsidera Christiane, quòd tùm in scripturis, tùm etiam à Sanctis Patribus varia enunciantur de Spiritu Sancto. A Patribus quidem Nicænis Dominus dicitur. *Et in Spiritum Sanctum Dominum*, & hoc ad differentiam aliorum Spirituum id est Angelorum, qui non domini sed ministri DEI dicuntur. Spiritus autem Sanctus non minister sed Dominus est. 2.Cor:3. *Dominus autem Spiritus est*. Dicitur etiam VIUIFICANS. Et viuificantem, nam vita animæ in eo est, quòd coniungitur DEO, cùm ipse DEUS sit vita animæ, sicut anima est vita corporis, quin verò anima cum DEO coniuncta magis viuit, quam corpus coniunctione animæ alitur & sustinetur, ait Catech. Paroch. Quia verò Spiritus Sanctus per amorem qui ipse amor est, coniungit animam DEO, ideo viuificat. Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat*, rectissimè viuificans appellatur. Dicitur PROCEDENS. ex Patre & Filio, per quod ostenditur eiusdem esse substantiæ cum Patre & Filio, quia sicut Filius est Verbum Patris, ex substantia Patris emanans, ita Spiritus Sanctus est amor Patris & Filij, ex vtriusq; vna ac indiuidua substantia procedens: & sicut Verbum eiusdem est cum Patre

Hebr: I.

ſubſtantiæ, ita amor cum Patre & Filio. Dicitur ADORANDUS & CONGLORIFICANDUS, ſimul cum Patre & Filio, vt cognoſcas & credas verum eſſe DEUM, Ioan: 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, quia & baptiſmus ſicut in vno nomine Patris & Filij, ita etiam Spiritus Sancti confertur & perficitur. Dicitur LOCUTUS per Prophetas, quo etiam demonſtratur verus DEUS: nam ſicut Pater locutus eſt per Prophetas. Ierem. 7. *Miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas.* Et cap. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Et 2. Paralip: 36. *Mittebat Dominus Deus Patrum ſuorum ad eos per manus nuntiorum ſuorum.* Locutus eſt Filius, Matth: 23. *Ecce mitto ad vos Prophetas.* Locutus eſt quoq; Spiritus Sanctus. 2. Petr: 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Quare Spiritus Sanctus eſt æqualis Patri & Filio, idem vnus verus DEUS.

ARTICVLVS SYMBOLI IX.

Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem.

SPiritus Sanctus, quia eſt fons & largitor Sanctitatis, idemq; Sanctificator Eccleſiæ: qui enim apparuit ſuper Chriſtum baptizatum in ſpecie columbæ, iudicio eſt, quòd per ipſam Sanctificatur corpus, qui ſupra caput apparuit. Tit: 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abundè.* Ideo Ss. Apoſtoli, duces, & magiſtri noſtri, poſt articulum de Spiritu Sancto hunc novum immediatè de Eccleſia ſubiecerunt, qui ex ſuperiore intimè pendet. Et quia ſine communione Eccleſiæ nemo ſaluari poteſt, quod paſſim Ss. Patres docent. Auguſt: de vnitate Eccleſiæ. cap. 19. *Nemo*, inquit, *ad ipſam ſalutem & vitam æternam peruenit*,

nit, nisi qui habet caput Christum, habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit quod est Ecclesia. Et Gregor. lib. 14. Moral: cap. 2. *Sancta,* inquit, *Ecclesia Vniuersalis prædicat, saluari veraciter nisi intra se non posse, asserens quòd omnes qui extra ipsam sunt, minimè saluantur.* Quare Ss. Apostoli in isto articulo ostendunt viam, quâ ad cognitionem veræ Christi Ecclesiæ perueniatur, ne contingat ab ipsa errare, cùm ipsam Sanctam & Catholicam pronuntiant. Superaddunt autem duo Concilia Oecumenica, in illo quod in Missa cantatur Symbolo cùm dicunt. *Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Sed quia abundè vt arbitror de hoc argumento, vel in illo tractatu sub titulo Ciuitatis supra montem in quadro positæ scripsi, ideo hic pauca & faciliora pro captu simplicium attingam. Pro quo sit

CATECHESIS I.

IN QVA TRIA SVCCINCTE EXPEDIENTVR.

I. Quid sit Ecclesia?
II. Quibus in scriptura adumbratur Symbolis?
III. Quomodo cognoscenda?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, priusquam definias quid sit Ecclesia, obserua nomine Ecclesiæ multa significari: aliquando significat locum in quo convenit populus religionis causa: aliquando significat Senatum Ecclesiasticum, qui cogitur nomine totius Ecclesiæ, quem Ignatius ad Antiochenos vocat *collegium Presbyterorum*: aliquando pro præsulibus accipitur. vt *Dic Ecclesiæ.* In hoc autem articulo significat vniuersam multitudinem credentium bonorum & malorum sub vno pastore. *Est enim*

Deuter: 23.
Epist: 9.
Matth. 18.

Ecclesia populus fidelis per vniuersum orbem dispersus. ait S. August. Hoc planè iudicat Ecclesiam Sanctam & Catholicam: Sanctam quia ex populo fideli vocata, sine fide enim nulla Sanctitas, Catholicam, quia in omnibus mundi partibus & gentibus. Cyprianus verò lib. 4. epist: 9. vocat Ecclesiam *plebem Sacerdoti adunatam & pastori gregem adhærentem.* Si velis completam notionem Ecclesiæ habere, poteris dicere, esse cœtum visibilem illorum, qui baptizati veram sinceramq; Christi fidem profitentur, subiecti Petri successori & Christi in terris Vicario Romano Pontifici. Ex qua notione cognoscis qui à vera Ecclesia sunt alieni. Primò Pagani & Iudæi qui non sunt baptizati, baptismus enim est ianua ad Ecclesiam sine quo nemo in Ecclesia esse potest, ne Catechumeni quidem nisi proximâ potentiâ: hinc fidelibus in Ecclesia existentibus Apostolus dicit. *Hæc fuistis, sed ablati estis,* scilicet in baptismo. Alieni à vera Christi Ecclesia sunt hæretici quia veram & sinceram fidem, quantumvis sint baptizati non profitentur, sed post varios & diuersos errores, veræ & sinceræ fidei contrarios abeunt. Alieni Schismatici quia detrectant subesse Christi Vicario Romano Pontifici. Hinc S. Thom. 2. 2æ. q. 39 art. 1. c. f. *Schismatici,* inquit, *dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant.* Et quamvis Ecclesia sit Respub: cùm sit cœtus populi monarchicus, id est sub vno principe, differt tamen ab alijs Rebuspub. illæ enim humana ratione & prudentiâ nituntur, hæc autem DEI sapientiâ & consilio constituta est. Huc DEUS vocat, interius quidem Spiritus Sancti afflatu, qui corda hominum illustrat: exterius autem per pastorum & prædicatorum ministerium.

August. Tract. 11. in Ioan:

Catech: Paroch.

QUÆSIER. 1. Quomodo melius dicitur Credo Sanctam, vel in Sanctam Ecclesiam? Leo Papa dicit quòd non debet dici. *In Sanctam, sed Sanctam.* Ambros: autem dicit quod debet dici *in Sanctam.* Porrò Hieron. & Epiphan. dicunt, idem esse.

Contra Luciferian: in fine Ancohrat.

Cre-

Credo in Ecclesiam, Credo in vitam æternam: & Credo Ecclesiam, Credo vitam æternam. Iam vero S. Thomas dicit, licet vtrumq; possit dici, melius tamen secundum communiorem vsum sine IN, dicitur. Si enim dicitur sine IN. tunc sensus est. Credo in Spiritum Sanctum, facientem Ecclesiam Sanctam; Si autem dicatur Cum IN. tunc est sensus. Credo in Sanctam, id est credendo amo Sanctam Ecclesiam, eiq; vt eius membrum adhæreo: quomodo actum credendi IN explicat Magistr. sent: lib. 3. dist: 23. dicens *quòd credere in Deum, est credendo amare, eidemq; adhærere.* 2. 2æ. q. 1. a. 9. 5m.

QUÆSIER. 2. An vna sit Ecclesia populi antiqui cum Christiano populo? ℞. Vna quoad substantiam, quia vtrobiq; vnus DEUS, & vna fides, differt solùm secundum perfectum & imperfectum. Hinc Apostolus statum antiqui populi comparat parvulo, statum populi Christiani perfecto & adulto viro. 1. Cor: 13. Gal: 4.

DICES. Antiquus populus Synagoga dicebatur, nunc verò Ecclesia: antiqvus populus seruæ comparatus, hic verò liberæ, alia verò est serua seu ancilla, alia etiam libera. ℞. Ob iam dictam rationem denominatio diuersa eiusdem substantiæ rei. August: lib. 4. contra Faustum. cap. 2. d. *Populus sub lege positus Synagoga, id est congregatio dicitur, hoc ei nomen impositum est, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena & caduca bona spectaret: Christianus vero populus non Synagoga sed Ecclesia dicitur, quòd terrenis & mortalibus rebus contemptis, cœlestes & æternas sectatur.* Quo fine DEUS vocauit populum suum ad Ecclesiam, dicente Apostolo. *vt ambularetis digne Deo qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.* Quanquam etiam *Ecclesia est congregatio hominum ad hoc conuocata à Spiritu Sancto, vt ei merita Christi communicentur.* dicit: Ion: à Louanio in exposit Symb. cap: 51. Gal: 4. 1. Thess: 2.

QUÆSIER. adhuc. Triumphans & militans sitne vna Ecclesia? ℞. Vna in duas distincta partes. Pars triumphans est cœtus ille clarissimus & felicissimus beatorum Spirituum, & 3. p. q. 8. a. 4. c.

eorum

eorum qui de mundo, de carne, de iniquissimo dæmone triumpharunt, & ab huius vitæ molestijs liberi ac tuti æterna beatitudine fruuntur. Militans verò pars est, cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris sub regimine vnius pastoris visibilis viuunt: militans vocatur, quòd illi cum immanissimis hostibus mundo, carne, satana perpetuum sit bellum.

Catech: Paroch.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Plurimis in scriptura Symbolis Ecclesia adumbratur. Et quia duo sunt genera hominum in Ecclesia, boni & mali, iusti & peccatores, prædestinati & reprobi, id ipsa Symbola quibus adumbratur protestantur. Adumbratur autem per ciuitatem supra montem in quadropositam. Et sicut in ciuitate sunt ciues boni, sed & discoli, ita in Ecclesia sunt Sancti, pij & modesti, sunt etiam homicidæ, fures, adulteri & alij. Adumbratur Ecclesia per domum, 1. Tim: 3. Domus DEI, columna & firmamentum veritatis; sicut autem in domo vnus est paterfamilias, ad quem spectat gubernatio domus, ita in Ecclesia est vnus supremus vices Christi gerens, qui vniuersam regit Ecclesiam, *Vnus dominus, vnus rex*, vt Homerus dicit: Et sicut in domo sunt vasa aurea, argentea, lignea, lutea, alia in honorem alia in contumeliam, ita in Ecclesia sunt prædestinati sunt præsciti. Adumbratur per ouile sub vno pastore, Ioan: 10. in quo sunt oues, sunt & hædi, proinde Matth: 25. Oues dextram hædi sinistram tenebunt, qui in eodem ouili, eandem fidem professi sunt, eorundem Sacramentorum participes fuerunt, sed bona operari neglexerunt. Adumbratur per arcam Nòe, extra quam positos omnes tulit diluvium; ita extra Ecclesiam nulla salus; & sicut in arca fuerunt munda, & immunda animalia, ita in Ecclesia iusti & iniqui. Adumbratur per sagenam in mare missam, in qua boni & mali pisces: in Ecclesia boni & mali Catholici. Adumbratur per aream, in qua triticum & paleæ. Matth: 3. Verùm hæc

Matth: 5.
Apoc: 21.
Iliade 2.
Rom: 9.

hæc omnia de vera visibili in terris peregrinante Christi Ecclesia, relicta illa ficta, quæ ad te non pertinet, inuisibili, Mathematica, atq; adeo idea Platonica hæreticis commentitia imaginatione. Sed tu forsan

DICES. In vera Dei Ecclesia non possunt esse mali, tùm quia dicitur Sancta, in Symbolo, tùm quia Gregor. Homil.38. in Euangel. dicit: *Regnum cœlorum, est Ecclesia iustorum,* si iustorum quid malis ad illam? ℞. 1. Non derogat Sanctitati Ecclesiæ quòd mali sint in medio iustorum, nam à principaliori & nobiliori parte Sanctitatem sortitur Ecclesia, quanquam & mali ad illam pertinentes quadamtenus Sancti dici possunt, tùm propter fidem, tùm propter professionem Sanctitatis ad quam tendere debent. ℞. 2. Ecclesia dicitur congregatio iustorum, tùm ob rationes dictas; tùm quia fides est initium iustitiæ iuxta illud, *iustus ex fide viuit.* Abac: 2. & Rom: 1. in Ecclesia autem sunt omnes fideles.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Sicut vnaquæq; res cognoscitur per signa propria, ita visibilis Ecclesia cognosci debet per signa, quæ ipsi sunt extrinseca, cum ipsa tamen conuertibilia nulli alteri communicabilia. Sunt autem quatuor talia signa à Concilijs Oecumenicis posita. Vna scilicet, Sancta, Catholica & Apostolica, quæ omnia in tractatu de inuenienda & cognoscenda vera DEI Ecclesia prolixius exposui, hic breviter attingam. Vna est Ecclesia, tùm quia sub vnius regimine Christi in terris Vicario Romano Pontifice vnum DEUM colit, vnam fidem profitetur. Vnum corpus, vnus Spiritus. Hinc Gregor. in Moralibus. *Sancta,* inquit, *Ecclesia consistit vnitate fidelium, sicut corpus vnitate membrorum, ex quibus vnum corpus visibile constituitur,* de quo Apost. *Omnes nos in vno Spiritu in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue Gentiles, siue serui, siue liberi,* tùm quia omnes ijsdem Sacramentis, vno corpore Christi vescun- 1. Cor: 10:

tur. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane*
1. Cor: 10. *participamus*, tùm quia semper vnum regimen externum, vna forma & modus gubernationis Monarchicus. Quare vna semper Ecclesia vnitate permanentiæ, quæ vnitas nulli vnquam sectæ hæreticorum communicabilis; illæ enim semper in alias sectas degenerant. Sancta est Ecclesia, tùm quia nemo ingreditur Ecclesiam nisi per baptismum sanctificetur, Christus enim dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, tùm quia Sanctum caput habet Christum, qui est Sanctus Sanctorum Daniel. 9. tùm quia sanctificatur à Spiritu Sancto viuificante: in ea sanctæ leges, ceremoniæ & Sacramenta Sancta, Fides & doctrina sancta, quæ sanctitas exulat à doctrinis & sectis hæreticorum. Catholica est Ecclesia, id est vniuersalis, tùm quia diffusa per orbem terrarum à solis ortu vsq; ad occasum vnius fidei splendore clarescit: neq; enim definita est vno regno aut vna natione sicut hæreticorum sectæ, Donatistarum tantum in Affrica. Lutherana & Calviniana in Saxo-
Psal: 71. nia & Borealis plagæ parte. Ecclesia verò à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum: tùm quia antiqua, omnium temporum, omnes enim fideles, qui ab Adam in hunc vsq; diem fuerunt, quivè futuri sunt quamdiu mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam
Ephes: 2. pertinent, quæ fundata est *super fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV*: tùm quia omnes gentes diuersarum linguarum & idiomatum in doctrina vnius fidei consentiunt, quod factum fuit ipsa die Penteco-
Act: 2. stes, quando *Parthi, Medi. Ælamitæ* & alij vnam fidei doctrinam susceperunt. *Ex omni tribu & lingua, & populo, & natione.*
Apoc: 5. Atq; ab hac consensione vniuersitatis & antiquitatis Ecclesiæ Catholicæ, segregare se, semper hæreticum esse docet Vin-
Cap: 34. centius Lyrinensis in suo Peregrino aduersus hæreses. Apostolica est, quia Spiritus Sanctus qui præsidet Ecclesiæ, eam non

non per aliud genus miniſtrorum quàm per Apoſtolicum gubernat, ait Catech. Paroch: in Apoſtolis primum fundata: quod myſterium oſtendit Ioannes Apoc: 21. d. *Muri ciuitatis* (quæ de cœlo in terram peregrinatur) *habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina, duodecim Apoſtolorum agni.* Conuenticula hæreticorum non poſſunt ab Apoſtolis ſuam deducere ſucceſſionem, & maximè à principali ſucceſſione abſiſtunt, vt ait Ireneus, id eſt à ſede Petri de qua Cyprianus. Lib: 4. c. 43. *Qui,* inquit, *Cathedram Petri ſuper quam ædificata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat,* Apoſtolica autem dicitur Eccleſia, tùm quia per Apoſtolos in vniuerſo orbe propagata, quibus id præceptum erat. Matt: 28. & Marci 16. tùm quia tenet doctrinam Apoſtolorum, ſiue ſcripto ſiue traditionibus contentam, de qua Catech: Paroch. *Eccleſiæ veritatem agnoſcimus, ſiquidem doctrina eius veritas eſt, non recens, neq; nunc primum orta, ſed ab Apoſtolis iam olim tradita,* tùm quia retinet ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis, quod maximè perſpicuum eſt in Romana Eccleſia, vbi Cathedra Petri inviolabiliter vſque ad hæc tempora conſeruatur. *Ad hanc enim Eccleſiam,* (inquit Ireneus) *propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Et quia iſta quatuor ſigna enumerata, vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica, ſoli Romanæ ſemper Pontificiæ in vniuerſo orbe propagatæ, conueniunt, illa eſt in terris vera Chriſti Eccleſia, fortè.

DICES. Vera Chriſti Eccleſia eſt vnum ouile, Ioan. 10. quod Romanæ modernæ non competit, non enim continet oues, ſed hædos, lupos, reprobos, peccatores, qui oues eſſe non poſſunt, quia ſoli prædeſtinati, vt docet Auguſt. Tract: 45. in Ioan. oues ſunt. ℟. Oues aliquando ſoli prædeſtinati dicuntur, vt Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt,* aliquando omnes fideles in genere, qui vnius fidei communione conſociantur, ſiue ſint boni ſiue mali, ſiue prædeſtinati ſiue præſciti, & ſic vnum ouile conſtituunt, ſicut vbi ſimul hædi ſunt cum

ouibus. Hæc breuiter de prima parte articuli: si cui libuerit, plura de hoc argumento apud grauissimos authores, Hosium, Thomam Bozium, Bellarminum & alios: vel etiam in illo tractatu sub titulo Ciuitatis supra montem in quadropositæ legere. Modo sit

PARS SECUNDA ARTICVLI

Sanctorum Communionem.

CHristiane, Dum profitemur Sanctorum communionem, charitatis mutuæ, pacis, & in omnibus vnitatis omnes Christiani admonemur. Docet enim secunda hæc pars articuli. Ecclesiam ideo dici communionem seu Societatem Sanctorum, quòd omnes Sancti in ea colligati sibi sunt tanquam membra vnius corporis, per vnum Spiritum vinculo pacis & charitatis. Sed communio ista in primis attendenda est cum capite, sicut enim in corpore naturali membra omnia capiti communicant, quod vigorem influit in ea, ita nos communicamus cum Christo, cuius diuinitatis participes per gratiam afficimur, meritorum & satisfactionum. Cùm beatis communicamus eos honorantes, atq; suffragia implorantes, ipsiq; nobiscum communicant sua merita, & orationes pro nobis offerentes, quod in tractatu de potestate Clauium Ecclesiæ, in Conclusione de Indulgentijs nonnihil attigi. Communicamus ipsi inter nos in Ecclesia militante in meritis & in omnibus bonis spiritualibus, vt sicut in corpore naturali operatio vnius membri cedit in bonum alterius, atque totius corporis,
Rom: 12. ita in corpore spirituali, in quo sumus *singuli alter alterius membra*, bonum superabundans vnius, communicatur alteri indi-
2. Cor: 8. genti, vt hoc modo abundantia vnius inopiam alterius supple-

pleat, nam Qui modestus est, mansuetus, & misericors & iustus, non intra se tantummodo hæc recte facta concludit, verùm in aliorum quoq; vtilitatem præclaros hos faciet effluere fontes: donec admittamur in beatam illam Societatem Sanctorum, cum gaudio gratias agentes DEO Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine. Verum vt hæc planius proponantur, per singula explanentur. Qui enim communicamus in Ecclesia, communicamus in vna fide & doctrina fidei. *Vnus Dominus, vna fides*: omnes enim idem credimus & confitemur, vna apud omnes diuinitatis confessio, vnus de vero DEO sensus, idq; hortatur Apostolus. *Obsecro vos vt idipsum omnes dicatis, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*; Sit vna de Filio DEI fides, vt non, ab alijs quidem verus DEUS, ab alijs minor DEUS prædicetur; vnum commune Symbolum, vna eius expositio, vt non alia sit confessio Waldensium, alia Saxonica, alia Calvinistica. Communicamus in vna spe, omnes enim idem speramus scilicet æternam beatitudinem, quam nobis vltimus huius Symboli articulus proponit. *Credo vitam æternam*. Communicamus in vna charitate, quâ fratres inuicem nominamur vnum in cœlo habentes Patrem, & vnum in terra visibilem totius multitudinis in vno corpore & vna anima, Rectorem. Communicamus in Sacramentis, eadem enim sunt omnium fidelium in Ecclesia Sacramenta, vnum baptisma, quo renati & Christiani effecti sumus: eodem corpore Christi omnes vescimur, 1 Cor: 10. *Omnes de vno pane participamus.* Communicamus in prosperis & aduersis, vt gaudeamus cum gaudentibus fleamùs cum flentibus: & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Deniq; pro necessitate omnia communia esse debent fidelium in vna Ecclesia, sicut primitùs erant eis omnia communia. Communicamus in orationibus & alijs Christianæ iustitiæ officijs, vt dicat iustus in Ecclesia. *Particeps ego sum omnium timentium te*:

Chrysost: Homil: 15. in Matth.

Coloss. 1.

Ephes. 4.

Act: 4.

Rom: 12.

1. Cor: 12.

Act: 4.

Psal: 118.

quippe qui communia merita & bona ſpiritualia participat aliorum iuſtorum, ſecundum gradum ſuæ iuſtitiæ & charitatis. Nam in maiori gratia exiſtens, magis aliorum merita participat, quia charitas qua totum corpus Eccleſiæ ligatur, omnia facit eſſe communia diuidens ſingulis prout ſunt capaces, ſicut candela accenſa multis, eos magis illuminat qui magis ſunt diſpoſiti, propius accedunt, & clariores habent oculos.

DICES: Sceleſti qui exciderunt à gratia DEI, aut ſunt membra Eccleſiæ, aut non ſunt. Si non ſunt, Eccleſia ex ſolis bonis & iuſtis conſtat ad quam mali non pertinent. Si ſunt membra Eccleſiæ etiam ſceleſti, manca eſt Sanctorum communio, quæ non ad omnia membra Eccleſiæ deriuatur, quia ſceleſti fructus ſpirituales Eccleſiæ non participant. ℞. Etiam ſceleſti quamdiu ab Eccleſia per ſententiam excommunicationis non fuerint ſeparati ſunt membra Eccleſiæ, vt dixi in tractatu de Eccleſia, & hi quidem fructuum ſpiritualium vt meritorum & ſimilium participes eſſe non poſſunt, propter obicem peccati, & cùm mortua ſint membra, non viuificantur: nihilominus tamen à iuſtis & pijs adiuvantur, ad amiſſam gratiam & vitam recuperandam, & ſic ſuo modo in Sanctorum communione conſervantur.

COROLLARIVM.
ARTICVLI.

CHriſtiane, Perpende ſenſum verborum articuli huius, & hoc modo conſidera. Si intra Eccleſiam es & perſeueras, es & manens in communione Sanctorum, cùm non ſit aliud Eccleſia quàm ipſa communio Sanctorum: quod ſi deſerueris Eccleſiæ vnitatem, temetipſum eijcis ex communione Sanctorum, quod cernis in apoſtatis, hæreticis, Schiſmaticis, qui propterea nec cum Chriſto, nec cum Sanctis, alijsq; pijs & iuſtis ac religioſis hominibus, qui Chriſto vera fide & charitate adhærent partem habere poſſunt. Quare ſi rogatus fueris,

ris, quid ſit Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam? reſpondebis, ſenſum hunc eſſe. Credo & ſentio vnam eſſe Sanctam DEI Eccleſiam, cui nihil ſit commune cum paganorum, hæreticorum & Schiſmaticorum conventiculis, eamq; eſſe cœtum hominum credentium, non in vno dumtaxat loco aut gente, ſed vbiq; toto terrarum orbe diffuſſum, quem cœtum Spiritus Sanctus per ſuam gratiam connectit & coniungit, vna eademque fide, ijſdem Sacramentis, vt membra corporis Chriſti myſtici; ſub vno in terris viſibili gubernatore: quem cœtum digito demonſtro Romanam ſemper Pontificiam Eccleſiam. In hoc cœtu dum permaneo, credo omnia bona & merita Chriſti, omniumq; Sanctorum & credentium poſſe mihi communicari commodo & bono eſſe. Si quis verò foras exierit, ſectasq; & factiones ab hac Eccleſia alienas complexus fuerit, ipſe omni gratia diuina ſpoliatur, omnem prorſus ſpem (niſi gradum revocauerit) ſalutis amittit. Quapropter Chriſtiane age DEO gratias qui te *dignum fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*, inq; hanc communionem accerſiuit ſola miſericordia. Per Chriſtum Dominum & Saluatorem corporis Eccleſiæ.

1. Ioan. 2. *Coloſſ. 1.* *Tit. 3.* *Epheſ. 5.*

ARTICVLVS SYMBOLI X.

Remiſsionem peccatorum.

QUia per Chriſtum Redemptorem, Mediatorem & Saluatorem omnibus bonis ſumus cumulati, tàm in præſenti quàm in futuro: & in futuro quidem expectamus carnis reſurrectionem & vitam æternam, in præſenti peccatorum remiſſionem, in quo nos inſtructos cupientes Sanctiſſimi Apoſtoli, poſt articulum de Eccleſia, hunc ſubiecerunt de peccatorum remiſſione, vt oſtenderent quem fructum in hoc ſeculo

culo à Christo accipiat Ecclesia, in cuius nomine prædicari debet pœnitentia & remissio peccatorum in omnes gentes, Ecclesiæ adunatas. Docet itaque articulus iste, in Ecclesia Catholica, penes ministros, esse potestatem peccata remittendi: proinde credendum est, quòd ministri Ecclesiæ ad quos derivata est huiusmodi potestas ab Apostolis, & ad Apostolos à Christo, habeant potestatem ligandi & soluendi, & quòd in Ecclesia sit plena potestas remittendi peccata, quâ si ritè & secundum, leges à Christo præscriptas Sacerdotes vtuntur, verè peccata quoad ipsam culpam, virtute clavium à Christo
Matth: 16. datarum soluunt, condonant & remittunt, de quibus dixi, in tractatu Anno 1650. impresso. Huius ergo decimi articuli
Ioan: 20. doctrina per Catecheses expendetur.

CATECHESIS I.

DE VARIIS PECCATORVM GENERIBVS.

DUm credimus doctrinâ huius articuli instructi, in Ecclesia esse remissionem peccatorum (extra quam non esse te-
Enchirid: c. 65. statur August:) priusquam dicatur, quomodo peccata in Ecclesia remittantur: de generibus varijs peccatorum agendum, quibus cognitis, quòd diuersa medicina, diuersis peccatorum ægritudinibus adhiberi debeat, innotescet. In hac ergo Catechesi tria proponentur.

I. Esse quoddam genus peccati, quod originale dicitur?
II. Præter originale esse peccata actualia?
III. Unde peccatorum grauitas pensanda?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Scito quòd Pelagiani hæretici negabant peccatum originale, vt refert. Bernard: Lutzemb: lib. 3. l. p.

nec

nec transire à primo parente in posteros, vt August. d. lib. 1. Retractat: c. 9. Et lib: 3. contra Iulian: c. 1. Et in lib. de bono persever: c. 11. & 12. Iam verò & esse peccatum originale, & à primo parente in prolem transire, docet Apostolus Rom. 5. *Per vnum*, inquit, *hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiuit, in quo omnes peccaverunt*. In Adam omnes peccauerunt, tanquam in principio & radice totius naturæ humanæ, quoniam in lumbis eius erant quando peccavit, & omnes, ille vnus homo fuerunt, ait August. Hoc ita accipe Christiane, sicut iustitia originalis in qua creati erant primi parentes, fuit donum gratiæ, toti humanæ naturæ divinitus in primo parente collatum, simul cum ipsa natura in posteros traducta fuisset si ille in sua innocentia permansisset, ita primum eiusdem primi parentis peccatum, quo tota natura infecta est, simul cum natura in posteros per originem deriuatur, vnde vocatur peccatum naturæ, iuxta illud Ephes. 2. *Eramus omnes naturâ filij iræ*, in quantum cum natura transit in posteros. DEus enim constituerat primum hominem vt caput & principium totius humani generis, & omnium posterorum voluntates in illius voluntate collocauerat ita vt paccante illo, omnes posteri censerentur in illo peccare. Nam quia omnes posteri in lumbis Adæ virtualiter & radicaliter continebantur, interpretatiuè quodammodo consenserunt peccato eius, ita ac si ibi præsentes essent. Quare voluntarium peccatum primi hominis est causa originalis peccati, vt August: docet lib: 2. de nupt: & concupisc. cap. 26.

QUÆSIER. Quid sit hoc ipsum peccatum, quod originale dicitur? R. Ex communi sententia Doctorum, est ex peccato primi parentis, statim ab ipsius nativitatis initio contracta peruersitas: siue est privatio iustitiæ originalis, in parte superiori, id est in intellectu fidei, in voluntate spei & charitatis, in essentia animæ gratiæ originalis. Nam sicut per fidem,

ſpem & charitatem atq; gratiam homo eſt iuſtus, & habitualiter converſus ad Deum: ita per privationem fidei, ſpei, charitatis & gratiæ eſt iniuſtus, eſt & habitualiter a Deo auerſus, quod patet in baptizato infante, cui ſicut infunditur habitus fidei, ſpei, charitatis & gratiæ, fit habitualiter iuſtus & converſus ad Deum, ita antea fuit habitualiter iniuſtus, & auerſus à Deo, quia privatus erat habitu fidei, ſpei, charitatis & gratiæ.

Dices. Quomodo peccante Adam poſteri effecti ſunt rei illius peccati, cùm ſcripturæ dicant. *Filius non portabit iniquitatem Patris*; non ergo nobis, ſed ſoli Adæ peccatum illius nocere debuit. ℞. Hoc fuit Pelagianorum inventum. Et quidem filius non portat iniquitatem patris, ſi non ſit particeps, poſteri autem Adæ ſunt participes peccati eius, ſiquidem voluntas eorum in voluntate Adæ, tanquam in capite & principio totius poſteritatis fuit conſtituta, vt iam dictum eſt.

Deuter: 54. 4. Reg: 14. Ezech: 28.

Dices adhuc. Peccatum originale nihil eſt aliud quàm habitualis & vitioſa concupiſcentia excitans in nobis deſideria mala contra legis divinæ & rectæ rationis dictamen. ℞. Lutherana & Calviniana eſt iſta ſententia, ſed aliter ſeſe veritas rei habet: nam in peccato originali concupiſcentia eſt quid materiale, porrò privatio iuſtitiæ & gratiæ eſt quid formale peccati rationem continens. Quare peccatum originale per baptiſmum tollitur, iuxta illud. Rom:8. *Nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto IESV.* Et 1. Ioan: 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*, praua autem concupiſcentia adhuc manet, tanquam effectus ex originali peccato relictus, dicit enim Apoſtolus. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Rom: 7.

QVANTVM AD SECVNDVM.

Chriſtiane, Eſt peccatum actuale ſeu propriæ voluntatis, quod proprio actu & voluntate perpetratur, de quo genere pec-

re peccati Apostolus Rom: 9. loquitur, cùm dicit Esau & Iacob cùm essent in vtero matris nihil mali egisse, id est, non habuisse peccatum actuale, qui tamen erant immundi per peccatum originale. *Est autem peccatum actuale, dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*, vt August. dicit. lib: 22. contra Faustum. cap. 27. vel vt S. Thom: 1. 2æ. q. 71. art: 6. *est actus moraliter malus*. Et Ambros: in lib. de Paradiso cap. 8. *Peccatum est trangressio legis*. Et quia lex est duplex, affirmatiua quâ bonum præcipitur, negatiua quâ malum prohibetur, ita peccata sunt duplicia commissionis & omissionis. Peccata commissionis opponuntur legi negatiuæ, vt est homicidium, adulterium, furtum & similia. Peccata omissionis opponuntur legi affirmatiuæ, vt sunt omissiones bonorum operum, vt omittere morientem fame iuvare eleemosynâ, & aliud quodcunq; bonum opus omittere, ad quod faciendum lege aliqua obligaris, hinc Apostolus. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi*. DEINDE. Peccata quædam dicuntur carnalia, quædam spiritualia, de quibus 2. Cor: 2. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritûs*. Carnalia sunt, quorum obiectum est aliqua carnalis delectatio pertinens ad sensum gustûs vel tactûs, vt est gula & luxuria. Spiritualia sunt, quæ non perficiuntur delectatione carnali, vt sunt illa quinq; inter peccata capitalia. PRÆTEREA. Quamvis generali quadam ratione omnia peccata sunt contra DEUM, quia sunt contra legem DEI, peculiari tamen modo, quædam sunt contra DEUM, quædam contra proximum, quædam contra ipsum peccantem. Contra DEUM sunt infidelitas, blasphemia &c. Matth: 12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non dimittetur ei*. Contra proximum, vt homicidium, furtum & alia. Matth: 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis*. Contra seipsum peccantem, vt gula & luxuria. 1. Cor: 6. *Qui fornicatur in corpus suum peccat*. INSUPER, Quædam peccata sunt cordis, quædam oris, quædam operis. Peccata cordis sunt, quæ corde

Iacob: 4.

perficiuntur, vt pravæ cogitationes, hæresis, desperatio, odium DEI & proximi, invidia. Oris sunt, quæ ore complentur, vt mendacium, periurium, falsum testimonium, &c. Operis sunt, quæ opere perpetrantur, vt furtum, homicidium, adulterium. ADHUC, Quædam peccata sunt ex ignorantia, quædam ex infirmitate seu passione, quædam ex malitia. Peccatum ex ignorantia est illud, quod procedit ex ignorantia crassa diminuente voluntarium, tanquam ex causa per accidens. Sed hîc observa duplicem esse ignorantiam, vincibilem & invincibilem. Invincibilis est, quæ studio & diligentia superari non potest, V. G. adhibuit aliquis diligentiam quam debuit & potuit adhibere ad cognoscendum & sciendum aliquid, non tamen ad scientiam eius pervenit, talis est qui non potest addiscere orationem Dominicam & alia pietatis Christianæ, hæc ignorantia tollit voluntarium & excusat à peccato. Vincibilis est duplex, Crassa & affectata, Crassa, quæ diminuit voluntarium, dùm quis ex ignavia non curat scire quæ oportet scire, vt rusticus qui ex desidia stertit domi dùm in Ecclesia Catechizatur, ideo ea quæ docentur ignorat, qui si diligentiam & studium adhiberet ad scientiam perueniret, talis ignorantia est peccatum, vt docet S. Thom: 1. 2æ. q. 76. art. 2. c. iuxta illud. 1. Cor. 14. *Qui ignorat ignorabitur.* Et Baruch. 3. *Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Affectata ignorantia est. Cùm quis sua sponte & ex industria nescit aliquid, vel etiam vt excusationem peccati habeat: talem ignorantiam omnibus modis evita Christiane, quia non solum est peccatum, sed etiam auget grauitatem peccati, de qua Iob: 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.* Et supra cap. 21. *Dixerunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et ille Psal. 36. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Peccatum ex infirmitate seu passione est, quod oritur ex motione appetitûs sensitivi trahentis voluntatem ad consensum, quod magis voluntarium, minùs liberum

berum est. Iacob: 1. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Peccatum ex malitia est, quod absq; ignorantia & passione, ex plena libertate & voluntate committitur; tunc enim ex malitia peccat, quando ipse ex se fertur ad malum, ex quo etiam gravitas diabolici peccati pensantur. Hinc Gregor: lib: 25. Moral: c. 16. *Gravius quidem peccatum èx infirmitate quàm ex ignorantia, sed multo gravius studio quàm infirmitate.* DENIQUE. Quædam peccata sunt mortalia, quædam venialia. Mortalia dicta sunt, quia mortem animæ adferunt. Ezech: 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur:* faciunt reum æternæ damnationis. Gal: 5. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Venialia sunt, quæ nec mortem animæ adferunt, quia non priuant gratia & charitate, nec æterna pœna per se sunt digna, de talibus Prou: 24. *Septies cadit iustus,* Iacob. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Ioan: 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et cap: 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur vita ei peccanti non ad mortem.* Natura peccati mortalis consistit in aversione à DEO in contemptu amicitiæ eius, dùm peccans plus diligit creaturam quàm Creatorem. Et hæc sunt in scripturis manifesta, de aversione. Psal. 77. *Auerterunt se & non seruauerunt pactum:* de contemptu amicitiæ DEI. Isai: 1. *Filios enutriui & exaltavi ipsi autem spreverunt me:* de dilectione creaturæ super Creatorem Ioan: 12. *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Natura peccati venialis consistit in quadam inordinata conversione ad prosequendum bonum creatum, absq; tamen auersione à DEO & absq; contemptu amicitiæ eius. In hoc enim differt peccatum mortale à veniali, quòd mortale duplicem includat malitiam, vnam auersionis à DEO, alteram conversionis inordinatæ ad prosequendum bonum creatum: adulter enim, fornicator, auertit se à DEO, contemnitq; illum, & ita se convertit ad turpem delectationem, vt eam præferat delectationi divinæ. Veniale autem peccatum in sola quo-

dammodo inordinata conversione ad bonum creatum completur. Quare licet venialia peccata vt dictum est, non priuent gratia & charitate, odisse tamen illa & vitare oportet, tùm quia impediunt actus charitatis & aliarum virtutum, tùm quia disponunt ad mortalia peccata: nam *qui spernit modica, paulatim decidet*, quæ quamvis omnia simul vitare non possimus, singula tamen vitari possunt. Sunt deniq; alia peccata generalia, alia specialia, alia capitalia, de quibus infra.

1. 2æ. q. 89. a. 1.

Eccl: 19.

DICES 1. Omnia peccata sunt venialia, quia veniam obtinere possunt etiam grauissima quæq; per pœnitentiam, hæc est enim doctrina Catholica contra Novatianos, qui peccata post baptismum commissa irremissibilia dicebant. ℞. Dupliter veniale dici potest, secundùm euentum & propriè secundùm naturam. Itaq; secundùm eventum, omnia sunt venialia, etiam mortalia, quia per veram pœnitentiam veniam consequuntur. At secundùm naturam non omnia sunt venialia, sed illa solùm, quæ nec mortem afferunt, nec reum faciunt æterna pœna.

DICES. 2. Omnia sunt mortalia, quia omnia excludunt à regno cœlorum, etiam minima quæq; iuxta illud Matt: 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Si minima mandata, etiam minima contra illa peccata: & si ille qui transgreditur minimùs in regno cœlorum. Ergo nullus. ℞. Negauerunt olim Iovinianus & Pelagius esse aliquod peccatum veniale, omnia dicentes esse mortalia: quem errorem nunc à malis patribus acceptum, profitentur perversi filij Lutherani & Calvinistæ, sed ex loco Evangelij allegato, minimè elicitur quod illi volunt, nam ibi loquitur Christus contra Pharisæos, qui solvebant minima præcepta falsā interpretatione, scilicet de non irascendo, de diligendis etiam inimicis. Nam Pharisæi agnoscebant magnum esse peccatum, occidere, non tamen irasci, dicebant amicos esse diligendos, non tamen inimicos. Quare contra hanc corrupte-

ptelam Christus loco dicto loquitur, ostendens Pharisæos minimos fore in regno cœlorum, solventes præcepta de non irascendo &c. quæ secundùm ipsos minima erant.

DICES. Peccatum contra legem est mortale, omnia autem peccata sunt contra legem, cùm nullum sit secundùm legem, quare omnia sunt mortalia. ℞. Omnia peccata sunt contra legem, sed non omnia contra finem legis id est contra charitatem. Quæ ergo ita sunt contra legem vt sint etiam contra finem legis, illa sunt mortalia, quæ verò sunt quidem contra legem, non tamen contra finem legis, venialia sunt, non mortalia.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Errabant Stoici Philosophi, docentes omnia peccata paria esse & æqualia: errabant inquam, sunt enim alia alijs graviora, alia alijs maiora. Etenim peccatum consideratur in recessu à bono rectæ rationis & quia non æqualiter in omnibus peccatis fit recessus à bono rectæ rationis proinde non sunt omnia paria, sed quantò magis peccans recedit à bono rectæ rationis, tantò magis & graviùs peccat. Hanc diversitatem peccatorum demonstravit ipse Dominus iudicio Pilati præsentatus Ioan: 19. *Qui*, inquit, *me tibi tradidit, maius peccatum habet*, non dixit tu nullum, sed, ille maius, ergo vnum maius alio. Idem constat ex diuersitate pœnarum peccatis debitarum, nam maiora & graviora peccata, maiori & graviori pœna puniuntur. Matth: 5. *Qui irascitur, reus iudicio decernitur, & qui dicit raca reus concilio, qui verò dicit fatue*, iam aliquid gravius contra ipsum profertur. *Reus gehennæ ignis.* Tamen quæ sint leviora, & quæ graviora, non humano sed divino sunt pensanda iudicio; sunt enim quæ levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora, vt docet August. Enchiridij. c. 79. *Quis*, inquit, *dicentem fratri fatue reum gehennæ ignis putaret, nisi veritas diceret?* Et quamvis

vis non omnium peccatorum gravitatem certò cognoscimus, eam tamen ex multis investigamus. Tùm ex obiectis ex quibus peccata speciem accipiunt, hinc dicimus homicidium gravius furto: tùm ex oppositione ad virtutes, maiori enim virtuti (ceteris paribus) maius peccatum ex parte obiecti opponitur, vt inter virtutes theologicas maxima est charitas, proinde etiam peccatum, quod ex parte obiecti opponitur charitati, maius est alijs quæ opponuntur alijs virtutibus, vt odium DEI in se quod directè opponitur charitati, maius est alijs peccatis, tam ex causa peccati scilicet voluntate, quæ est causa per se & propria peccati, vnde *quanto maior voluntas peccandi, tanto grauius peccatum*, vt August: lib. 1. contra Iulian: c. 8. dicit; tùm ex circumstantijs ex quibus etiam causatur; circumstantiæ autem sunt duplices, aliæ quæ mutant speciem peccati, aliæ quæ intra eandem speciem aggrauant peccatum. Mutant speciem, vt patet in peccato luxuriæ, nam si acceditur ad alienam, est adulterium, si ad propinquam est incestus. Non mutant speciem, tamen ex quantitate materiæ aggrauant peccatum, vt furtum decem florenorum gravius quàm vnius floreni, tùm ex nocumento maiori, tùm ex conditione personæ in quam peccatur, grauius enim est occidere personam publicam quàm privatam, spiritualem quàm secularem, sangvine iunctam quàm extraneam, tùm denique ex magnitudine personæ peccantis, Isid: lib. 2. de summo bono cap. 18. *Tantò*, inquit, *maius agnoscitur peccatum esse, quantò maior qui peccat, habetur*.

1. Cor: 13.

1. 2æ. q. 73. a. 4. 3m.

DICES. Nullum peccatum gravitate excedit aliud: sicut enim hôc non licet facere, ita & illud; sicut fornicari ita & adulterari vno & eodem modo vetatur. ℞. Non licet peccata facere propter turpitudinem & deordinationem quæ in illis est, & quia alia maiorem deordinationem habent alijs, inde etiam magis sunt illicita & graviora si fiant, propter maiorem deordinationem. *Si enim simpliciter ad simpliciter, & magis, ad magis, etiam maximè ad maxime.* 2. Top.

CATE-

CATECHESIS II.
DE EFFECTV PECCATI.

PEccatum quanquam nihil est vt ait August: Tract: 1. in Ioan: ad illa verba. *Et sine ipso factum est nihil*; hoc tamen nihil, adeo perniciosum facientibus illud, vt non immeritò Sapiens Eccl: 17. exclamet. *Quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis?* Et quamuis sit nihil, quia non est de substantia rerum exiitentium seu naturalium, operatur tamen damnum peccatori: nam *est corruptio boni*, vt Magister sent: lib: 2. dist: 35. dicit, dùm *vt leo venationi, ita peccatum insidiatur operantibus iniquitatem.* Quare tres effectus peccati in hac Catechesi breuiter quærendo explicabuntur. Eccl: 27.

I. Quid sit offensa Dei?
II. Quid macula ex peccato relicta?
III. Quid postremò reatus pœnæ?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, offensa DEI est malum super omnia mala, est enim DEUS qui peccato offenditur bonum super omnia bona, quem quia pro eius bonitate infinita super omnia diligere obligamur, etiam offendere, super omnia vitare debemus, ita vt præstet millies mori, quàm illum vel leuissimè offendere. Ideo tàm sedulò monent scripturæ peccata vitare. Eccl: cap: 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Offendit autem peccator DEUM per voluntariam auersionem & turpem ab ipso defectionem, vt ei displiceat, & se indignum amicitiâ eius constituat. Et quia peccatum in quantum in se continet auersionem à DEO infinitum est, ideo & offensa infinita: illud enim bonum quod offenditur infinitæ est dignitatis & excellentiæ: tantò autem offensa est grauior, quantò maior est ille 3. p. q. 1. a. 2. 2m.

in quem delinquitur. Habet etiam offenſa annexam iniuriam, is enim qui offendit iniuriam facit offenſo, ita peccator dùm offendit DEUM per voluntariam ab eo averſionem iniuriam facit DEO, quantum de ſe eſt, quia violat ius diuinum, quo tenebatur plus diligere DEUM, propter infinitam eius bonitatem quàm quodcunq; aliud bonum creatum, indeque peccator obligatur ad recompenſam offenſæ & iniuriæ.

DICES. Quomodo ex actione finita aliquid infinitum fieri poteſt, vt ex peccato in quo finita actio peccantis, offenſio penſetur infinita? ℟. Non ratione actionis quæ in peccato finita eſt, offenſio infinita penſatur, ſed ratione offenſi DEI, cuius dignitas & excellentia cùm ſit infinita, offenſa quæ in ipſum committitur iudicatur infinita.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, Declina prudenter maculam, effectum peccati, quæ tranſacto peccato actu manet in homine, à qua verè dicitur maculatus, immundus, ſordidus, inquinatus, quod patet ex plurimis ſcripturæ locis, Ioſue 22. *Vſq; in præſentem diem macula huius ſceleris in vobis permanet*: id eſt macula fornicationis populi cum Madianitidibus in Beelphegor. Eccl: 31. *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula.* Ierem: 2. *Maculata es iniquitate tua*: & alibi paſſim. Etenim ſicut corpus aliquod dùm amittit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, quia ſcilicet corpus illud nitidum tetigit vel lutum vel quid ſimile, contrahit maculam, ità anima (quæ habet ſuum nitorem vel ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus, vel ex refulgentia diuini luminis ſapientiæ & gratiæ, per quam dirigitur ſeu perficitur ad benè & decenter agendum) dùm inhæret aliquibus per inordinatum amorem quaſi per attactum, peccat contra lumen rationis & diuinæ legis, & amittit nitorem ſuum, vnde maculata remanet ſua actione. Conſiſtit ergo hæc macula priuatione gratiæ, tum

etiam

etiam in respectu ad actum peccati præteritum nec retractatum, nec dimissum. Anima enim privata gratiâ deformis est & maculosa, & si vlterius peccat amissâ iam gratiâ, vlterius etiam contrahit maculas, immò singula peccata singulas inducunt maculas. Caue itaque Christiane maculari peccato, quo aspectu diuino indignus existeres vt Cain, ad quem non respexit DEUS.

DICES. Cùm DEUS non causa maculæ, est autem causa priuationis gratiæ, qui sicut solus producit gratiam, ita solus priuat gratiâ, subtrahendo concursum conseruativum gratiæ. Quomodo igitur in priuatione gratiæ macula consistit? ℟. Consistit macula peccati in voluntaria amissione gratiæ, quam homo peccans amittit, non verò in substractione concursûs seu influxûs conseruatiui.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, Sicut omni operi bono respondet præmium, iuxta decreta iustitiæ, ita omne peccatum consequitur reatus pœnæ, qui nihil est aliud quàm morale debitum seu obligatio ex peccato nata ad pœnam subeundam, Rom: 2: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Lege enim iustitiæ pœna debet infligi ad vindicandam culpam. Est autem de ratione pœnæ quòd sit contraria voluntati, quòd sit afflictiua, & quòd pro alia culpa inferatur, vt dicit S. Thomas, immò culpa est causa meritoria pœnæ, Serm: 139. de temp. S. August: d. *Malorum nostrorum omnium causa peccatum est.* Et lib: 1. Retract: cap. 9. *Omnis pœna à Deo, peccati pœna est est, & supplicium nominatur.* Et quia triplici ordini voluntas humana subijcitur, contra triplicem ordinem delinquens, triplicis pœnæ reatus ipsi pensatur. Primò quidem subditur humana voluntas ordini propriæ rationis, quod in ethnicis ostendit Apostolus Rom: 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi*

1. 2æ. q. 46. a. 6. 2m.

ſunt lex, id eſt lex naturalis rationis, de quo etiam. Pſal: 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Secundò ſubditur ordini exteriori hominis gubernantis, vel ſpiritualiter vel temporaliter, policitè vel œconominè. Tertiò ſubditur vniuerſali ordini regiminis diuini. Quilibet autem horum ordinum per peccatum peruertitur, dùm qui peccat agit contra ordinem propriæ rationis, contra legem humanam & diuinam. Quare triplicem quoq; reatum pœnæ incurrit, vnum à ſemetipſo, quia peccat contra ordinem propriæ rationis, & hic reatus pœnæ eſt remorſus conſcientiæ, atq; indamnatis eſt vermis qui non moritur. Alterum reatum pœnæ incurrit ab homine cuius legem tranſgreſſus eſt. Rom: 13. *Si male feceris time. Non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Tertium reatum pœnæ incurrit à DEO, vel temporalis pœnæ per veniale peccatum, vel æternæ per mortale. Marci 3. *Reus erit æterni delicti,* Matth. 5. *Ibunt peccatores in ſupplicium æternum.*

Iſai: 66.

DICES. Cùm per ipſam culpam homo efficiatur dignus pœnâ, reatus pœnæ non videtur eſſe aliqua obligatio diſtincta à culpa, ſed ipſa merè culpa. ℞. Homo per culpam dignus eſt pœnâ, non formaliter ſed radicaliter, radix enim reatûs pœnæ ipſa culpa eſt.

QUÆSIER. Bonum non poteſt eſſe effectus mali; malum enim vt malum, operatur malum; nam qualis cauſa talis effectus, pœna autem eſt bonum & iuſtum; Quomodo igitur pœna inter effectus peccati numeratur? ℞. Ipſa pœna non eſt directè effectus peccati, ſed tantum diſpoſitiuè reatus autem pœnæ, directè eſt peccati effectus.



CATE-

CATECHESIS III.
DE POTESTATE REMISSIVA PECCATORVM.

HActenus de peccatis & eorum effectibus, quorum remittendorum plenam potestatem esse in Ecclesia docet articulus Symboli Apostolorum. *Credo remissionem peccatorum*, & Patres Nicæni. *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Nunc à quo ista potestas, & quibus modis peccata in Ecclesia remittantur: est enim peccatum originale, sunt actualia: & alia quidem mortalia alia venialia, & quibus modis tàm hæc quàm illa remittantur, Christianus in ista Catechesi imbuetur: in qua tria dicentur.

I. Vnde potestas ista?

II. Quomodo remittatur Originale?

III. Quomodo actualia ?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Confiteris in sola Ecclesia Catholica non alibi extra illam esse peccatorum remissionem, quod Ss. Apostoli præsenti articulo edito confiteri docent: potestas verò omnis quia à DEO est, etiam ista remittendi peccata in Ecclesia, in immensa & infinita DEI solius bonitate sita, neq; ad alium authorem quàm ad summam DEI bonitatem & potestatem tàm mirificum opus referendum, ait Catech: Paroch. Nam Isai: 43. d. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas.* Quemadmodum enim pecunia debita à nemine remitti potest nisi à creditore, ita peccata quibus soli DEO sumus obstricti, vt dicat Dauid, *Tibi soli peccaui*, ille solus authoritatiuè remittit, quod quotidie oramus. Dimitte nobis delicta nostra. Quare ante aduentum Christi munus hoc nulli creaturæ fuit com-

Rom: 13.

Psal: 50.

municatum, ideo Pharisæi ignorantes Filium DEI potestate
Matth: 9. peccata remittentem Paralitico, murmurabant. *Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Primus omnium Christus vt homo, idem existens DEUS, hoc munus à Patre traditum accepit, respondens. *Vt sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Hanc deinde potestatem ministerialem Christus, quam ipse vt DEUS vnâ cum Patre authoritatiuè, vt homo excellenter habuit, concessit Sacerdotibus in sua Ecclesia, cum Apostolis Episcopis & Presbyteris, Matth. quidem 16. Petro promisit, *Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis.* Et cap. 18. omnibus Apostolis. *Quæcunq; allegaueritis super terram, &c.* Post resurrectionem Ioan: 20. iam actu confert istam potestatem. *Quorum,* inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi Christus Sacedotes instituit iudices peccatorum cum potestate ministeriali. Hinc Concil. Trid. sess: 14. cap.6. de sacram: pœnit. *Quamuis absolutio Sacerdotis, alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronuntiatur.* Quapropter Christiane, si animo resoluis illud Apostoli, 1. Petr: 2. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine,* cognosces nihil nobis salutarius contingere potuisse hac potestate remittendi peccata, in quo inexplicabilem DEUS prouidentiam, & summam erga nos charitatem ostendit, dùm per Filium suum Dominū nostrum IESUM Christum ignoscit & condonat peccata: nam hæc etiam pretiosa & maxima nobis sunt donata promissa. Concionatur Petrus Act: 10. *Huic,* inquit, *omnes Prophetæ testimonium*
2. Petr: 1. *perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius qui credunt in eum.* Quare articulus iste quo credimus & confitemur remissionem peccatorum esse in Ecclesia, valde consolatorius est,

eſt, ſed pœnitentibus non fictis aut obſtinatis, & qui non tardant conuerti ad Dominum, ſcientes quòd ſicut miſericors eſt Dominus ita etiam iuſtus, qui ſicut præſtabilis eſt ſuper malitia pœnitentium, ita duritiam impœnitentiùm arguet in ira & furore. *Eccl. 5.*

DICES. Si articulus fidei eſt. Credo remiſſionem peccatorum, firma fide teneri debet. Ergo quiſquis non credit certò & firmiter remiſſa ſibi eſſe peccata propter Chriſtum, peccat contra ſtium articulum, & eſt infidelis. ℞. Hæc eſt ſpecialis fides hæreticorum certò ſibi & infallibiliter perſuadentium remiſſionem peccatorum, ſeq; verè iuſtificatos eſſe, ſed ſua iſta ſpeciali fide falluntur. Eſt de fide in Eccleſia eſſe remiſſionem peccatorum, id eſt eſſe poteſtatem remittendi peccata, iuxta articulum præſentem, porrò huic aut huic verè & certò eſſe remiſſa peccata, nec de fide eſt, nec poteſt elici ex iſto articulo. Jllud enim cadit ſub fidem per ſe, quod reuelatum eſt, tibi verò quis reuelauit certò remiſſa eſſe peccata. *Sunt iuſti atq; ſapientes, & opera eorum in mauu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Id ita docet Concil: Trid: ſeſſ: 6. cap. 9. *Quamuis,* inquit, *neceſſarium ſit credere, neq; remitti, neq; remiſſa eſſe vnquam peccata, niſi gratis diuinâ miſericordiâ propter Chriſtum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum iactanti & in ea ſola quieſcenti peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt.* Et vltra. *Sed neq; illud aſſerendum eſt, oportere eos qui verè iuſtificati ſunt, abſq; vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos, neminemq; à peccatis abſolui ac iuſtificari niſi eum, qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atq; hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici.* Idq; Can: 14. ſub anathemate decernit. *Si quis,* inquit, *dixerit hominem à peccatis abſolui ac iuſtificari ex eo, quòd ſe abſolui ac iuſtificari certò credat, aut neminem verò eſſe iuſtificatum, niſi qui credit ſe eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici, anathema ſit.* Certè Apoſtolus *Eccl: 6.*

lus nullius infidelis dispensationis sibi conscius erat, non au-
1. Cor: 4. debat tamen certò se iudicare esse fidelem dispensatorem & iustificatum. Legerat enim à Propheta dictum. *Delicta quis intelligit*, (ait Hieron:) *& ab occultis meis munda me Domine*. Iob. quoq; cap. 9. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti*. Et Ierem: 17. Cor hominis soli DEO scrutabile esse, testatur. Quare non frustra monet Ecclesiasticus.
Eccl: 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*: sed *cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Philipp. 2.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, peccatum originale in quo concipimur & nascimur, ante Christi passionem per fidem venturi, morituri & resurrecturi delebatur, in adultis quidem per propriam fidem, in parvulis per parentum; cuius signum circumcisionem acceperat Abraham Pater credentium, Gen. 17. *Signaculum iustitiæ fidei*. Rom:4. vt circumcisio significaret, fides significaretur, & iustificatio esset ex fide significata, non ex circumcisione significante, quia Abraham fide iustificatus erat antequam circumcideretur, & circumcisio significabat iustitiam per fidem comparatam. Nec poterat esse vnquam aliud medium remissionis peccatorum & iustitiæ præter fidem Christi: *non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Quare August: in lib: de corrept: &
Act: 4. gratia. *Jlla*, inquit, *fides sana est, quâ credimus nullum hominem siue maioris, siue minoris ætatis, liberari contagio mortis & obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum IESVM Christum: ita enim ab æterno dispositum fuit, vt homines per Christum æternam salutem consequerentur*. In noua lege post aduentum Christi ad delendum originale peccatum, habemus remedium à Christo institutum baptismi Sacramentum, de quo ministrando præ-
Matth: 28. ceptum Apostoli acceperunt. *Docete omnes gentes baptizantes eos*; ea necessitate Ioan: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-*

ritu

ritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Et quidem dùm infantes baptizantur, per baptismum consequuntur remissionem peccati originalis; dùm adulti baptizantur, cum originali referunt remissionem omnium actualium, quæ originali addiderunt, consequuntur etiam omnis pœnæ peccatis debitæ absolutionem & relaxationem, Zachar: 13. *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Quid fons iste patens nisi Sacramentum baptismi in Ecclesia significat? in ablutionem peccatoris & menstruatæ, per menstruatam peccatum originale, per peccatorem actualia designantur, vt Lyran: hunc locum explicat, quia vtrumq; istud peccatum in baptismo deletur. Sed Caluinus in antidoto Concilij Trid: ad Seſſ: 5. manere peccatum originale in baptizatis asserit, nec verè tolli aut dimitti, sed tegi tantum per baptismum & non imputari. Concilium verò sanctum, ea Seſſ. can: 5. decernit, verè tolli, & per gratiam Domini nostri IESU Christi quæ in baptismate confertur, remitti: quod etiam in scripturis manifestum est, vt in loco Zachariæ allegato. Sicut enim sordes & maculæ corporis per externam lotionem emundantur ita vt non maneant amplius in corpore, ita quando sordes & maculæ animæ dicuntur tolli & ablui, verè non manent in anima: atque ita fit in baptismo & iustificatione, lauantur autem spirituali lauacro, Psal: 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Ezech: 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* 1. Cor: 6. *Abluti estis & sanctificati estis*; Act: 2: turbis Iudæorum Petrus dixit. *Baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine IESV Christi, in remissionem peccatorum.* Abluimur ergo in baptismo, aqua quidem naturali exteriùs, sed sanguine Christi interiùs. 1. Ioan: 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Apoc: 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Hebr: 9. *Si sanguis hircorũ, & cinis vitulæ aspersus inquinátos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi: &c.* Hinc est illud Au-

guſtini. *Aqua baptiſmi corpus tangit & animam abluit.* Quare Caluinus ſanguini Chriſti iniuriam facit, dùm negat efficacem in baptiſmo ad abluenda & remittenda peccata.

QUÆSIER. Si verè per baptiſmum peccatum originale cum alijs tollitur, abluitur & remittitur, quid neceſſe eſt, vt etiam recenter baptizati dicant. Dimitte nobis debita noſtra? ℞. Eo id faciunt. 1. quia cùm ſint in gremio Eccleſiæ, ex perſona eorum qui habent peccata dicunt; ſicut ipſa Virgo DEIpara immunis ab omni peccato hanc orationem recitabat. Immò ipſe Chriſtus in cruce illud Pſal: 21. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum,* ex Perſona Eccleſiæ cuius caput erat, dixit. 2. fieri poteſt, quòd citò poſt baptiſmum vel leue aliquod veniale committant, & de illo dicant. Dimitte nobis.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Peccata actualia ſunt duplicia, mortalia & venialia: quæ duo genera peccatorum oſtendit Apoſtolus. 1. Ioan: 5. dicens. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dimittetur ei peccanti non ad mortem.* Et vltra, *eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Hoc poſito. Eſt in Eccleſia remiſſio peccatorum tàm mortalium quàm venialium: ſed venialia peccata aliquot modis remittuntur, tàm in hoc ſeculo quàm in futuro. Et in futuro quidem remitti peccata oſtendit illud Euangelij. *Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro.* (*Matth: 12.*) Et certè non diceretur hoc verbum irremiſſibile in futuro niſi quia aliqua peccata & in hoc & in futuro ſeculo remittuntur. Ac in primis venialia remittuntur in hoc ſeculo. Primò per pœnitentiæ Sacramentum, nam quamvis non ſint materia neceſſaria huius Sacramenti, ſunt tamen ſufficiens. Sunt alij modi quibus venialia peccata abſterguntur, tùm deuota pectoris tunſione; aquæ benedictæ aſperſione: cibi potuſq; benedicti ſumptione: charitatiua eleemoſynarum largitione: Tob: 4.

Eleemo-

Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Iam verò peccata mortalia post baptismum commissa, non remittuntur nisi per ministros Ecclesiæ potestate clauium, ita quòd quisquis post baptismum mortaliter peccauerit, peccati veniam consequi non possit, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re vel voto: Sacerdotes enim sunt iudices in foro Sacramenti à DEO instituti, qui ministeriali potestate peccata remittunt, vt iudices vel retinent: ligant & solvunt virtute dicta clauium sibi datarum, prout declarat Concil: Trid: Sess: 14. cap. 6. de Sacram: Pœnit. Sed de hoc latiùs in materia de Sacramentis. Si DEUS concesserit.

DICES. Si peccata post baptismum commissa per pœnitentiam solvuntur. Cur Apost: Hebr: 6. d. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati* (scilicet per baptismum) *& prolapsi sunt, rursum renouari ad pœnitentiam.* Et cap: 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis* (quæ in baptismo cum fide accipitur) *non relinquitur pro peccatis hostia.* Si enim peccantes post baptismum, nec ad pœnitentiam possunt reuocari, nec illis relinquitur pro peccatis hostia, quomodo peccata post baptismum commissa relinquuntur. ℟. Montanistarum & Nouatianorum fuit hæresis negantium esse in Ecclesia potestatem ad remittenda peccata post baptismum commissa, soli autem DEO talium peccatorum remissionem relinquendam dicebant, in quo etiam semetipsos decipiebant. Apostolus autem in locis prædictis, non negat potestatem talem esse in Ecclesia, immò ipsam asserebat appellans ministerium reconciliationis: in locis verò istis difficultatem veræ pœnitentiæ in sæpe recidiuantibus, & maximè qui apostatæ à fide & baptismo efficiuntur. DEINDE. Cùm dicit impossibile recidiuantes renovari ad pœnitentiam, intelligit pœnitentiam non quæ est Sacramentum post baptismum, sed quæ in adultis præcedit baptismum, quia sicut ipse baptismus non iteratur, ita nec illa pœnitentia.

QUÆSIER. Cùm iustificatio non in sola peccatorum remissione consistat, in quo errauit Calvinus lib. 3. Instit: c. 11. sed consistit etiam in interiori animi renouatione ac bonis operibus, cur Apostoli in isto articulo solius remissionis peccatorum, prætermissis ceteris ad iustificationem pertinentibus meminerunt? ℞. Ideo consilio factum est, quia nostra iustitia quamuis vera sit propter veri boni consecutionem & finem ad quem refertur, vt persistam in sententia S. Augustini, tamen tanta est in hac vita, vt potiùs peccatorum remissione consistat, quàm perfectione virtutum, per remissionem peccatorum stat Ecclesia quæ in terris militat, per hanc non perit quod perierat & inventum est. Hac ergo tanquam præcipua parte iustitiæ huius vitæ expressâ subintellexunt Apostoli alteram, quæ per Spiritum iustificantem nobis confertur.

COROLLARIVM.
MORALE.

LÆtare Christiane remissione peccatorum in isto articulo proposita, cuius fructum præcipuè in futuro seculo prodesse arbitrare: cùm iam ab omni malo liberati, omni sospitate iucundabimur. Fit enim remissio peccatorum non propter commoda præsentis vitæ, sed propter futurum iudicium.
Eccl: 40. Nunc equidem *graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris ipsorum vsq; in diem sepulturæ*; sed & parvuli post lauacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciantur, & nos cogimur multa gravia tolerare etiam remissis peccatis: & peccatis promerita pœna productior est quàm culpa: ne vel parva putaretur culpa si cum illa finiretur & pœna, in quo & demonstratur debita miseria, monemurq; ad emendationem labilis vitæ, & excitamur ad exercitium necessariæ pœnitentiæ atq; patientiæ, etiam omni culpa remissa. Quare cùm noscis primum in Ecclesia lavacrum ad peccata ab-

ta abluenda baptismum, secundum lavacrum pœnitentiæ Sacramentum, est quod Christo humiles agas gratias, de cuius latere cum sanguine & aqua, ista profluxerunt Sacramenta, quibus redimimur à pœnis, atq; abluimur à culpis, ait Magist: Sent. Et si grata sunt remedia ægri corporis à medico præparata, longè gratiora esse debent remedia ægrotantis animæ à sapientia DEO instituta. Ne igitur negligas tàm salutare remedium: propter te enim & propter tuam salutem hæc potestas remittendi peccata à Domino ministris in Ecclesia data, quomodo effugies si tantam contemptu neglexeris gratiam & salutem? Et caue ne vel ad peccandum facilior existas, quòd præ manibus remedium peccati habeas, vel tardior sis ad resipiscendum, nam in spem facilis remedij peccantes, iniuriosi & contumeliosi sunt in hanc diuinam potestatem, ac indigni, crebra recidivatione, quibus misericordiam DEUS impartiatur. Porrò tardi & negligentes ad resipiscendum, timeant ne morte præoccupati, tarditate & procrastinatione amittant peccatorum remissionem, ideo non gloriandum in crastinum monet sapiens, suadet non differendum de die in diem, ne subito veniat ira, & in tèmpore vindictæ disperdaris.

Lib: 2. dist: 18.

Hebr: 2.

Prou: 27.

Eccl: 5.

ARTICVLVS SYMBOLI XI.

Carnis resurrectionem.

FIdem de vera carnis resurrectione, tradiderunt nobis in Symbolo Ss. Apostoli: quorum doctrinâ credimus & confitemur contra Carpocratem & Cerdonianos futuram nostrorum corporum resurrectionem. Patres Nicæni expectandam proponunt, Athanasius aueniente Domino ad iudicium, *Ad cuius*, inquit, *aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Equidem DEUS hominem creauit inexterminabilem,

Bernard: Lutzemb. lib. 2. l. c.

ſed quia peccauit, ſua præuaricatione mortem incurrit. Moritur itaq; corpus, non ex inſtitutione naturæ, ſed in pœnam peccati. In corpore omnis moritur, anima enim immortalis Spiritus, ſed iterum hoc corpus quod in cineres reſoluitur reſurrecturum diuina virtute die vltima conſummationis ſeculi, Sancti Apoſtoli nos docuerunt; qui ſignanter dixerunt Carnis reſurrectionem, ne quis fortè exiſtimat animam ſimul cum corpore interire, quam Philoſophi quoq; immortalem demonſtrarunt: ſed nos certiùs ex fide & plurimis ſcripturæ locis cognoſcimus. Et illud quidem non parui momenti ad hanc rem comprobandam, quod Chriſtus contra Sadducæos Matth: 22. attulit. *De reſurrectione*, inquit, *mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Domino dicente nobis. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum ſed viuentium.* Iam iſti Patriarchæ mortui fuerunt. & quia DEUS erat illorum DEUS, certè animæ illorum immortales viuebant. *Quia verò carò noſtra moritur, caro quoq; reſurget, eſt enim reſurrectio ad illum ſtatum vnde ceciderat revocatio*, ait Damaſc. Et Ambroſ: in lib: de fide reſurrectionis. *Aſſumitur caro quæ mori poſſit, vt dùm moritur quod ſolet, quod mortuum erat hoc reſurgeret; anima quia non moritur, non dicitur reſurgere ſed caro.* Quoniam verò depravatores ſcripturarum, dùm illæ loquuntur de reſurrectione, non eſſe intelligendum de corporea ſed de ſpirituali, quâ de morte peccati ad vitam ſpiritûs & innocentiæ reſurgit, interpretati ſunt, ideo palàm Apoſtoli Carnis reſurrectionem poſuerunt, quam futuram & aſſerta, & exempla in ſcripturis declarant. Aſſerta in ſcripturis tàm noui quàm veteris teſtamenti ſunt plurima, obuium eſt illud Iob:18. qui ſperat ſe viſurũ in carne ſua DEUM ſuum, Daniel:12. *Multi*, inquit, *qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* Apoſtolus etiam, 1. Cor: 15. prolixa diſputatione firmiter reſurrectionem mortuorum aſſerit, quam Act: 17. Athenis coram iudicibus Areopagiticis comprobauit. Exempla in ſcripturis reſurre-

ſurrectionis mortuorum non pauca numerantur, nam 3. Reg. 17. Elias mortuum filium Sarephtanæ ſuſcitauit. 4. Reg: 4. Eliſæus filium Sunamitidis ad vitam reuocauit. Et cap: 13. in ſepulchro ipſius mortuus reuixit. In Euangelio tres leguntur à Christo mortui ſuſcitati. Apoſtoli quoq; plures ſuſcitauerunt, & vſq; in præſentem diem in Eccleſia Catholica precibus Sanctorum mortui ſuſcitantur, quæ omnia efficaciter perſuadent futuram corporum reſurrectionem. Verùm vt ea, quæ ad explicationem huius articuli pertinent faciliori via proponantur, per Catecheſes more ſolito diſtribuentur. Sit iam.

CATECHESIS I.

DE IPSA RESVRRECTIONE.

EQuidem Phariſæi contra Sadducæos diuiſi aſſerebant futuram corporum reſurrectionem. Sed ignorantes cauſam futuræ reſurrectionis corporum noſtrorum, ſupprimere contendebant Chriſti reſurrectionem, quæ eſt cauſa noſtræ reſurrectionis: & in hoc negotio vel maximè Apoſtolos perſequebantur, vt etiam Paulus Act: 23. & 24. bis contra Iudæos ipſum accuſantes proteſtatus ſit. *De reſurrectione*, inquit, *mortuorum ego iudicor à vobis.* De hac itaq; ipſa carnis reſurrectione quid ſit Chriſtiane tenendum in hac Catecheſi tribus propoſitionibus explicare conabor.

I. Quàm congruè fiet iſta reſurrectio?

II. Quomodo ad vocem tubæ?

III. Quæ mira in reſurrectione apparebunt?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, Futuram corporum reſurrectionem, maxima congruentia conuincit, tàm quoad bonos, quàm quoad malos.

malos. *Vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit siue bonum*
2. Cor: 5. *siue malum.* Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 41. ita argumentatur. *Incommutabilis veritas Deus promisit suis dilectoribus plenum gaudium, suis contemptoribus plenum supplicium, quod vtrumq; erit impossibile nisi sit in anima & corpore. necesse est ergo vt corpora resurgant, animas recipiant, quatenus secundum promissa veritatis, hi plenum gaudium in anima & corpore habeant, illi eodem modo plenum supplicium recipiant.* Corpus enim vnâ cum anima operatur bonum aut malum, ad iustitiam DEI & misericordiam pertinet, vt in vtroq; mercedem recipiat, necesse est igitur, vt iterum corpora & animæ coniungantur, quatenus corpora simul cum anima præmio vel pœnâ afficiantur. Nam bonorum afflictiones quas in corpore perferunt sine præmio transirent, nisi corpus præmiandum] resurgeret. Hoc arguit Apostolus, 1. Cor: 15. *Si*, inquit, *in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; q. d. si corpora nostra non expectant bona futuri seculi tanquam præmia pro laboribus, sed præsentibus tantùm contenta esse debent, nos qui ieiunijs & alijs mortificationibus in præsenti extenuamus corpora nostra, qui etiam persecutiones patimur, ærumnas & calamitates, miserabiliores sumus alijs omnibus, qui in delicijs enutriunt corpora sua. Quaproter iustum est vt illa caro quæ fuit animæ socia & instrumentum ad laborem, quo pertigit ad vitam, ipsa etiam particeps sit præmij & salutis. *Corpora quæ nunc sunt membra Christi, quæ nunc pa-*

Inter opera August: tom. 6.

Iren: lib. 5. *scuntur immortali eius carne, quæ nunc inhabitantur à Spiritu Sancto, decet etiam tunc viuificari & Christi corpori similia fieri.* Cùm igitur homo non possit esse plenè beatus, nisi verè vniatur anima corpori, quæ beatitudo est vltimus finis hominis, naturaliter ab homine desideratus, summè congrua & necessaria est resurrectio. DEINDE, cùm animæ propensionem naturalem habeant ad corpora, tanquam inuicem partes humanæ naturæ,
1. p. q. 76. a. 1. 6m. præter naturam est, eas perpetuò separari à corporibus, nam

in isto

in isto statu separationis anima ex appetitu corporis retardatur, ne tota intentione pergat in illud summum bonum. *Consentaneum est ergo etiam naturæ, vt iterum animæ corporibus iungantur, vt qui bona fecerunt procedant in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* *August: lib. 12. in Gen. c. 35.*

QUÆSIER. Si ideo congruum est resurgere corpora, vt simul plenè præmientur cum animabus, quare non etiam plenè puniuntur & expiant peccata cum animabus, nam in purgatorio anima sine corpore patitur, pro his quæ gessit in corpore & cum corpore? R. Cùm anima punitur in purgatorio pro his quæ gessit in corpore, corpus non est à pœna liberum, nam anima quidem in purgatorio punitur, corpus verò in morte & ipsa incineratione, quæ sunt etiam pœnæ quædam.

DIXERIS. Si anima separata perfectiùs participat beatitudinem quàm coniuncta corpori, non videtur esse congruum, vt corpori in resurrectione iungatur: perfectiùs autem anima separata participat beatitudinem, quia magis accedit ad similitudinem DEI, nam Spiritus est DEUS. Ioan: 4. R. Anima coniuncta corpori glorioso, magis est DEO similis quàm separata, habet enim perfectius esse coniuncta, cuius perfectio consistit in suo esse naturali, esse autem naturale animæ requirit coniunctionem cum corpore: & quamvis vt dicitur Spiritus est DEUS, sed etiam anima coniuncta corpori glorioso non non desinit esse Spiritus. Itaque coniunctio corporis ad animam, addit animæ aliquam perfectionem, quia omnis pars est imperfecta, & completur perfectè in suo toto. Vnde super illud Apoc: 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Gloss: Ord. d. *Modò animæ Sanctorum sunt existentes subtus altare, id est in minori dignitate quàm sint futuræ.*

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, audis Ecclesiam dùm pro defunctis supplicat dicentem. *Tuba mirum spargens sonum, per sepulchra regionum,*

coget omnes ante thronum. Apostolus etiam intimat, 1. Thess: 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendit de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* Tria ponit Apostolus. d. *In iussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei*, quæ tria sunt idem: disquirit tamen Magist: sent. lib. 4. dist: 43. ibidem S. Thom: q. 2. art. 2. quid tuba ista significet. Ergo *tuba ista novissima est clamor ille*, ait S. August. de quo in Euang: *Media nocte clamor factus est.* Et quia Christus resurgens est causa univoca nostræ resurrectionis, profectò in resurrectione communi corporum, aliquo signo dato corporali Christus resurrectionem operabitur: quod signum ait Magist: *vox Archangeli & tuba Dei* ab Apostolo dicitur. Et in Euangelio clamor & vox Filij Dei, Ioan: 5. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Hoc signum & vocem audient mortui & resurgent. *Dabit enim*
Psal: 67. *voci suæ vocem virtutis.* Sed tamen signum istud præclarum variè exponunt, quidam dicunt ad literam esse vocem Christi imperantis resurrectionem, sicut *imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.* Quidam dicunt, signum istud non esse aliud quàm ipsam repræsentationem euidentem Filij Dei in mundo, de qua Matth: 24. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsq; in occidentem, ita erit aduentus Filij hominis.* Tuba olim vsus fuit in congregatione ad Concilium, ad prælium, & ad festum. In resurrectione illa generali, congregabuntur resurgentes ad Concilium, quod in iudicio celebrabitur. Ioël: 3. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Rom: 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Congregabuntur ad prælium, quia Iudex *armabit creaturam ad vltionem, & pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*, Sap: 5. Congregabuntur iusti ad festum æternæ solemnitatis in gaudio & requie opulenta. Hebr: 4. *Itaq; relinquitur Sabbatismus populo Dei.*

QUÆSITER. An omnes eodem tempore resurgent, quia 1. Thess. 4. d. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi?* ℟. Eodem

dem tempore omnes resurgent simul, immò *in momento, in ictu oculi.* Qui autem in Christo sunt, id est iusti, resurgent primi, id est priusquam rapiantur in nubibus obviam Christo in àéra. Vel etiam primi dignitate iusti resurgent quia ad vitam, peccatores quasi secundi, quia ad iudicium. 1. Cor: 15.

DICES. Certum est diuina virtute futuram resurrectionem, vt quid dicitur fieri ad vocem tubæ si enim virtus ipsa diuina sufficiens est ad producendum effectum resurrectionis, supervacanea videtur vox tubæ? ℞. Vox tubæ eadem est cum voce Filij DEI cuius vim sentient mortui & obedient resurgendo. Quare cùm vox Filij DEI sit ipsa virtus diuina, cùm ad vocem tubæ suscitandi dicuntur mortui, virtute diuina suscitabuntur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, ipsa resurrectio in se miranda, cùm supernaturali virtute diuina miraculosè sit futura: nam quia *naturæ viribus non detur regressus à priuatione ad habitum.* vt dicit Philosophus, mors autem est privatio vitæ, nulla virtus naturalis poterit pertingere ad viuificationem corporum vitâ priuatorum, nisi sola supernaturalis divina miraculosè. 1. Reg: 2. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Deut: 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Fient tamen plurima miranda in resurrectione. Primò quidem, quia hic ipse idem homo qui nunc est, & qui mortuus erat resurget, hæc caro, hæc ossa, hæc cutis, idq; Iob cap: 10. confessus. *Scio,* inquit, *quia Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* DEINDE mirandum quòd caro resoluta in cineres non peribit aliquid ad veritatem naturæ humanæ pertinens, quantumvis devoretur à bestijs, in puncto tamen temporis illi humanæ animæ cedet, quæ illud prius vt homo fieret, viueret, & cre-

ſceret animauit, ait S. Thom. Angeli videlicet cuſtodes (quorum miniſterio in hoc vtetur DEus) colligent cineres & diſperſiones humani corporis & præparabunt ad reparationem. Nec illud admiratione caret, quòd omnes in eadem ætate reſurgent, id eſt circa annos triginta, ſiue aliqui in infantia ſiue in decrepita ætate deceſſerint. In hac enim ætate Adam fuit creatus, in hac ætate Chriſtus ipſe reſurrexit, cuius reſurrectio cauſabit omnium reſurrectionem, de hoc Apoſt. Epheſ. 4. *Occurremus*, inquit, *omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Sicut enim DEus humanam naturam abſq; defectu conſtituit, ita abſq; defectu in reſurrectione reparabit, deficit autem humana natura & in pueris & in ſenibus: in pueris quidem, quia nondum ſtatum vltimæ perfectionis eſt conſecuta, in ſenibus verò quia ab vltima perfectione receſſit. Miranda & in hoc diuina virtus & ſapientia, quòd quamvis non omnes æqualis ſtaturæ reſurgent, omnes tamen & ſinguli in ſtatura ſibi debita, quam habuit in iuventute ſi ſenex obijt, vel quam habiturus erat, ſi puer obijt. Monſtroſi ſimiliter defectus reparabuntur, aliqui naſcuntur manci tales reſurgent quales naſcituri erant, niſi natura peccaſſet. Cùm enim reſurrectio ſit opus DEI, & DEI ſunt perfecta opera, omnes defectus naturales in ipſa reparabuntur, DEus inſtitutor naturæ, ipſius errata corriget. *Mors ſtupebit & natura cum reſurget creatura.*

In 4. diſt: 45. q. 4. art: 2. in argum. Sed contra.

Deut: 32.

DICES. Si ætas pertinet ad perfectionem hominis reſurgentis, profectò in ſenili ætate potius quàm iuvenili reſurgere convenit, illa enim ætas quæ venerabilis eſt perfectior eſt. ℞. Senectus venerabilis, non propter conditionem corporis, ſed propter vigorem ſapientiæ, iuvenilis autem ætas propter vigorem naturæ perfectior, nam in ea ætate perfectiſſimum ſtatum habet natura humana & in hac perfectione reſurget.

Sap: 4.

DICES adhuc. Si omnes in iuvenili ætate reſurgent, quare Iſai: 3. d. *Dominus cum ſenibus venturus*, ſi ſenes ſunt venturi,

quo-

quomodo in iuvenili ætate resurgent, & si in iuvenili ætate resurgent, quare senes appellantur? ℞. In iuvenili ætate resurgent senes tamen dicuntur ob iudicij maturitatem, qui iudicabunt acceptâ à Christo iudiciariâ potestate, illi in quibus decreta diuinæ iustitiæ continentur, ex quibus homines iudicabuntur.

CATECHESIS II.

DE TEMPORE RESVRRECTIONIS.

OMnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo: tempus nascendi, & tempus moriendi: veniet tempus resurgendi & consummationis seculi. *Nunquid qui dormit non adijciat vt resurgat?* sed de tempore resurrectionis aliqua ambiguitas, quæ in tribus propositionibus expendetur. Eccl: 3.

I. Cur generalis resurrectio in finem mundi dilata?

II. Cur tempus resurrectionis occultum?

III. Cur nocturno tempore fiet?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Nos ad immortalitatem resurrecturos iam in fide certum est: certum etiam communem resurrectionem corporum nostrorum futuram demum in consummatione mundi, quod plurimæ scripturæ testantur, Ioan: 6. Pollicetur Christus manducantem carnem suam in nouissimo die resuscitandum. Cap. 11. id de fratre suo Lazaro Martha professa. Iob: 14. *Homo*, inquit, *cùm dormierit non resurget donec atteratur cœlum*, id est, donec cesset motus cœlestis qui in consummatione seculi fiet, iuxta illud, 2. Petr: 2. *Dies Domini sicut fur ita veniet, in quo cœli magno impetu transient*. Congruum autem est diuinæ ordinationi, vt in fine mundi hæc resurrectio fiat,

quando motus cœli cessabit. Porrò ea est diuina ordinatio, vt materia corporum crassiorum & inferiorum subiaceat motui corporum subtiliorum & potentiorum vt sunt cœli. Quare ne quid contra ordinem istum fiat, ad immortalitatem & incorruptionem non peruenient corpora nostra, nisi cessante motu cœlesti. Et quia in resurrectione recipient omnes mercedem plenam laborum suorum, congruum est vt ad finem, ad vesperam videlicet merces ista reddatur: ita enim Matth: 20. *Cùm serò factum esset dicit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios & redde illis mercedem.* PRÆTEREA. Congruum est non priùs fieri resurrectionem donec impleatur numerus electorum, ita enim Apoc: 6. iustis petentibus accelerari iudicium & resurrectionem, responsum, *vt requiescerent donec impleantur conserui eorum.* DIXERIS. Si iustorum vt iniquorum resurrectio differtur vsq; ad nouissimum diem, id fieri non potest sine afflictione iustorum, expectantium magno desiderio suorum corporum resurrectionem, vt illæ animæ sub altari, dicitur etiam Prou: 13. *Spes quæ differtur affligit animam,* si animæ iustorum afflictæ sunt ex ista dilatione desideratæ resurrectionis corporũ quomodo sunt beatæ? ℞. Animæ iustorum ante resurrectionem sunt beatæ, tametsi appetitum habent ad corpus, iste enim earum appetitus sine afflictione; nam licet in illis appetitus iste non totaliter quiescat ex parte appetentis, quia illud bonum non possidet secundùm omnem modum, quo possidere vellet, tamen ex parte appetibilis totum desiderium quiescit, quia habet id, quod suo appetitui sufficit, id est DEUM. Quòd autem dicitur spes dilata affligere, per se spes delectat per accidens affligit.

QUÆSIER. *Positâ causâ, ponitur effectus,* vt est commune in scholis axioma: Christi resurrectio quæ est causa nostræ, iam facta, cur non sequitur statim nostra, sed ad nouissimum diem expectandum? ℞. Jllud axioma non habet locum in causis quæ agunt ex ordinatione diuina, nam quamvis Christus re-

sur-

ſurrexit, nos tamen non reſurgemus niſi eo tempore quo DEus ordinauit, ita S. Thom: in 4. diſt: 43. q 2. art: 1.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, Ordine inacceſſi conſilij DEI nobis ignotum eſt tempus futuræ reſurrectionis corporum noſtrorum. Interrogatus enim Dominus à diſcipulis de tempore futuro Matth. 24. reſpondit. *De die illa & hora nemo ſcit, neq; Angeli cœlorum niſi ſolus Pater.* Et Marc: 13. *De die illa nemo ſcit neq; Angeli in cœlo, neq; Filius niſi Pater.* Tantum ſecretum etiam Angelis abſconditum, & quod magis mirandum ſi ipſi Filio, certè nobis non expedit noſſe. Act: 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ poſuit Pater in ſua poteſtate.* Equidem Filius ſcit omnia quæ ſcit Pater, cùm enim ſit conſubſtantialis Patri, eiuſdem quoq; ſapientiæ & ſcientiæ, ſicut enim per Verbum DEI, id eſt per Filium facta ſunt omnia, etiam tempora & ſecula. Hebr: 1. Scit ipſa tempora & omnia. Sed etiam vt Iudex ſcit futurum tempus & horam, in qua iudicabit: dicit autem ſe neſcire, quia non expedit vt reuelet. Hinc Chryſoſt: Homil: 30. in Matth. *Si Chriſto homini datum eſt, vt ſciat qualiter oporteat iudicare quod eſt maius, multò magis datum eſt ei ſcire, quod minus eſt, ſcilicet tempus iudicij.* Conuenit hominibus occultari tempus iudicij & reſurrectionis, vt ſemper parati ſint in exercitio virtutum & fugâ vitiorum, *quia diei ignoratio intentam ſolicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitat*, ait Hilarius. Et ideo paſſim mouemur ad præparationem & vigilantiam. Matth: 25. propoſita parabola de decem Virginibus, quæ ad vocem media nocte factam ſurrexerunt. d. *Vigilate quia neſcitis diem neq; horam.* Et Luc: 12. *Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis Filius hominis veniet.* Apoc: 16. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.*

DIXERIS. Signa conſummationis ſeculi, vnaq; reſurrectionis corporum & iudicij prædicta ſunt in Euangelio, quibus viſis

visis certò scient homines instare consummationem seculi. ℟. Cùm crebrò similia signa videamus, ideo per prædicta certitudinaliter non poterit sciri consummatio seculi, sed opinatiuè & coniecturaliter tantùm. Deinde illi cognoscent qui proxima conspicient signa, quod tamen signa remota certitudinaliter & euidenter non efficiunt.

QVANTVM AD TERTIVM.

Christiane, nocturno tempore respectu Palæstinæ futuram esse resurrectionem textus Euangelij Matth: 25. Eloquitur, dormientibus enim decem Virginibus. *Media nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obuiam ei*; & additur. *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ*, quod tàm literaliter quàm mysticè accipi potest. Literaliter quidem, quia cùm Christi resurrectio sit causa resurrectionis nostræ, resurrectioni Christi debet conformari resurrectio nostra, sicut effectus causæ, & exemplari exemplatum: Christum resurrexisse nocturno tempore palam est, venientes enim ad monumentum illæ mulieres quæ illum inquirebant, minimè iam inuenerunt, quippe qui iam surrexerat, vt per Prophetam Psal: 107. prædixerat. *Exurgam diluculo*, quod Ayguanus ponderans. d. *Diluculum dicitur prima pars diei & vltima noctis, quando iam lux incipit aliqualiter apparere*. Quia igitur Christus nocturno tempore surrexit, conuenit nostra corpora nocturno tempore resurgere, ne dignior & clarior videatur esse effectus suâ causâ. DEINDE. Tunc resurrectio corporum fiet, quando sol & luna venientia ad illa puncta in quibus creata creduntur, consistent, id est in diluculo, quo adhuc nox est, sole existente in ortu, luna in occasu, scilicet in plenilunio, quod insinuare videtur ille tropus Prou: 7. de aduentu sponsi. *In die*, inquit, *plenæ lunæ reuersurus est*. PRÆTEREA, tunc resurgent corpora quando Sponsus venturus est, Sponsus autem tempore nocturno veniet, vt iam dictum est; *hoc tempore*, ait Cassiodorus *quo primogenita Ægypti percussa sunt*. Exod:

Exod: 11. *Factum est*, inquit, *in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Ægypto.* Si mysticè seu moraliter loquamur, nocturno tempore futura resurrectio, obscurum enim erit & occultum quando veniet Iudex, ideo aduentus Domini Luc: 12. Comparetur furi qui nocturno venit tempore, veniens enim inueniet occulta cordium & conscientiarum, quæ luce suæ cognitionis illuminabit. Hinc Magist: sent. *Adueniente*, inquit, *summo Iudice, non solùm aèris tenebræ illuminabuntur, sed etiam abscondita tenebrarum cordium manifestabuntur.* 1. Cor: 4.

DIXER. In aduentu Domini futura erit resurrectio nostra, aduentus autem Domini passim dies appellatur, Matth: 24. Marci: 13. 1. Thess: 5. 2. Petr: 3. Quomodo igitur in nocte nostra resurrectio futura? ℞. 1. Aduentus Domini dies nominatur Synecdochicè sumendo partem pro toto, scilicet pro tempore. 2. Aduentus Domini dies appellatur non pro qualitate temporis sed rerum, ait Magist: sent. quia sicut in die sol illuminat omnia, ita tunc cogitationes & consilia singulorum patebunt, libri conscientiæ singulorum tàm ipsis quàm alijs aperientur, ita vt nihil sit occultum quod non reueletur. Gloss: interlin: dicit. *Gesta & cogitata, bona & mala tunc aperta erunt omnibus & nota.* In cap. 4. Cor. 1.

CATECHESIS III.

DE QVALITATE CORPORVM RESVRGENTIVM.

RESurgent corpora omnium, tàm damnatorum quàm beatorum, Daniel: 12. *Euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* Et Ioan: 5. *Procedent alij in resurrectionem vitæ, alij in resurrectionem iudicij.* Sed quia non carebunt suis proprietatibus & qualitatibus, quibus inter se discernentur, id est boni & mali, propter eruditionem simplicium breuiter de illis in præsenti Catechesi aliquid dicendum, in qua tria quærentur.

I. Quomodo corpora beatorum impaßibilia erunt?

II. Quas proprietates eorum corpora habebunt?

III. Qualia resurgent corpora damnatorum?

QVANTVM AD PRIMVM.

Eccl: 4. CHristiane, pro beata resurrectione vsq; ad mortem agonizare, sicut illi Sancti adolescentes Machabæi quorum se-
Hebr: 11. cundus Antiocho in cruciatibus respondit. *Tu quidem scelestissi-*
2. Mach: 7. *me in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi, defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Ita age Christiane vt ad dexteram statuendus resurgas, horrendum enim erit stare ad sinistram cum reprobis, quibus dicetur. *Discedite maledicti in ignem æternum.* Iustorum corpora resurgent immortalia, quam immortalitatem ipsis promeruit insignis illa Christi victoria quam de morte reportauit, vt scripturæ dicunt. Isai: 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Oseæ 13: *Ero mors tua ô mors.* quod exponens Apostolus. 1.Cor: 15. d *Nouissima inimica destruetur mors.* Apoc: 21. *Mors vltra non erit.* Peccatum quidem Adæ
Rom: 5. promeruit mortem. *Quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Verumtamen, *Deo gatias, qui de-*
1. Cor: 15. *dit nobis victoriam, per IESVM Christum Dominum nostrum*: meritò enim mortis ipsius longo interuallo peccatum Adæ superatum est, & imperium mortis euersum est: *absorpta mors in victoria,* vt meritò rideant redempti mortem, *vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Nec solum immortalia erunt corpora beatorum rediuiva, sed etiam impassibilia; seminatur in corruptione, resurget in incorruptione. Hanc dotem impassibilitatis habebunt, quæ efficiet ne quid doloris aut molestiæ patiantur. Estq; hæc impassibilitas adeo propria corporis gloriosi, vt omni, soli, & semper conueniat: nam corporibus damnatorum non conueniet, frigus & æstum patientur. Huius verò impassibilitatis ratio inde sumitur, quòd corpus humanum.

manum, & quidquid in eo eſt, erit perfectè ſubiectum animæ rationali, ſicut anima erit perfectè ſubiecta DEO, & ideo in corpore glorioſo non poterit eſſe aliqua mutatio contra diſpoſitionem illam, quâ perficietur ab anima. Quare inter beatos habebunt alijs alij corpora magis impoſſibilia, non ſecundùm ſe conſiderata, prout impaſſibilitas negat & priuat paſſibilitatem, ſed ſecundùm dominium animæ ſuper corpus; vnius enim corpꝰ magis ſubijcitur dominio animæ quàm alterius, ſecundùm quod anima vnius magis fruitur DEO ſecundum merita. Et quia inter non paucos de plebe Chriſtiana audiui quæſtionem Sadducæorum, quam illi de reſurrectione mortuorum & de vxore ſeptem virorum Fratrum Domino propoſuerant, operæ pretium obiter fuerit iſtiusmodi errores qui paſſim in rudi plebe inueniuntur, redarguere, & inculcare non in vita animali futuram reſurrectionem. Nam ſicut nutritiva facultas quæ ordinatur ad reſtaurationem deperditi, ita & generatiua quæ ordinatur ad multiplicationem, ampliùs non erit. Neq́ enim mori poterunt æquales Angelis, neq; nubent, neq; nubentur, nec indigebunt vllis alimentis corporalibus, quibus eſuriendi & ſitiendi qualiſcunq; moleſtia deuitetur, ſicut egebat Adam ante peccatum. *Matth: 22.*

DIXER. Si impaſſibilia erunt corpora beatorum, quomodo poterunt poſt reſurrectionem vel audire vel videre, vel quocunq; alio ſenſu aliquid percipere, ſiquidem ſine paſſione actus ſenſibiles fieri non poſſunt, cùm ſentire ſit quoddam pati. ℞. Corpora beatorum impaſſibilia ſenſibus non deſtituentur, quorum organa in beatis, non immutabuntur immutatione naturali, quâ organum diſponitur eadem diſpoſitione naturali, quâ diſponitur res quæ agit in ipſum, vt cùm res calida tacta manu, ipſam manum calidam facit. Organa tamen ſenſuum in beatis immutabuntur immutatione Spirituali, quia in ipſis recipietur qualitas ſenſibilis ſecundùm eſſe ſpirituale, id eſt, ſpecies intentionalis ſiue intentio qualitatis, & *2. de anima Tex: 51. & 118.*

non ipsa qualitas, sicut pupilla oculi recipit speciem albedinis, non tamen ipsa efficitur alba. Et ideo omnes sensus beatorum erunt in actu visûs quia videbunt gloriosam Christi humanitatem, &c. Auditus quia audient laudes DEI, odorat9, quia corpora beatorum mirum adorem spirabunt. Tactus, ex proximis corporibus. Gustus, quia immutabitur lingua & palatum ex humiditate adiunctâ.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, Sicut Sponsus ornat Sponsam suam, ita Christus Ecclesiam beatorum Sponsam suam ornamentis speciosam efficiet, vt illud Psal: 44. impleatur. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* A dextris astitit id est in bonis æternis. Ezech: 16. *Ornaui te ornamento &c.* Huius Sponsæ Ecclesiæ beatorum post resurrectionem ornamenta descripsit Apostolus, 1. Cor: 15. Erunt enim corpora beatorum subtilia, ideo dicit, *Seminatur corpus animale, resurget spirituale.* q. d. moritur corpus, & in tumulum infertur crassum, durum, resurget subtile, vt etiam operatione diuinæ virtutis ad gloriæ perfectionem, instar Spiritus omnia alia corpora penetret & peruadat, Spirituale corpus appellat, quia omnino Spiritui subditum & conformatum eique ad nutum seruiens. Neq; tamen spiritualitas seu subtilitas impalpabile corpus efficiet, poterit enim palpari cùm voluerit aut non palpari, ita vt pro voluntate resistat adstanti corpori palpanti, cui contradixit Eutychius Patriarcha Constantinopolis, dicens: *corpora resurgentium non fore palpabilia sed àëri similia*: & àër quidem tangi potest, quia habet qualitates, quibus natus est immutari sensus tactus, vt sunt calidum, frigidum, non est tamen palpabilis, quia non resistit transeunti per illum, est enim facillimæ diuisionis. Corpora autem gloriosa quamvis subtilia poterunt palpari, quia resistere palpanti, quod in Corpore Domini post resurrectionem res manifesta, dedit enim carnem

Damasc. lib: 4. c. 28.

nem

nem suam palpandam. Corpora Sanctorum erunt agilia. *Seminatur in infirmitate resurget in virtute*, id est celer & agile: ita agilia corpora beatorum, vt ibi sint protinùs vbi esse voluerint sine vlla defatigatione, Isai: 40. *Assument pennas vt aquilæ current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* August: *Vbicunque voluerit Spiritus, protinus corpus erit.* Corpora beatorum habebunt claritatem. *Seminatur in ignobilitate resurget in gloria.* Primasius dicit. *Resurget in gloria splendoris sicut sol*: quæ claritas in pluribus locis scripturæ ostenditur. Sap: 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Daniel: 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt, &c.* Matth: 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum* Philipp: 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* Et hic fulgor à gloria animæ in corpora redundabit, ita August. *Tàm potenti naturâ Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine redundet in corpus.* Quare quò erit anima maioris claritatis secundùm meritum, ita etiam differentia claritatis erit in corpore, nam sicut *alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, & stella à stella differt in claritate, ita erit resurrectio, mortuorum.* Et quia corpora gloriosa præsto erunt & ad nutum parebunt animæ, ideo claritatem suam, non necessitate sed potestate cùm voluerint, etiam non gloriosis exhibebunt: quam quidem beatorum gloriam cùm in iudicio videbunt reprobi, vehementer cruciabuntur. Sap: 5. *Turbabuntur timore horribili.*

Lib: 22. de Ciuit.

Epist: 56. ad Diosc.

QUÆSIER. Corpora beatorum in ascensu cœli quomodo transibunt? Si vel corpora cœlestia in eorum ascensu diuidentur? vel ratione suæ subtilitatis & Spiritualitatis in eodem loco erunt cum corporibus cœlestibus? ℞. Neq; corpora cœlestia in illo tunc transitu diuidentur, neq; etiam corpora beatorum ex sua spiritualitate seu subtilitate habebunt, vt vt simul sint in eodem loco cum corporibus cœlestibus: nam materiâ & formâ, constabunt beatorum ita tunc sicut & modò, de ratione autem corporis materiâ & formâ constantis est,

quòd sit loci repletivum, si replet locum suum, iam non admittit aliud corpus. Transibunt igitur corpora beatorum tunc cœlos, non diuisis cælis, non etiam ex vi subtilitatis, sed diuina virtute, quæ illis in omnibus ad nutum subueniet, vt simul sint in eodem loco, sicut & corpus ipsius Domini nostri nascentis ex clauso vtero Virginis exijt, ex clauso sepulchro: & ianuis clausis ad discipulos venit. Deinde in cœlum ascendit, & inde veniet ad iudicium redibitq; non ex dote subtilitatis habens simul esse in eodem loco cum alijs corporibus, sed virtute diuinitatis vnitæ.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, resurgent & reprobi in illa tunc generali resurrectione, Ioan: 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* 1. Cor: 15. *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Resurgent corpora reproborum immortalia, ita quòd nunquam postea moriantur, Apoc: 6. *Quærent mortem & non inuenient, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Erunt corpora eorum incorruptibilia. 1. Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Verumtamen maximæ subdentur passibilitati corpora eorum, æternas luent pœnas frigoris intensi & æstus, missi in ignem æternum, qui nunquam extinguetur, & ibi erit fletus & stridor dentium; sic disponente Omnipotentis iustitia, ardebunt in æternum & non comburentur, dolor eorum & cruciatus semper renouabitur. Et sicut beatorum corpora agilia erunt, ita damnatorum tarda, ponderosa, quæ à dæmonibus vi trahentur: beatorum corpora subtilia, reproborum crassa, crassissima autem effæminatè deliciosorum: beatorum fulgida, reproborum nigra, tenebrosa, Isai 13. *Facies combustæ vultus eorum.*

Isai: 66.

QUÆSIER. Corpora damnatorum qua virtute incorruptibilia erunt, si per naturam id fieri non potest, omne enim quod constat ex contrarijs inter se pugnantibus corruptibile est

est, corpora damnatorum etiam tunc ex contrarijs constabunt sicut & nunc. R. Erunt incorruptibilia per naturam, non quòd sit in illis aliquod incorruptionis principium, sed quia non erit principium mouens ad corruptionem sicut nec ad generationem, nam hoc principium est motus cœli qui tunc quia cessabit, etiam generatio & corruptio cessabit.

COROLLARIVM.

Contemplare Christiane nos omnes morituros & resurrecturos, alios quidem ad vitam æternam, alios ad iudicium; effice fide & bonis operibus, vt in illa resurrectione inter oues ad dexteram constitutus vocem Iudicis audias *Venite benedicti*: caue omne peccatum, cuius operatores ad sinistram posit contra se audient *Discedite maledicti.* Cogita quanta solemnitate beati in illa resurrectione cum Christo æternùm regnaturi in sublime ferentur, reprobi verò quanto luctu, quibus cum nænijs, à dæmonibus violenter in barathrum tracti æternum supplicium patientur. ô miseri Christiani peccatores! *Meliùs erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Hæc time,* ait Basilius, *& hoc timore correptus animam à peccatorum concupiscentia tanquam fræno quodam reprime.*

1. Thess: 4. — *2. Petr: 2.* — *In Psal: 33.*

ARTICVLVS SYMBOLI XII.

Vitam æternam.

Vita æterna quæ promittitur electis, est finis creaturæ rationalis, vt in cœlesti beatitudine viuat æternùm cum DEO, eique coniungatur præmio & fini laborum suorum, quod Abraham Gen: 15. in promissis acceperat DEO dicente sibi. *Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.*

Ideo

Ideo Ss Apoſtoli duces noſtri Symbolum, quo fidei noſtræ ſumma continetur, æternæ vitæ articulo claudi & terminari voluerunt, ne quis fortè intelligat talem reſurrectionem, de qua præcedens articulus, quaſi hîc quidam reſurrexerunt, iterumq; ſunt mortui. Promittitur electis vita æterna poſt reſurrectionem & ſecundùm animam & ſecundùm corpus. Vita animæ in hoc conſiſtit DEUM videre ſicuti eſt, plenè ſatiari ab immenſa bonitate eius, ſumma ſecuritate nunquam felicitatem illam amittendam; corpori quoq; omni robore & ſanitate immortaliter firmato aderunt convenientia bona. *Quanta erit illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum.* ait S. Auguſt: Vacabimus DEI laudibus, videbimus, amabimus & laudabimus. Iſai: 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Non falſo nec paruo affectu. Pſal: 83. ille dixit. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et vltra, *Melior eſt dies vna in atrijs Domini ſuper millia.* Nam *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparauit ijs qui diligunt illum.* Omnes quidem perfruentur ijſdem bonis ſed differenter, amplius atq; amplius alij: nam *in domo Patris mei*, inquit, *manſiones ſunt multæ*; quid hæc niſi varios gradus beatitudinis in vita æterna deſignant? Quare doctrinam circa vltimum iſtum Symboli Apoſtolici articulum in Catecheſes diſtribuemus. Pro quo ſit

Catech: Paroch. — *1. Ioan: 3.* — *Lib: 22. de Ciuit: c. 30.*

CATECHESIS I.

DE IPSA RATIONE VITÆ ÆTERNÆ.

FInis vltimus ſeu beatitudo conſummata, vita æterna nominatur, non ideo ſolùm quia nunquam moriemur, nam & damnati nunquam morientur. Quærent mortem & non inuenient; non tamen habituri ſunt vitam æternam (titulo

vita)

vita) quos mors depaſcet æterna, ſed ideo quia ab omni mi ſeria ſecuri in bonis æternis, in illo convivio iucundabuntur. Tria proinde in iſta Catecheſi contemplabimur.

I. In quo ratio vitæ æternæ conſiſtit.

II. Quòd vita æterna ſedat omne deſiderium.

III. Quòd in vita æterna omnis ſecuritas.

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, vita æterna ſeu beatitudo cœleſtis quæ & regnum cœlorum appellatur principaliter & quoad eſſentiam conſiſtit in clara DEI viſione eiuſq; fruitione, vbi beati ipſam eſſentiam divinam cum tribus perſonis clarè intuentur: nec putes oculis corporeis, id enim impoſſibile cùm DEus ſit incorporeus, Spiritus enim eſt, nullo ſenſu tàm interiori quàm exteriori videri poteſt. Oculo itaq; animæ id eſt intellectu videbitur, non per ſimilitudinem aliquam ex parte eſſentiæ divinæ, ſed immediatè, adiuto intellectu lumine gloriæ: non ſucceſſiuè ſed vno intuitu: *non enim erunt volubiles cogitationes noſtræ, ab alijs in alia euntes & redeuntes*, ait Auguſt: vltimo de Trin: c. 16. Clara eſt in ſcripturis doctrina iſta. 1. Cor: 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Ioan: 3. *Cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*: ſimiles ei erimus, ait Apoſtolus, quia ſicut DEus beatus in ſe, ita nos in illo, & ſicut DEus ſuam eſſentiam videt, ita nos quoq; eandem eius eſſentiam videbimus, vbi eſſentia divina vnit ſe intuitivè intellectui creato. Hinc Magiſt: ſent. inter rationes, cur DEus animam vnivit corpori ſecundam rationem aſſignat. d. *Id factum in ſignum futuræ beatitudinis, vnio enim Spiritûs cũ carne, oſtendit eſſe poſſibilem quandam vnionem ſcilicet Deum vniri cum anima humana. Humana*, inquit, *conditione oſtendit novum exemplar beatæ vnionis, quæ eſt inter Deum & Spiritum, in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem.* Lib: 2. diſt. 1.

Hæc ille. DEINDE, beatitudo vltima, quæ eſt finis vltimus & vita æterna conſiſtit in altiſſima operatione, quæ cùm ſit viſio divinæ eſſentiæ, illa promittitur mundis corde, ad hanc totis viribus contende Chriſtiane, de qua lib: 10. de Trin: c. 8. Auguſt: d. *Promittitur nobis contemplatio actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum.*

Matth: 5.

QUÆSIER: Si poſſibile eſt intellectum hominis in tantum elevari vt videat divinam eſſentiam: ſiquidem oculus corporeus non poteſt elevari ad videndam Angelici Spiritus ſubſtantiam, cùm tamen non in tantum diſtet oculus corporis à ſubſtantia Angeli quantum intellectus hominis ab eſſentia DEI, diſtat enim in infinitum? ℞. Oculus corporis non poteſt elevari ad videndam ſubſtantiam Angeli, quia nulla eſt proportio inter potentiam & obiectum, quia ſubſtantia Angeli non continetur ſub obiecto adæquato oculi corporei, quod eſt viſibile corporeum. Iam verò inter intellectum hominis & eſſentiam divinam eſt proportio ordinis & habitudinis, quia intellectus quivis creatus dicit eſſentialem habitudinem & ordinem ad intelligibile, ſub quo etiam DEUS continetur. Quare Chriſtiane ſequere bonitatem, vt poſſis conſequi divinæ eſſentiæ viſionem.

QUÆSIER: adhuc. Quomodo intellectus creatus in vita æterna poteſt elevari ad videndam divinam eſſentiam cùm Euangelium Matth: 11. dicit. *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: ſi nemo novit, quomodo per eſſentiam DEUM quis videbit? ℞. 1. Nemo novit naturali lumine Trinitatis myſterium niſi revelatum fuerit. *Soli enim ſibi Trinitas perfectè nota eſt.* (vt dicitur in libro ſoliloq: cap. 31.) quam cognoſcere non eſt poſſibile etiam oculis Angelorum. ℞. 2. Nemo novit, quia nemo videntium divinam eſſentiam, ipſam comprehendit. Incomprehenſibilis eſt enim cogitatu. Nam videntes diuinam eſſentiam, vident diſpoſiti & adiuti lumine gloriæ, cùm verò infini-

Inter opera Auguſt: Tom. 9.

Ierem. 32.

tum illud non sit, infinitam essentiam comprehensibilem facere non potest, vt cognoscat intellectus creatus, quantum cognoscibilis est. Non negat ergo locus ille Euangelij cognosci & videri DEUM in essentia, sed negat tantum cognosci, quantum cognoscibilis est, cùm etiam nemo videntium DEUM per essentiam, videat omnia quæ videt DEUS: non est enim necessarium quòd sciens causam, sciat omnes eius effectus, nisi causam comprehendat. Prior tamen responsio sufficit ad locum Euangelij.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, vita æterna talis est, quòd quicunq; illam sunt consecuti plenè satientur, nec amplius quidquam desiderent, habent enim ipsum DEUM qui est omne bonum. Exod. 33. Dum petit Moyses videre gloriam DEI audit. *Ego ostendam omne bonum tibi*: in visione ergo diuinæ essentiæ omne bonum, omne desiderabile, omnis proinde satietas, vt proinde Psal: 15. Dauid dixerit. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Hinc Doctor Angelicus. *Oportet*, inquit, *quòd vltimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur*: hic verò finis vltimus est, vita æterna. DEINDE vita æterna est illa vltima beatitudo, quæ *status est bonorum omnium congregatione perfectus* (vt dicit Philosophia apud Boëtium) excludens omnem defectum, omne desiderium, nam non impletum desiderium testatur defectum, quod cùm creaturæ rationalis sit quodammodo infinitum, nec satiari potest nisi infinito bono quod desiderat, solus autem DEUS est bonum infinitum, proinde tunc demum satiatur cùm ipsum obtinuerit. *Creasti nos Domine ad te*, inquit August: *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Tunc autem requiescit cor nostrum & desiderium, quando duæ illæ potentiæ, quibus à brutis discernimur, intellectus scilicet & voluntas ad perfectionis suæ apicem peruenerint. Et quidem perfectio intellectûs consistit in sapi-

1. 2æ. q. 1. a. 5. c.

Lib: 3. de Cōsol. prosa 2.

Lib: 1. Cōfess: c. 1.

entia & plena cognitione veritatis, nimirum cùm cognoſcemus & videbimus divinam veritatem ſicuti eſt, eo modo quo ſe ipſe DEUS cognoſcit, id eſt per ſuam eſſentiam, licet non comprehendamus ſicut ipſe ſe comprehendit. Quæ quidem diuina eſſentia coniungens ſe intellectui, eſt ſufficiens principium intelligendi, eſt fons totius bonitatis, vt nihil reſtare poſſit ad deſiderandum, nam hæc eſt vita æterna vt cognoſcamus. Voluntas quoq; noſtra tunc perficietur, cùm in fruitio-
Ioan: 17. ne ſummi boni delectabitur, id quod Pſal: 30. d *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.*

QUÆSIER. Quomodo deſiderium beatorum in æterna vita ſatiatur, cùm ipſi deſiderent plura cognoſcere quàm cognoſcunt? & Angeli cùm deſiderent proſpicere quomodo ſedatur eorum deſiderium? ℞. Vita æterna quietat deſiderium be-
1. Pet. 1. atorum cupientium omnia cognoſcere ex hoc quia DEUM cognoſcunt: ſicut quietatur deſiderium omnia bona habere cupiens in hoc quòd DEUS habetur. Sicut enim DEUS in hoc, quòd habet perfectam bonitatem ſufficit affectui, & in eo habito omnia bona habentur, ita eiùs cognitio ſeu viſio ſufficit intellectui. Angeli etiam deſiderant proſpicere videntes, non quòd deſiderium eorum non ſatietur: immò hoc ipſo arguitur ſatiatum deſiderium, quia ſumma cum iucunditate abſq; omni faſtidio proſpiciunt, ita vt nunquam fatigentur videndo, ſed viſo delectentur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Vita æterna, & à lapſu in peccatum, & ab amiſſione felicitatis omnes ſecuros facit. Et quidem à lapſu in peccatum ſunt ſecuri, non enim poſſunt peccare videntes intuitiuè & eſſentialiter DEUM, cùm ſint affixi tota intentione ad diligendum, quæ dilectio conſequens viſionem cum peccato nullo modo eſſe poteſt. Quare in fruentibus beato æuo eſt immota rectitudo, id quod eſt conſonum ſcripturis. Pſal: 83. Qui

83. *Qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te.* Apoc: 3. *Qui vicerit faciam illam columnam in templo Dei mei, & non egredietur amplius.* Quocirca in summa securitate non peccandi constituuntur. Si enim postquam vitam æternam consecuti sunt, adhuc manent in periculo peccandi, quid magni illi præstitum esset, qui *raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius?* DEINDE qui vitam æternam sunt consecuti in summa persistunt securitate non amittendi, vita enim æterna est status excludens omne malum, excludit igitur omnem metum amittendi boni quod possidetur, nam talis metus multum afflictivus. Iam vita æterna omne bonum habet oppositum omni malo, viuere DEO, viuere de DEO, visio ipsa & contemplatio DEI sapientiæ replet animam omnibus bonis. Et cùm illa vita æterna non habeat amaritudinem nec tædium, propria voluntate eam deserere, nec eam perdere DEO subtrahente, cùm enim subtractio beatitudinis sit pœna, non potest talis subtractio à DEO iusto Iudice venire nisi pro aliqua culpa, sed vt iam dictum est, in culpam cadere non possunt qui DEUM vident. Nec etiam aliquod agens potest æternæ vitæ beatitudinem subtrahere, quia mens DEO coniuncta super omnia alia elevatur. Quare æternum in delicijs visionis DEI paradisi cœlestis viuent, delectabuntur, iucundabuntur. Pulchrè Drexelius æternæ vitæ præmium enarrat. *Viuit*, inquit, *ibi memoria recordatione omnium præteritorum, viuit intellectus cognitione & visione Dei, viuit voluntas omniq; bono fruitur, viuunt sensus omnes suisq; fruuntur delicijs.*

DIXERIS, Si in vita æterna, est mensura hominis quæ est Angeli. Apoc:21. *Angeli autem beati & peccare possunt*, vt dicit Origen: Homil:23. in Luc. Et Iob: 4. *In Angelis suis reperit pravitatem: & aliquando per amissionem beatitudinis miseri fient*, vt idem Origen: in lib. Periarchon. d. Profectò etiam homines consecuti iam vitam æternam, & peccare possunt, vt vitam æternam amittere. ℞. Nec Angeli beati peccare possunt, aut

miseri fieri, neq; homines vitam æternam amittere. Quòd verò scriptura dicit in Angelis reperiri prauitatem, multifariam intelligi potest. Primò de Angelis viatoribus, vt Gregor. lib. 5. Moral: c.27. explicat. Reperta est enim prauitas in Lucifero. Secundò Angeli beati ex natura sua peccare possunt, ex vi beatitudinis seu visionis DEI non possũt, ita aliqui. Tertiò, nomine pravitatis non intelligitur peccatum, sed vel ignorantia vel aliquis defectus, quem superiores Angeli purgant in inferioribus, vt est apud Dionys: in cœlesti hierarch. vnde nec miseri fieri possunt beati tàm Angeli quàm homines, cùm nec culpa in ipsis reperiatur. Quartò nomine Angelorum intelliguntur iudices, in loco DEI tanquam nuntij eius residentes, in quibus inuenitur pravitas cùm non rectè iudicant: nam & Sacerdotes nomine Angelorum censentur, Malach: 2.

CATECHESIS II.

DE ADEPTIONE VITÆ ÆTERNÆ.

MAgnum & inæstimabile opus adeptio finis vltimi & vitæ æternæ, adeo vt vana & nulla iudicentur cetera omnia in comparatione illius: estq; Domini sententia. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, præstatq; nunquam nasci, quàm à vita æterna aliquando excidere. Quare de adeptione eius in ista Catechesi tria expedientur.

I. Qui intraturi sunt in vitam æternam?

II. Quid necessarium ad obtinendam!

III. Si iam aliqui intrauerunt?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Scito non omnes etiam fideles ad vitam æternam intraturos, sed eos duntaxat, *qui scripti sunt in libro vi-* Apoc. 21.

tæ Agni, immò multò plures in supplicia æterna descensuros, cùm veritas in Euangelio dicat. *Multi sunt vocati pauci verò electi*: quod dum ponderat Author libri soliloq. cap. 29. d. mirabundus. *Vidimus multos Domine & audiuimus à patribus nostris, quod vtiq; sine magno tremore non recolo, sine magno timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsq; ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsq; ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse*. Ergo in vitam æternam intraturi sunt, quicunq; scripti sunt in libro vitæ, id est illi, qui ordinati sunt ad habendam vitam æternam ex prædestinatione diuina, ait S. Thomas, sunt enim simpliciter scripti in libro vitæ, quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam in seipsa, & isti nunquam delentur de libro vitæ, iuxta illud 2. Tim: 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens hoc signaculum, nouit Dominus qui sunt eius*. Firmum hoc DEI fundamentum est DEI consilium, decretum & prædestinatio, quâ statuit vocare fideles ad fidem primò, deinde ad gratiam & perseuerantiam, tandem ad gloriam. Sed huius firmitatis fundamenti duo signa sunt, præscientia DEI & liberi arbitrij nostri cooperatio: præscientia DEI quæ falli & mutari non potest, liberi arbitrij cooperatio, de qua subiungit, *vt discendat ab iniquitate omnis*. Quare felix & beatus qui in libro vitæ ex diuina prædestinatione scriptus est, iam iste certò intrabit in vitam æternam: nam *prædestinatio* vt ait S. August. in lib. de bono perseuerantiæ, *est præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur*. Itaq; certissimè & infallibiliter prædestinatio suum effectum sortitur, de quo cap: 28. soliloq. *Qui scripti sunt in libro vitæ nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum*. Et istos Ioan: 10. oues suas vocat Christus, quæ nunquam perire possunt. *Oues*, inquit, *meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea, Pater meus quod dedit mihi, maius est omnibus, & nemo potest rapere de manu Patris mei, Ego & Pater vnum sumus*.

1. p. q. 24. a. 3. c.

Cap: 14.

DICES.

DICES. Incertum est omnes ad vitam æternam peruenturos, qui scripti sunt in libro vitæ, reprobi enim non peruenient, & reprobi scribuntur in libro vitæ de quo delentur Psal: 68. *Deleantur de libro viuentium*, nisi autem scripti fuissent, non opus esset eos inde deleri. ℞. Dupliciter dici potest aliquis scribi in libro vitæ simpliciter, id est ex prædestinatione & gratia: secùdum quid, id est, non ex prædestinatione sed solùm ex gratia. Itaq; qui scriptus est in libro vitæ secundùm quid, non ex prædestinatione sed solùm ex gratia, iste deletur, nec obtinet vitam æternam, quia ibi scriptus est, vt habiturus vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa. Qui verò scriptus est in libro vitæ simpliciter & ex prædestinatione non deletur, sed obtinebit vitam æternam, quia scriptus est, vt habiturus eam in seipsa.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, magnum est vita æterna, ad quam scriptus es in libro vitæ & prædestinatus: sed caue incidere in errores hæreticorum, dicentium prædestinationem & decretum DEI ad vitam æternam aut damnationem tollere libertatem arbitrij, sed ineuitabili necessitate alios damnari quantumvis bona faciant, alios saluari etiam nihil boni facientes, nec aliquid prodesse bona opera, nec obesse mala. Tu verò Christiane qui non desperas te prædestinatum & electum ad vitam æternam, magis satage, vt per bona opera certam tuam vocationem & electionem facias. Ipse Dominus prædestinatis ad vitam æternam perveniendi medium ostendit obseruantiam mandatorum, Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et alibi frequenter. *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, hic intrabit in vitam æternam.* Et, *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Et Apoc: 3. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Penitus opera bona

Caluin: lib. 2. Instit: c. 3.

2. Petr: 1.

na prædestinatis sunt necessaria. Ioan: 13. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Vitam æternam consequimur meritam bonis operibus, errorem autem Calvinisticum damnat vel Philosophus, lib 2. de cœlo. Tex: 64. d *Eorum quæ nata sunt habere bonum perfectum, aliquod habet ipsum sine motu, aliquid vno motu, aliquid pluribus.* Bonum perfectum est vita æterna, itaque DEUS in se beatus semper vitam beatam habet sine motu, quia ei conuenit quòd habeat naturaliter, Angeli verò proximiores diuinæ naturæ, superiores homine, consecuti sunt vitam æternam ex ordine diuinæ sapientiæ vno motu bonæ operationis, vno actu meritorio charitatis, longius meritum protrahentes & perseverantes in merito gratiam conseruauerunt, nobis verò necessarius est conatus, vt multis motibus meritorijs bonorum operum vitæ æternæ participes efficiamur. Huc te Christiane ducunt monita scripturarum. *Quodcunq; potest manus tua instanter operare.* Eccl. 9. Et *Dùm tempus habemus operemur bonum.* Et *Qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam* Gal. 5. *æternam.* Et, *Itaq; fratres mei stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Hinc August: vel quisquis est Author Manualis cap: Tom. 9. 16. *Si quæras*, inquit, *quomodo possis ad vitam æternam pervenire? audi, res ista posita est in potestate facientis, quoniam regnum cœlorum vim patitur.* Et vltra. *Non regnet peccatum in mortali corpore tuo, sed Spiritus in acquisitione vitæ.*

QUÆSIER. Quomodo poterit quis vitam æternam per sua quævis merita & bona opera obtinere, cùm non sint proportionata vitæ æternæ? dicit enim Apostolus. *Non sunt condignæ* Rom. 8. *passiones huius vitæ ad æternam gloriam*: DEUS quoq; qui est agens virtutis infinitæ, etiam sine istis dispositionibus meritorum potest vitam æternam illicò sicut infantibus baptizatis facit, conferre. ℟. Verum est opera meritoria ex se ipsa spectata non habent proportionem ad vitam æternam, quatenus verò fiunt in gratia, ex inspiratione & auxilio Spiritus Sancti,

 sunt

ſunt meritoria & proportionata, & quia illa DEUS in meritum acceptat. Deinde licet ſit agens virtutis infinitæ, nec præexigat merita noſtra ex parte ſuæ virtutis, præexigit tamen vt ſervetur ordo in rebus, quia ſicut abſq; demerito nemo damnatur, ita abſque merito nemo vitam æternam conſequitur, quam infantes baptizati conſequuntur merito paſſionis Chriſti.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHriſtiane, Fratricelli hæretici, de quibus Bernard. Lutzemb. lib. 2. l. T. viſionem animarum Sanctarum dicebant differri vſq; ad nouiſſimum diem. Fides autem Catholica docet, ante Chriſti quidem paſſionem & mortem, nullas animas ad vitam æternam intraſſe: nunc tamen quæ nihil habent purgandum, ſtatim poſt mortem vitæ æternæ conſortes fieri. Ante paſſionem, inquam, Chriſti nullæ animæ ad vitam æternam intrauerunt, quia nemo poterat æternæ vitæ potiri gaudijs ante perſolutionem pretij (quo de ſtatu ſervitutis, in ſtatum Filiorum DEI aſſerti ſumus) hoc autem pretium non fuit perſolutum niſi in paſſione Chriſti, qui ideo Hebr: 9. *Noui teſtamenti mediator appellatur, vt morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis.* Jlle enim morte ſua aperuit ianuam regni cœleſtis quæ clauſa fuit peccato Adæ: poſt cuius peccatum, *Collocavit Deus Cherubim & flammeum gladium atq; verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* (Gen: 3.) Proinde dùm Catalogum Sanctorum veteris teſtamenti texit Apoſtolus Hebr: 11. infert de illis. *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt promiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente vt non ſine nobis conſummarentur.* Vnde licet dicatur anima Lazari in ſinu Abrahæ conſolari, qui ante Chriſti Paſſionem mortuus fuit, non de bonis tamen vitæ æternæ iam obtentis, ſed de obtinendis conſolabatur, atq; de ſuperatis miſerijs vitæ

præ-

præſentis,& de ſecuritate futuræ vitæ æternæ. Nunc iam poſt Chriſti mortem animæ Sanctorum in vita æterna ad ſatietatem DEO perfruuntur, quarum primitias in ſua Aſcenſione duxit in cœlum. Ita Ss. Apoſtoli & Martyres vita functi, continuò bonis vitæ æternæ perfruuntur, 2. Cor: 5. *Scimus*, ait Apoſtolus, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis.* Et infra. *Dùm ſumus in corpore peregrinamur à Domino, audemus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Dominum.* q. d. malumus abeſſe à corpore, vt liceat nobis adeſſe DEO eiuſq; præſentiâ perfrui, ideoq; ad Philipp. 1. deſiderium habuit diſſolui & eſſe cum Chriſto, qui promiſſis non fefellit latronem. *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiſo.* Sed fortè.

QUÆSIER. Sicut ſe habent mali ad pœnas inferni, ita Sancti ad præmia cœli. Si autem mali nondum ſunt in pœnis inferni, quia in noviſſimo die illuc verbis illis. *Diſcedite maledicti in ignem æternum*, ſentētiabuntur: quomodo Sancti ante nouiſſimum diem præmia vitæ æternæ poſſident? ℞. Damnati iam ſunr in pœnis inferni ſecundùm animam, ſententiabuntur autem in nouiſſimo, cum manifeſtatione totius mundi etiam cum corporibus: ita animæ Sanctorum iam perfruuntur æuo beato, aſſumentur autem noviſſimo die cum corporibus.

CATECHESIS III.

DE BONIS BEATORVM IN VITA ÆTERNA.

PRæmium eſſentiale beatorum in vita æterna eſt videre diuinam eſſentiam, ita ſicuti eſt in tribus perſonis. Nam ex hoc ſolo eſt aliquis beatus, quòd DEUM intelligit, quæ intellectio viſio appellatur. lib. 5 Confeſſ. c. 4. S. Auguſt. d. *Beatus eſt qui te nouit, etiamſi alia ignoret.* Sed quia animæ Sanctorum 1. p. q. 26. a. 3.

dotantur specialibus donis, illa in hac Catechesi consideranda sunt, quæ in tribus propositionibus explicare conabimur.

I. Quibus dotibus beati exornantur?
II. Quibus aureolæ debentur:
III. Quid fructus significent?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, vt Sponsa in traductione ad domum Sponsi, assignatione dotium exornatur in solatium matrimonij: ita animæ Sanctorum ceu Sponsæ in introitu ad beatitudinem, donis certis seu dotibus cumulantur: quibus DEO tanquam principio vitæ suæ sine habitu medio coniunguntur, & per has traducuntur in amplexus Sponsi indissolubiles. Hinc illa anima Isai: 61. *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Et Ezech: 16. *Ornata es auro & argento, & vestita es bysso & polymito & multis coloribus.* Est enim dos, aliquid animæ inhærens, per quod ordinatur ad operationem, in qua consistit beatitudo. Sunt enim dotes propriè immediata principia illius operationis, in qua perfecta beatitudo consistit, per quam anima Christo coniungitur: operatio autem in qua consistit vltima beatitudo, id est cognitio seu visio, quia debet esse perfectissima altissimæ potentiæ, id est intellectiuæ, & circa obiectum altissimum nempe DEUM, ideo bebet esse delectabilis, tàm ex parte obiecti scilicet visibilis, quàm ex parte ipsius operationis, id est cognitionis seu visionis. Vt verò sit delectabilis ex parte ipsius operationis, oportet quòd sit facta connaturalis videnti per aliquem habitum. Porrò vt sit delectabilis ex parte obiecti, debet obiectum esse conueniens & coniunctum cognoscenti seu videnti. Ergo ad delictabilitatem visionis ex parte sui requiritur habitus, qui visionem eliciat, & sic est dos, quæ dicitur VISIO. Ex parte obiecti visibilis duo & sui requirun-

Dos quid?

runtur, scilicet conuenientia quæ est per affectum dilectionis: illud enim conuenientissimum æstimamus quod summè diligimus. Et sic est dos quæ ab aliquibus dicitur DILECTIO. ab aliquibus FRUITIO. Requiritur etiam ex parte obiecti seu visibilis coniunctio, & sic est dos, quæ dicitur comprehensio, quæ est DEUM in præsentia habere & in seipso tenere; seu vt alij dicunt Fruitio, atq; hoc modo, tres huiusmodi dotes numerantur. Visio. Comprehensio, Fruitio, respondentq; tribus virtutibus Theologicis. Visio seu cognitiò Fidei, cui & succedit iuxta illud. 1. Cor: 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Videbimus enim DEUM in se sicuti est, & DEUM in nobis, quia erit omnia in omnibus. 1. Cor: 15. Videbimus nos in DEO, & DEUM in creaturis, & creaturas in DEO. Cognoscere autem DEUM in sua essentia est visio meridiana; cognoscere creaturas in Verbo seu in DEO, est visio matutina: cognoscere verò creaturas in se, id est in proprio genere, est visio vespertina. Comprehensio respondet Spei, quod enim hic speramus, ibi firma comprehensione tenebimus, Cant: 3. *Tenui eum nec dimittam.* Fruitio respondet charitati, quæ includit in se, & dilectionem & comprehensionem. Vel etiam istæ tres dotes possunt respondere tribus appropriatis trium Personarum, Comprehensio respicit potentiam Patris. Visio seu cognitio sapientiam Filij, Fruito seu dilectio bonitatem Spiritus Sancti.

QUÆSIER. Quomodo dotes à beatitudine differunt, cùm beatitudo in illis consistat, visio enim est tota beatitudo? ℞. Differunt, quia dotes magis ordinantur ad beatitudinem, quàm sint beatitudo, & quidem visio sumpta pro actu ipso operationis, id est visionis, est beatitudo, sumpta verò pro habitu quo talis operatio elicitur, id est pro ipsa claritate gloriæ, quâ anima diuinitus illustratur ad videndum DEUM, dos appellatur. Ergo beatitudo est operatio, quâ anima DEO coniungitur, dos verò est qualitas, quæ ad eiusmodi operationem ordinatur.

QUÆSIER. adhuc. Cùm Ecclesia sit Sponsa Christi cui dotes dantur, & vna est Ecclesia ex hominibus & Angelis, cur ergo Angelis non dantur dotes? ℟. Vna est Ecclesia ex hominibus & Angelis, quatenus Ecclesia est vnum corpus mysticum, & vna multitudo ad vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis, ordinata, non tamen Angeli pertinent ad eandem Ecclesiam, quatenus Ecclesia est Sponsa Christi, quem sibi per mysterium Incarnationis & passionis desponsauit, vt proinde dicatur in figura. Exod. 4. *Sponsus sanguinum*, cùm verò Christus non desponsauit sibi Angelos per passionem & sanguinis effusionem, quia non aliter post passionem illis coniuctus fuit quàm ante; nec illi sponsæ rationem habère possunt, sed sodales potius Sponsi (vt Origenes dicit) Angelis ratio dotis non conuenit, licet ea, quæ ad dotes animæ pertinent, tàm Angelis quàm hominibus conueniunt.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, præmium essentiale, quo Sancti in vita æterna beantur, aurea corona appellatur, Eccl: 45. *Corona aurea super caput eius*, aureola autem est præmium accidentale, quod essentiali superadditur, iuxta illud Exod. 25. *Facies & alteram coronam aureolam*. Et hæc ita definiri potest, vt sit gaudium beati de operibus excellentis victoriæ ad imitationem Christi. *Aureola quid?* Corona enim non datur nisi legitimè certantibus. Sunt tres *2. Tim: 2.* status hominum qui excellenter pugnantes vincunt ad imitationem Christi, scilicet Martyres, Doctores, & Virgines, istis aureolæ distribuuntur, queis vt suis imitatoribus in prælio hunc Christus tribuit honorem. Apoc. 3. *Qui vicerit faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici, & sedeo in throno Patris mei.* Vicerunt mundum Martyres, de quibus Ecclesia. *Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat nec querimonia, &c.* sic *Isai: 53.* ipse Christus, sicut ouis ad occissionem ductus est. Perfecta & excellens victoria Martyrum, tùm quia id quod grauissimum

est

est inter passiones exteriùs illatas, mortem scilicet tolerauerunt & quid morte acerbius? lib. 3. Ethic. c. 6. Philos: dicit. *Omnium terribilium nihil morte terribilius, nihil acerbius, cùm sit rerum omnium extremum; mortem illi vicerunt, non cesserunt supplicijs, sed ipsis potiùs supplicia cesserunt*, ait S. Cypria: tùm quia id quod grauissimum est, pro amore Christi pertulerunt, Psal. 43. dicentes. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis*. Quare *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, Psal: 115. meritò mors illa præstantissima aureolâ decorata. Doctores etiam quia vicerunt diabolum, ipsum à se & ab alijs sanctâ doctrinâ coërcendo Christum docentem imitati aureolâ decorantur, Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt: &c.* In cap. 1. Ephes. Gloss: Ord. d. *Quoddam incrementum gloriæ habebunt Doctores, vltra illud quod cõmuniter omnes habebunt*. Item super Cant. 8. eadem Gloss. *Ostendit*, inquit, *quid singularis præmij Doctoribus eius disponat*. Verùm hoc præmium nonnisi illis datur, qui actu docent & prædicant, non solùm ex officio vt Prælati, Episcopi, & qui curam exercent animarum, de quibus Concil. Trid: Sess. 5. cap. 2. sed quicunq; licito modo prædicant. Et qui Prælati non prædicant per se, tametsi per alios prædicant, eis aureola prædicationis non debetur, non enim habitui sed actui aureola deputatur. Nec Virgines aureolâ destituentur, vicerunt enim certamen forte quod datum est illis, carnem propriam cum eius concupiscentijs Virginem Christum imitatæ Sap: 10. subegerunt, de quibus Gal. 5. *Qui sunt Christi crucifixerunt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs*. id est *crucifixerunt & compresserunt*, inquit August: *timore illo casto, qui permanet in seculum seculi, quo cauemus offendere illum, quem toto corde, anima & mente diligimus*. Quare Isai: 56. Hæc dicit Dominus Eunuchis. *dabo eis in* Psal. 18. *domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus*. Gloss: Ord: super cap. 25. Exod. d. *Ad coronam pertinet canticum novum, quod Virgines coram agno concinunt, scilicet quæ sequuntur agnum quocunq; ierit*. Sed hæc aureola illis propriè Virginibus debe-

debetur, quæ firmum propositum seruandæ Virginitatis habuerunt, non quæ ad nuptias indifferenter se habebant.

QUÆSIER. Si aureola est præmium pro operibus excellentis victoriæ, profectò vbi non est victoria non est etiam aureola, & vbi non est pugna, nec victoria est, In B.V.M cùm non fuerit pugna carnis, fomitis enim corruptione non fuit infestata. Ergo non fuit in ipsa victoria: Si igitur aureolam habet? ℟. Verum est non fuit infestata à fomite carnis, nec pugnam sensit à carne: immunis tamen non fuit à pugna ex parte inimici, qui ipsum etiam Christum foris adortus erat, sic ista Virgo cum illo hoste pugnam habuit & vicit. Et quia propositum perpetuæ semper Virginitatis seruauit, aureolam excellentissimam super omnes habet.

QUÆSIER: iterum. Sponsæ introducendæ in domum Sponsi, quia pater suus tribuit dotem; animæ autem sanctæ quando ad gloriam transfertur quis tribuit? ℟. Tota Ss. Trinitas, quæ est Pater animæ sanctæ, ideo illa tribuit & confert dotem, quod potest singulis personis oppropriari. Personæ Patris vt danti quia ipse æthios, in ipso authoritas. Personæ Filij in quantum propter ipsum & per ipsum datur. Personæ Spiritus Sancti, in quantum in ipso & secundum ipsum datur, amor enim est ratio omnis dationis.

QVANTVM AD TERTIVM.

Psal. 125. CHristiane, cum Propheta dicit. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*: Cogita fructus qui referuntur ex semine verbi DEI; exultabunt enim portantes manipulos suos Ex doctrina S. Thomæ, in 4. dist. 49 q. 23. art: 1. & 2. *Fructus in* Fruct⁹ quid? *hunc modum notificari potest, vt sit præmium seu gaudium, quod habetur de dispositione operantis à carnali vita ad spiritualem transeuntis.* Quare præmium istud debetur ei virtuti, quæ hominem à subiectione carnis in libertatem Spiritus vindicat, & hæc virtus est continentia. *Nam incontinentia ita animam carni subijcit, vt in illo*

illo actu carnali, nec Spiritus Prophetiæ tangat corda prophetarum, ait S. Hieron. *nec intellectus poſſit ſuum munus exercere.* Ait enim Philoſophus. *Impedit voluptas conſilium, eoq; magis quo maior ſit* Lib. 3. Ethic. c. 11. vt Veneris, qui enim in ea ſit, nihil cogitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poteſt. Quare cùm tripartita ſit continentia, Virginalis, vidualis, & coniugalis, tribus quoque partibus iſtis fructus aſſignantur. Virginibus in centum, Viduis in ſexaginta, in triginta coniugatis: quam differentiam fructuum in ſeminatione oſtendit Dominus Matt:13. *Qui*, inquit, *in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum & intelligit & fructum affert: & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.* In qua parabola Gloſſ: Ord: dicit aſſignari fructùs Virginitati, viduitati, & continentiæ coniugali. Ratio horum ex natura numerorum aſſignatur. Primò tricenarius numerus conſurgit ex ductu ternarij in denarium, aſſignatur hic nùmerus coniugatis in quibus eſt obſeruatio Decalogi cum fide Trinitatis. Deinde ſenarius numerus ex cuius ductu in denarium exurgit ſexagenarius, aſſignatur viduitati, quæ nullis delectationis carnis vtens, exercet ſe in operibꝰ miſericordiæ per ſexaginta ſignificatis. Hinc 3. Reg: 6. domus ædificata à Salomone habebat ſexaginta cubitos in lõgitudine: hæc eſt longaminitas viduarum. TANDEM denarius, ex cuius ductu in ſeipſum exurgit centenarius, aſſignatur Virginitati, qui quidem denarius, quia eſt limes numerorum, ſimiliter Virginitas tenet limitem ſpiritualitatis, quia nihil ad eam de ſpiritualitate addi poteſt, ſumma eſt caſtitas, ſumma Spiritualitas. Centenarius numerus eſt quadratus, ex quo hîc perfectionem ſpiritualitatis ſignificat. *Quadratum autem eſt perfectum, ex omni parte æquale, habens omnia latera æqualia, vnde Corpus tetragonum ſeu quadratum, quomodocunq; proijciatur*, ait Philoſophus *ſemper firmum ſtat.* Virginitati ergo centenarius adoptatur, in qua quantum ad omne tempus æqualiter incorruptio invenitur & vita cœleſtis.

QUÆSIER. Quomodo ea quæ Virginibus, viduis & coniugatis adoptantur, fructus appellantur, cùm fructus nominet speciale præmium, ista autem sunt communia omnibus Sanctis, omnes enim saluandi sub aliquo horum trium continentur? R. Non semper præmium est fructus, sed latius patet, quod est gaudium de omni eo opere, sine quo non est salus: vnde præmium non solùm essentiale, sed etiam aliquod accidentale commune est omnibus saluandis, non tamen fructus, nam illis qui in fine pœnitent de incontinentia, non convenit fructus, præmium tamen habent.

CATECHESIS IV.

DE POENIS DAMNATORVM.

SIcut præmium beatis, ita pœna decreta damnatis. Et sicut beati in cœlesti Patria in anima & corpore præmiantur, ita damnati in inferno in anima & corpore puniuntur. Et quanquam nec Ss. Apostoli in Symbolo fidei; nec Patres Nicæni de pœnis damnatorum quidquam meminerunt, quia tamen S. Athanasius suum Symbolum concludit dicens. *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*: quod & in Euangelio dictum est. Quare in ista Catechesi de pœnis damnatorum fido populo ad terrorem & cautelam aliquid est annuntiandum, in qua tria proponentur.

Ioan: 5.

I. Quid patientur damnati in corpore?

II. Quid verò in anima?

III. An pœna eorum finietur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, quamvis in scripturis pœnæ damnatorum proponantur, nondum tamen ita plenè vt in se sunt exponuntur. Dicitur Eccl: 39. *Ignis grando, fames & mors, omnia hæc ad* vin-

vindictam creata sunt. Sicut enim per multa peccauerunt reprobi, ita quoq; per multa punientur: hoc iustitiæ ordo requirit. Deut: 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus*; & qui in multis peccando finem suum constituerunt, ita multipliciter ex multis affligentur. Sap: 11. *Per quæ quis peccauit, per hæc & torquetur*. Quare sicut beatis omnis creatura erit materia gaudij, ita damnatis ex omni creatura tormentum accrescet. Psal. 10. *Ignis, grando, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Ignem sæpissimè scripturæ commemorant, Matth: 25. *Discedite maledicti in ignem æternum*; quamvis non solum ignem patientur, sed etiam frigus intensum, non ad refrigerium, sed ad maius tormentum, Iob: 24. de damnato. d. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*; quod dùm ponderat S. Gregor. d. *Duplex ostenditur esse gehenna, nimij frigoris, & intolerabilis feruoris*. Cùm autem varijs pœnis affligantur damnati in corpore, ignis tamen frequentissime inter tormenta eorum nominatur, eò quòd sit maximè afflictivus, vnde per illum & nomine illius omnis pœna vehementer affligens designatur. Deinde tenebræ exteriores annumerantur pœnis malorum, ita enim Matth: 22. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores*. Manus ligantur quæ sunt organa operationum, quia non poterunt damnati bonis operibus mereri aut pœnis se absoluere: pedes ligantur, quia de loco tormentorum non poterunt exire; in tenebras exteriores mittentur, quia licet in igne sint, ignis tamen ille tenebras non depellit: nam ignis ille feculentus, turbidus, & fumosus. Causam materialem illarum tenebrarum, in 4. dist. 50. q. 7. art. 4. ex quorundam sententia S. Thom. dicit *comessationem corporum damnatorum, quæ præ multitudine replebunt locum inferni, ita quòd ibi nihil de aëre manebit, atque ita nihil erit ibi de diaphano, quod possit esse subiectum lucis*. Scito tamen Christiane futurum ibi aliquid luminis, vt videant damnati ea, quæ ad tormentum ipsorum pertinent, & ex illa visione magis affligantur. Isai. 26. *Videant & confundantur Zelantes*

Isai: 24. v. 22. Congregabũtur in cõgregatione vnius fascis, in lacũ, & claudẽtur ibi in carcere.

tes populi, & ignis hostes tuos devoret. Affligentur & fletu perpetuo, nam ibi *erit fletus & stridor dentium.* Non quòd fundant lachrymas, id enim impossibile, cùm non sit ampliùs generatio humorum qui ex lachrymis resoluantur, cessante motu cœlesti cessabit generatio & corruptio, fletus ergo ille erit, in quadam commotione & turbatione capitis, in eiulatu, clamore & execratione pœnarum atq; diuinæ iustitiæ, in summa tristitia & defectu oculorum. Affligentur fætore intolerabili, tùm ex corporibus fætidis damnatorum, tùm ex loci ipsius fæditate. Isai: 34. *De cadaveribus eorum ascendet fætor.* Affligentur fame & siti, nam & ille diues epulo guttam aquæ petijt, qui micas panis Lazaro negauit. Affligentur timore horribili ex aspectu teterrimorum dæmonum.

Luc. 16.

QUÆSIER. Quare corpus punietur cùm non peccauit, peccatum enim ita est voluntarium, *vt si non sit voluntarium, non sit etiam peccatum,* vt dicit August. voluntas autem non est potentia corporis sed animæ? ℞. Non solùm principalis in malo opere meretur pœnam, sed etiam complex, exequendo consilium, præceptum, &c. Corpus igitur quamvis non sit principale agens in malo opere, est tamen complex, in executione obtemperando voluntati, & propterea iustè corpora damnatorum pœnas inferni patientur.

Lib: 3. de lib. arb. c. 17.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, damnati in anima gravissimam pœnam, eamque principalem, æternam, scilicet carentiam diuinæ visionis patientur, quæ visio est vltimus creaturæ rationalis finis. Isai. 26. de damnato. d. *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini;* quæ pæna damni debita malitiæ auersionis in peccato mortali. Qui enim auertit se à bono & contemnit bonum, meritò priuatur bono contempto, quia peccatores contempserunt peccando mortaliter infinitum bonum, meritò in infinitum carebunt eodem bono. Patiuntur damna-

damnati malam & obstinatam voluntatem, sicut & dæmones quam ad bonum nunquam flectent, semper ad malum. Et quamvis naturali voluntate, quæ eis inest ab Authore naturæ velint aliquod bonum, deliberatiua tamen voluntate, quæ eis inest à seipsis, nunquam ad bonum inclinantur sed ad malum, & hoc ideo, quia plenè & perfectè sunt auersi à fine vltimo rectæ voluntatis, ait S. Thomas, proinde deliberata ista voluntate vellent omnes bonos esse damnatos, Hinc Gloss. Ord. in Isai: c. 14. d. *Solatium est malorum multos socios habere pœnarum.* Ipsum fontem bonitatis DEUM Benedictum oderunt & blasphemant, Apoc. 16. *Æstuauerunt æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.* Patientur & pœnam sensûs ab igne infernali & alijs afflictiuis, quæ pœna debita est malitiæ inordinatæ conuersionis ad prosequendum bonum creatum: & quia peccatores amorem creaturæ prætulerunt amori Creatoris, meritò à creatura patiuntur. Octo pœnarum genera iuxta leges designauit Tullius. nempe *Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Mortem, Servitutem.* Et hæc damnatis assignantur. Patiuntur namq; DAMNUM, quia amiserunt DEUM & omnia bona tàm gratiæ quàm gloriæ, non solùm in re, sed etiam in spe. *Grauis est pœna desperatio, quæ est homicida animæ* vt ait August. occidit enim Cainum & Iudam & hanc patiuntur damnati: VINCULA patiuntur, ligantur enim manus & pedes, in compedibus & manicis ferreis. VERBERA, Prou: 19. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Patientur TALIONEM, Apoc: 18. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* IGNOMINIAM patientur & confusionem sempiternam. Quare Basil. in Psal. 33. *Velim,* inquit, *cogites supplicium omnium grauissimum, opprobrium illud & confusionem sempiternam.* EXILIUM patientur, quia proijcientur in tenebras exteriores, vt qui in vita dilexerunt tenebras magis quàm lucem; tenebras, inquam, interiores peccatorum, tunc eijcientur

In 4. dist: 5. q. 5. a. 1.

Matth. 8.

Psal. 149.

Ioan: 3.

entur in tenebras exteriores. MORTEM patientur. *quæ depascet eos & semper ibi viuit*, ait Gregor. *mors illa secunda.* SERVITUTEM patientur semper manentes sub tributo, & nunquam exsoluentes.

Psal: 48. Apoc: 20 Thren: 1.

QUÆSIER. Quomodo anima spiritualis substantia patitur ab igne corporeo, aut quomodo ignis potest agere in animam, vtiq; agens nobilius est passo? R. Ignis corporeus non habet ex natura sua vt possit agere in spiritum, habet tamen ex sua natura quòd spiritus incorporeus possit ei coniungi vt locatum loco. Porrò vt anima patitur ab eo, hoc fit, quia vt est instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis peccata, habet vt virtute diuina spiritum quodammodo retineat alligatum, & hac ratione ignis ille veraciter spiritui est nocivus, vt detinens illum: atq; sic spiritus videns ignem vt nocivum sibi, scilicet detinentem se, ab igne patitur & cruciatur.

Ex 3. de anima. Tex. 19.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, de duratione pœnæ damnatorum, multipliciter varij sunt opinati. Et Origenes quidem pœnam omnium damnatorum, etiam dæmonum aliquando terminandam existimauit. Sed opinio ista manifeste scripturæ contradicit, dictum est enim Apoc: 20. *Diabolus qui seducebat gentes, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Sicut enim boni Angeli effecti sunt beati per conuersionem ad DEUM, ita mali effecti sunt miseri per auersionem à DEO: porrò boni Angeli æternaliter & absq; fine sunt beati, certè mali æternaliter sine vllo fine sunt miseri; pænasq; sine fine patiētur. Alij autem senserūt pœnas quidem dæmonum fore æternas, homines tamen omnes etiam infideles aliquando à pœnis liberandos. Verùm & hoc irrationabiliter dicitur, & contrariatur illi decreto Matthæi 25. *Ibunt reprobi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Nam *hoc est hominibus mors, quod est angelis casus*, ait Damasc:

Lib: 2. c. 4.

masc: & quia angeli post casum irreparabiles semper obstinati in malitia, & ideo puniendi, ita homines post mortem irreparabiles & obstinati, qui sine charitate decesserunt, puniendi proinde sine termino. Iob: 7. *Qui descenderit ad inferos non ascendet.* Eccl: 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit,* scilicet, in quo affectu quis decesserit boni vel mali, in eò permanebit. Postremò nonnulli concedebant dæmones & infideles in æternum cruciandos, fideles tamen Christianos qui Sacramenta fidei perceperunt quandoq; liberandos. Verùm & hoc contradicit doctrinæ Apostolicæ. 1. Cor: 6. de malis Christianis, d. *Iniqui regnum Dei non possidebunt.* Et 2. Petr: 2. *Melius erat eis viam veritatis non agnoscere.* Et quia sola fides neminem saluat, quæ sine operibus mortua est, vnde etiam morientes in fide Catholica, quicunq; in peccato mortali decedunt, nunquam saluabuntur, sed in æternum punientur. Deniq; alij dixerunt dæmones, infideles, & malè viuentes vsq; in finem Catholicos, in æternum damnandos, facientes tamen opera misericordiæ aliquando liberandos, quia dictum est. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed istud quoq; pugnat cum veritate, multi enim fornicarij, adulteri, & alij scelesti faciunt opera misericordiæ, tamen 1. Cor: 6. *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, neq; fures, neq; ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et Hebr. 13. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus,* id est æternæ mortis supplicio condemnabit. Et eleemosyna quidem multum iuvat, nisi tamen ex charitate perfecta fuerit, in meritum non reputatur. 1. Cor: 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest:* sunt autem plurimi qui sine charitate tribuunt, vt illi qui tubâ canebant dantes. Quare Christiane id firmissimè persuasum habeas, nullius damnati pœnas in æternum terminandas, sed qui peccauerit contra DEUM æternum, bonum æternum contemnens vitam æternam, *dignus factus est malo æterno,* *qui*

Iacob: 2.

Matth: 6.

Lib: 21. de Ciuit. c. 12. *qui in se peremit bonum, quod posset esse æternum* ait August: *Et qui peccauit in suo æterno, dignus est puniri in æterno Dei*, inquit Gregor. voluit enim sine fine viuere, vt sine fine potuisset in suis iniquitatibus permanere.

Lib: 4. Dialog. c. 44.

QUÆSIER, Cùm DEUS creaturam rationalem ad beatitudinem condiderit, cur non perducit? dicit enim Anselm: lib 2. Cur DEUS homo. a. 4. *non est iustum vt Deus creaturam quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat.* ℞. Perducit, & non finit totum genus creaturæ rationalis perire, alias vanè constituisset omnes filios hominum. Saluat ergo de hoc genere multos, ostendens diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam, damnat autem æternaliter vasa iræ apta in interitum.

Psal: 88.

Rom. 9.

QUÆRIT. Magist: sent: lib: 2. dist: 23. *Cur Deus creauit quos malos futuros præsciuit?* ℞. *Sciebat*, inquit, *bonis profuturos, & iustè pro mala voluntate puniendos: acceperunt enim à Deo bonam naturam, sed à se habuerunt malam voluntatem, & à Deo acceperunt iustam pœnam.*

QUÆRIT. iterum lib. 4. dist: 50. *an iusti videntes pœnas damnatorum misericordiâ moueantur?* ℞. *Nullo modo*, adeò enim iusti DEI iustitiæ addicti sunt, vt nulla ad reprobos compassione moueantur: nec parentes super damnatos filios, nec filij super damnatos parentes, quin etiam diuinam iustitiam in eo laudabunt. *Videntes electi*, inquit Gregor, *cruciatus malorum, non dolore afficientur, sed lætitiâ saturabuntur, agentes gratias de sua liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam.* Hinc diuiti in tormentis existenti Abraham respondit, *Inter nos & vos chaos magnum firmatum, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neq; inde huc transmeare.*

Psal: 75.

Luc: 16.



CATE-

CATECHESIS FINALIS.

DE PVRGATORIO.

QUi purgantur post mortem, medij sunt inter beatos & damnatos: participant enim cum beatis consolationem de certitudine spei æternæ gloriæ, quam beati firmiter & absq; omni formidine amittendi, possident. Cùm damnatis participant pœnas & cruciatus acerbos, quos ad tempus disponente diuina iustitia patiuntur. Quare proposito statu beatorum in vita æterna, iuxta ambitum præsentis huius vltimi symboli Apostolorum articuli: ostensa quoq; æternâ damnatorum pœnâ, operæ pretium est. Christianum de purgatorio post mortem instruere, quod in hac finali Catechesi conabitur Catechista, in qua tria explicabit.

I. Sitne post mortem purgatorium?
II. In quo loco?
III. A quo puniuntur & quàm grauiter?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, hæretici qui nihil credunt, etiam purgatorio animarum post mortem, fidem detrahunt: negantes post mortem aliquem statum esse medium animarum inter beatos & damnatos: huius sententiæ Rhutheni. Waldenses, Wiclesfitæ, Husitæ, nunc Lutherani & Calvinistæ. Porrò Ecclesia Catholica semper credidit esse aliquas Sanctorum animas, quæ egressæ de corporibus, non statim regnant cum Christo, sed ad tempus in pœnis vltimum exolvunt quadrantem. Ita Concil. Trid: Sess. 6. Can: 30. de iustificat. *Si quis*, inquit, *post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri, dixerit, vt nullus remane-*

at reatus pænæ temporalis exoluendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, Anathema sit. Et in principio Sess: 25. purgatorium esse decernit post mortem. Deducitur hæc doctrina ex scripturis tàm novi quàm veteris testamenti. In veteri testamento Gen: 37. Iacob Patriarcha multo tempore luxit Ioseph filium suum existimans mortuum; & luctus ille suffragatorius erat pro mortuo. Item 2. Reg: 1. David super Saul & Ionatha, & populo Israël qui corruerunt in prælio, ieiunauit. Item 1. Reg. 31. *Ieiunauerunt viri Iabes Galaad septem diebus.* Beda id ponderans d. *Rectè & ad literam pro mortuis, vt ad requiem pervenire valeant, septem diebus ieiunatur, quia post sex seculi huius ætates, in quibus in carne laboramus, septima est in illo seculo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beatæ, tempus illud glorificum, quando resurgere merentur expectant.* Tob: 4. pro mortuis eleemosyna fieri mandatur. *Panem tuum,* inquit, *& vinum tuum super sepulturam iusti constitue*: panem nominat & vinum, quia hæc in novo testamento transmutata & in corpus & Sanguinem Christi, pro viuis & defunctis offeruntur. Item Eccl: 7. *Mortuo ne deneges gratiam.* Sicut hæretici denegant & prohibent orare. 2. Machab. 12. Pro mortuis sacrificium oblatum, vbi etiam dicitur. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Sciebant enim illi antiqui patres, mortuos qui piè defuncti erant non separari à populo DEI, quare sicut sacrificabant pro totius populi etiam absentium peccatis, ita intelligebant & pro defunctis posse etiam sacrificari. Novi quoq; testamenti scripturæ purgatorium esse convincunt, vbi animæ à peccatis purgantur, & remissionem consequuntur. Ita enim Matth. 12. ipse Dominus docet quædam peccata remitti in futuro seculo, d. *Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum non remittetur ei neq; in hoc seculo neq; in futuro*: quod Greg: lib. 4. Dialog: c. 39. ponderans. d. *Hâc sententiâ datum intelligi, quasdam culpas in hoc seculo quasdam in futuro posse relaxari, quod enim de vno negatur, consequens*

sequens intellectui pátet, quia de quibusdam conceditur. Si enim peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile in futuro. Ergo aliquod peccatum est ibi remissibile: nam per locum à contrario sensu sumitur efficax argumentum. Et hoc verbum in pluribus locis, lib. 21. de Ciuit. c. 24. & lib. 6. contra Iulian: cap. 25. & alibi ponderat August. neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neq; in hoc seculo neq; in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro. Et Matth: 5. In carcerem mitteris, *amen dico tibi; non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*. Quid carcer iste post mortem nisi purgatorium? quid nouissimus quadrans nisi minuta peccata? Neq; id intelligere poteris de incarceratis in inferno, quia illi non possunt reddere. De igne purgatorij 1. Cor: 3. disertè Apostolus loquitur. *Si*, inquit, *cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Apoc: 5. Creatura existens sub terra laudat DEUM. *Omnem*, inquit, *creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari & quæ in eo, omnes audiui dicentes, sedenti in throno & agno, benedictio, & honor, & gloria.* Philipp: 2. *In nomine genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Non hæc damnati sub terra & in inferno faciunt. Ergo in purgatorio, quod vniuersa Ecclesia semper agnoscit. August: epist: 117. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* Esse verò hoc dogma Catholicum, deduxi in tractatu de invenienda vera DEI Ecclesia, Conclusione 5. art: 4. argumen. vltimo: Iuuari animas in purgatorio ieiunijs, eleemosynis, orationibus, alijsq; Ecclesiæ suffragijs maximè verò suffragio Missæ palam est, Chrysost: Homil: 3 ad Philipp. *Non frustra*, inquit, *ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt.* Et Concil: Trid: Sess: 22. c. 2. offerendum sacrificium Missæ pro defunctis, ita ostendit, *Quare*, inquit, *non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis & sa-*

tisfactionibus & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. Et Can: 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, &c. neque pro viuis, neq; pro defunctis pro peccatis, pœnis & satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, Anathema sit.* Quid, quòd Paulus 2. Tim. 1. de Onesiphoro defuncto dicit. *Det ei Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die,* nonne pro illo orat, sicut nos Christiani cùm pro defunctis dicimus. Det eis Dominus requiem & misericordiam?

QUÆSIER. Si purgatorium est post mortem, cur primitiua Ecclesia illud non nouit? ℞. Novit purgatorium primitiua Ecclesia, vt patet etiam ex Dionysio in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ, de eo tantum tunc, sicut & de indulgentijs rarior fiebat mentio, eò quòd tunc adeo ardebat charitas, vt paratissimi fuissent singuli pro Christo mortem oppetere: & rara fufuerunt crimina, & ea quæ contigerunt, magna fuerunt Canonum seueritate vindicata; rogorosam quoq; pro minimis agebant homines pœnitentiam. Nunc quia rigorem pœnitentiæ & Canonum non sustineremus, crebriùs purgatorium annuntiatur, vt illum ignem qui durior est omni pœna in hoc seculo timeamus & peccata vitemus. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis.* Hebr. 10.

QUÆSIER, iterum. Si decedentes in peccato mortali statim ad supplicium æternum deferuntur, cur non etiam decedentes in charitate statim ad præmium perueniunt æternum, sed priùs in purgatorio detinentur? ℞. Quia decedentem in peccato mortali nullum bonum (quamvis sit aliquod adiunctum) impedire potest, quominùs ad vltimum malorum continuò feratur: decedentem verò in charitate potest impedire veniale, vel etiam nondum completa pœnitentia, quo minùs statim ad summum bonorum transeat, ad quod nihil coinquinatum transibit. *Apoc: 21.*

QVAN-

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, iam certum eſt in fide Catholica, eſſe poſt mortem purgatorium, vbi animæ aliquas adhuc maculas habentes purgantur. Sed in quo loco ſit, nunc quæritur. Ad quod reſpondetur, quòd duplex eſt eſt locus purgatorij, ordinarius & extraordinarius. Locus ordinarius purgatorij in centro terræ, confinis gehennæ, in quo idem ignis qui & in gehenna. Id Sanctorum dictis & reuelationibus conſonum. Hinc S. Gregor. lib: 4. Dialog: d. *Quòd ſub eodem igne electus purgatur, & damnatus cruciatur.* Idem ex conſuetudine orantis Eccleſiæ pro defunctis probatur, dicit enim. *Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & de ore leonis.* Item *à porta inferi:* vbi per os leonis intelliguntur pœnæ purgatorij, à quibus orat Eccleſia liberari animas. Porta inferi dicitur purgatorium, propter vicinitatem cum inferno damnatorum. Nec inconueniens eſt dicere locum purgatorij coniunctum eſſe inferno damnatorum, nam & limbus patrum coniunctus inferno fuit, in quem Chriſtus deſcendens, in infernum dicitur deſcendiſſe, & vtiq; limbus patrum, in in quo nulla pœna ſenſibilis fuit, dignior erat purgatorio in quo pœna talis. Locus extraordinarius aſſignatur alicubi in terra, in quo animæ apparent & ſuffragia expetunt. Concedit DEus aliquibus animabus ex miſericordia, vel ex quacunq; cauſa locum extraordinarium purgatorij. Tùm propter celeriorem liberationem, ita vt poſſint, alijs ſuam indigentiam reuelare, vbi vnus alio citiùs liberatur, & citiùs eum iuuant ſuffragia quàm alium, partim quia leviora habet peccata, quod indicat Apoſtolus 1. Cor: 3. qui differentias venialium per lignum, fœnum, & ſtipulam ſignificavit: ſicut enim lignum diutius manet in igne quàm fœnum aut ſtipula, ita quædam venialia diutius purgantur quàm alia. Fit etiam celerior liberatio propter maiorem charitatem, qui enim in ma-

iori charitate decessit tanquam magis dispositus, faciliùs iuuatur. Magist. etiam sent: lib: 4. dist: 21. dicit. *In illo igne purgatorio alij tardiùs alij citiùs purgantur, secundùm quod ista pereuntia magis vel minùs amauerunt.* Hugo de S. Victore probabile putat puniri aliquos in ijs locis in quibus peccauerunt, quod de Paschasio in balneis purgato narrat S. Gregor. lib. 4. Dialog. c. 40. Tùm etiam locus purgatorij extraordinarius per divinam dispensationem ad viuorum instructionem conceditur, vt instruamur de pœnis futuri seculi, quàm graues & acerbæ sint.

QUÆSIER. 1. Quomodo locus ordinarius purgatorij inferno coniungitur, cùm in inferno variæ sint pœnæ. Ignis, sulphur, Spiritus procellarum, tùm & frigus intensum & similia: in purgatorio tantùm ignis nominatur? ℞. Alius finis est pœnarum infernalium, atq; alius purgatorij. Pœnæ infernales ad affligendum damnatos ordinantur, ideo exprimuntur hijs omnibus quæ hîc affligere dicuntur: pœna purgatorij ad purgandum ordinatur, ideo tantùm nomine ignis exprimitur, quia ignis debet purgare & maculas consumere, cum hoc tamen stat, quòd sint etiam præter ignem aliæ pænæ in purgatorio.

QUÆSIER. 2. Anima Thabitæ quam suscitavit S. Petrus
Act. 9. Apostolus, vbi fuit post mortem? ℞. Quia non in inferno, inde enim nulla redemptio. Iob. 7. *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos non ascendet.* Non etiam fuit in cœlo, quia ibi firma possessio summi boni quæ amitti non potest, & ab illo summo bono reduci ad miserias huius vitæ fieret ipsi onerosum & valde iniuriosum. Quare fuit in purgatorio.

QUÆSIER. 3. Animæ illorum infantum quos suscitauerunt
3. Reg. 17. Prophetæ, post mortem vbi fuerunt? ℞. Non in inferno: non
4. Reg. 4 etiam in cœlo, quia eo tempore nondum fuit propalata via
Hebr. 8. Sanctorum: fuerunt ergo vel in limbo patrum vel in purgatorio.

QUÆ-

QUÆSIER. 4. Anima infantis, qui statim post baptismum (vel etiam ante baptismum) moritur, & ad preces alicuius suscitatur, vbi post mortem fuit? Non in inferno, nec in cœlo ob rationes dictas. Non etiam in limbo patrum, quia iam ille locus euacuatus est: *Non iam descendimus, quo Christus descenderat*, ait Gregor. Non in limbo puerorum, qui cum sit perpetuum exilium, ex eo regressus non conceditur. Ergo fuit in loco quodam purgatorij mitissimo, in quo nulla pœna sensûs, solùm dilationis ad tempus gloriæ, cui conforme scribit Beda lib. 5. histor. cap. 13. De anima infantis non baptizati maior difficultas, potest dici illa adhuc non esse iudicata, sed manere in præstolatione iudicij.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, quando quæritur, à quo animæ in purgatorio puniuntur, intelligitur, an à dæmonibus puniantur? ad quod communis Doctorum sententia respondet non puniri à dæmonibus, quia illæ animæ sunt in amicitia DEI, in charitate existentes, & fuerunt in hoc mundo dæmonum victrices, & sine mortali decesserunt. *Iniustum ergo est*, ait S. Thomas, *qui de aliquo triumphauit, vt ei subijciatur post triumphum.* Deinde dæmones purgationem animarum per quam liberantur, oderunt, quare non cooperantur, afflictione ad purgandum. Equidem assistunt insultantes, vt satientur pœnis animarum, & comitantur eas, dùm per Angelos custodes ad purgatorium ducuntur. Sanè, cùm in Canone Missæ dicuntur dormire somnum pacis, cum dæmonibus non possent dormire somnum pacis, si per eos punirentur. QUÆritur si vel per bonos Angelos ibi puniantur? negatiuè respondetur, conciues enim suos & charitate sibi iunctos non possent tàm vehementer affligere. Diuina ergo iustitia ordinante puniuntur, ait S. Thomas, *Sicut*, inquit, *post diem iudicij, diuina iustitia succendit ignem quo damnati in perpetuum punientur, ita etiam nunc, sola iustitia*

diui-

diuina electi post hanc vitam purgantur. Addit etiam Albertus Magnus, quòd *per seipsas animæ purgantur, sicut aurum purgatur à sua impuritate & rutilat in igne,* iuxta illud. 1.Cor: 3. *Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.* Dicit insuper Albertus, *quòd animæ suo pondere venialium feruntur in profundum, vel minùs profundè pro diversitate venialium, sicut videmus grauia diuerso pondere deorsum tendere.* Quantùm ad atrocitatem pœnarum purgatorij, cum illis nullas pœnas huius vitæ comparandas, docent Ss. Patres, August: in Psal: 37. *Ille,* inquit, *ignis grauior est, quàm quidquid pœnarum hic sentire quis potest.* Neq; tamen quælibet pœna purgatorij est maior maximâ pœnâ huius vitæ: fieri enim potest, vt aliquis moriens nihil debiti secum in purgatorium ferat nisi vnum verbum otiosum, non est autem credibile propter vnū solum verbum otiosum, pati debere aliquem supplicia grauiora omnibus pœnis huius vitæ. Deinde pœna purgatorij quantò magìs ad finem purgationis accedit, tantò fit remissior, donec totalitèr desinat. Narrat S. Bernardus S. Malachiæ ter apparuisse sororem suam dum pro illa oraret. Primò in veste nigra extra Ecclesiam, deinde in veste subfusca intra limen Ecclesiæ, tandem veste alba ad ipsum altare, ex quo patet animam illam paulatim remittentibus pœnis ad finem purgationis pervenisse.

DICES. In hac vita etiam sancti per dæmones affliguntur, sicut constat de Iob iusto: non est ergo inconveniens etiam in purgatorio animas per dæmones affligi. ℞. Aliud est in hac vita aliud post mortem: in hac vita etiam sancti per dæmones infestantur, quia hic locus est pugnæ, vbi à dæmonibus tanquam ab hostibus cum quibus decertant, affli-
Iob. 7. guntur, nam *militia est vita hominis super terram.* Iam verò post victoriam quam retulerunt animæ in morte de isto hoste, non conuenit à devicto hoste aliquid pati.

QUÆSIER. Quid sibi volunt illa verba in Canone Missæ, vbi animæ dicuntur in purgatorio dormire somnum pacis?

℞. Pro-

℞. Propter ſecuritatem & certam ſpem futuræ beatitudinis dicuntur dormire ſomnum pacis: vnde quamvis graviſſimè affligantur, voluntarie tamen ea conditione pœnas ſuſtinent, quia ſciunt non poſſe aliter ſe ad beatitudinẽ pervenire, & hac ſpe maximè in tormentis conſolantur. Quæ licet magna ſint, non tamen propter eorum magnitudinem obliviſcuntur eorum, quæ hîc ſciverunt, aut teſtimonij propriæ conſciẽtiæ, cùm talis oblivio nec damnato epuloni contigerit. Sive etiam ideo dicuntur ſomnum pacis dormire, quia à dæmonis crudelitate manent liberæ.

COROLLARIVM.

FINALE.

AGe nunc fidelis Chriſtiane, fidem in Symbolo propoſitam, & hîc non tàm quidem exactè & ſolidè vt debuit, tamen vt potuit expoſitam, pro fundamento iuſtitiæ & æternæ ſalutis ante omnia iacias. Cogita quantum bonum & quàm deſiderandum, omniq; bonorum operum conatu quærendum, ad vitam æternam, quo Sanctiſſimi Apoſtoli Symbolum fidei concluſerunt, intrare. Quàm verò altera ex parte horrendum ac miſerandum ſupplicijs deputari æternis. Quare ſuper fundamento fidei, oportet cum obſeruantia mandatorum virtutes & opera pietatis ædifices. Finito autem Symbolo fidei adiungimus. AMEN quod idem eſt ac ſi dicatur, Verè & fideliter, id eſt verè ita eſt vt verba ſignificant. Hæc eſt enim fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmiterq; crediderit, ſalvus eſſe non poterit. Atq; hæc eadem verba, veram fidem cuſtodiant, & in nobis ſemper augeant: eamq; infidelibus AUTHOR ipſe & conſummator fidei Dominus noſter IESUS CHRISTUS largiatur.



APPENDIX

Ad Articulum Symboli Decimum.

DE PECCATIS CAPITALIBUS

In gratiam Catechistæ.

SEptem vulgo numerantur peccata capitalia quæ & mortalia dicuntur, nempe Superbia, Auaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, Acedia. Dicitur autem peccatum capitale, quia est causa per se finalis multorum peccatorum, ex quo alia oriuntur & ad illud reducuntur. (1. 2æ. q. 84. a. 4. c.) Quia verò sunt obvia & familiaria hominibus, in qua sæpenumero labuntur, non incongruè Venerandus Catechista per occasionem decimi Symboli Apostolorum articuli, de remissione peccatorum, Christianum ad fugam eorum, turpitudinem & nocumenta singulorum exponendo, adhortabitur, quorum breuem compilationem ad calcem tractatûs seponendam iudicavi. Et quoniam in ordine peccatorum capitalium primum locum possidet tanquam regina omnium superbia, sequitur. (Gregor. lib. 31. Moral. c. 31.)

CATECHESIS I.

DE SUPERBIÆ VITIO.

INitium omnis peccati est superbia inquit sapiens, *qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* (Eccl: 10.) Præcessit omnia peccata tempore, quia in cœlo superbiuit Lucifer: in paradiso primi parentes nostri cupientes esse vt dij, quod tàm Lucifero quàm illis malè evenit. *Adam enim & Eua* inquit August. *rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* (In Psal: 68.) Luciferi quoq; superbia ad infernum detracta est. (Isai: 14.) Quare monet Tobias filium suum, *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in* (Tob. 4.)

tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. In hac igitur Catechesi, tria Christianus à Catechista addiscet.

I. Quid sit superbia, & quæ eius species?
II. Quarum prolium sit procreatrix?
III. Quid humilitas et opposita virtus?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: ex suo genere est peccatum mortale. Greg. lib. 34. Moral. cap. 17. *Evidentissimum,* inquit, *signum reproborum est superbia:* quanquam non omnis motus superbiæ mortale iudicari debet, sunt multi veniales ex imperfectione actûs, quando præveniūt iudicium rationis, nec eis ratio consentit. Porrò ex suo genere esse superbiam mortale, illud convincit, quia averti à DEO de genere suo est mortale, superbus autem avertit se à DEO, nec ei vult subijci, quippe extollens se contra id, quòd sibi à DEO præfixum est; ideo Apostolus instruit fideles. *Nos,* inquit, *non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram, quâ mensus est nobis Deus.* Quin etiam ex parte eiusdem aversionis est gravissimum peccatorum, August. super Psal. 19. *Non est,* inquit, *maius peccatum quàm apostatare, quod est initium superbiæ hominis.* Nam in alijs peccatis aversio à DEO fit vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium alicuius boni, superbus autem avertitur à DEO per hoc ipsum, quòd nollit subijci DEO & regulæ eius. Quatenus verò generale est vitium, quatuor eius species lib: 23. Moral. cap: 7. S. Gregor. enumerat. Prima quando aliquis iactat se habere aliquid super alios, quod tamen non habet: atq; hoc vitio turpiter laborabat rex Tyri Ezech: 29. dicens se DEUM esse. Secunda dùm quis bonum habitum à se habere iactanter existimat: hoc fecit Nabuchodonosor, fortitudinem & indu-

2. Cor: 10.

ſtriam non à DEO ſed à ſemetipſo habere, Daniel: 4. iactitans. Tertia dùm bonùm quod habet, recognoſcit quidem à DEO ſe habere, pro meritis tamen ſuis vt debitum ſibi datum. Hinc Gregor. *Pleriq; mali eò magis contra Deum ſuperbiunt, quò ab eius largitate & contra meritum ditantur, & qui provocari bonis ad meliora debuerunt, donis peiores fiunt*. Quarta deniq; dùm ſpretis alijs ex eo quod habent, ſingulares videri volunt. Hoc in Lucifero perſpicuum Iſai: 14. dicente. *Super aſtra Dei exaltabo ſoliùm meum*.

Diverſorũ generum diverſæ ſpecies in Antepræd.

DICES. Quæ ad infidelitatem pertinent, non ſunt ſpecies ſuperbiæ; aliud enim eſt vitium infidelitatis, aliud ſuperbiæ, ſicut & virtus humilitatis diſtincta eſt à virtute fidei: exiſtimare autem bonum ſe habere non à DEO ſed â ſe, aut pro ſuis meritis ad infidelitatem ſpectat, non ergo ſunt ſpecies ſuperbiæ. ℟. Si quis dicet aliquod bonum in vniuerſali non eſſe à DEO, vel gratiam pro meritis dari ad infidelitatẽ pertinet: ſed dùm quis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ in particulari gloriatur de ſuis bonis, non ad infidelitatem ſed ad ſuperbiam pertinet.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHriſtiane, non eſt mirum, quòd mundum totum in maligno poſitum Apoſtolus dicit, ex vno enim peccato alia naſcuntur, ex ipſa ſuperbia vt eſt capitale peccatum, ſex filias ſuſcipit diabolus, ſcilicet *Inobedientiam, Iactantiam, Hypocriſim, Contentionem, Pertinatiam, Diſcordiam*. Singulorum notionem attende Chriſtiane. Prima proles ſuperbiæ inobedientia: nam vt Adam in paradiſo peccavit, appetendo diuinæ ſcientiæ ſublimitatem, illicò inobediens factus eſt DEO, quo ſibi & nobis multùm nocuit. Rom. 5. *Per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi*. Cùm enim ſuperbus nulli vult ſubeſſe, nulli quoq; obedire: nec rationi propriæ, nam recta ratio dictat, quòd inferiores debeant ſubeſſe & obedire ſuperioribus,

bùs, ſicut membra inferiora capiti, huic tamen dictamini nôn obedit, Iob. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Superbus Pharao eò inobedientiæ progreſſus eſt, vt DEUM etiam & mandata eius contempſerit. *Quis eſt Dominus vt vocem eius audiam?* Exod. 5. Quare inobedientia ſicut ipſa ſuperbia eſt peccatum mortale, quia aduerſatur charitati, quæ eſt vita ſpiritualis, ſi contemnatur præceptum DEI vel ſuperiorum, quibus obedire DEUS præcepit. *Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Neq; etiam aliunde hæreſes obortæ ſunt,* (ait Cornelius ſcribens Cypriano) *aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur.* Parit ſuperbia iactantiam, quâ ſe ſuperbus extollit ſupra id quod in ſe eſt, vel in opinione hominum: eſt enim iactantia vitium veritati contrarium, quo ſuperbus laudes ſuas immodicè prædicando, rationis & veritatis limites tranſgreditur. Veritatis quidem, dùm loquitur quod in ſe non eſt: rationis dùm loquitur ſupra opinionem hominum, quod refugiebat Paulus 2. Cor: 12. *Si,* inquit, *gloriari voluero, non ero inſipiēs, veritatem enim dicam, parco autē, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me.* Et quoties iactantia eſt contra gloriam DEI, aut cum proximi contēptu, eſt peccatum mortale. Contra gloriam DEI iactavit ſe rex Tyri; cum proximi contēptu Phariſæus Luc. cap. 18. prorūmpens in contumeliā aliorum. *Non ſum,* inquit, *ſicut ceteri, raptores, iniuſti, adulteri,* his minatur Deus: *Auferam demedio tui magniloquos, ſuperbiæ tuæ, & non adijciet exaltari amplius.* Abundat ſuperbia prole hypocriſis & ſimulationis, quæ eſt genus quoddam mendacij, quo aliud exteriùs indicatur, aliud interius occultatur. Tales erant ſcribæ & Phariſæi, qui àforis parebant hominibus iuſti, intus pleni erant hypocriſi, & omni iniquitate, à quorum fermento hypocriſis cauendum Dominus hortatur. Eſt mortale, quando charitati aduerſatur, quod in duobus caſibus contingit. Primò dùm quis non curat, vt in re ipſa ſit ſanctus, modò talis videatur ab hominibus, cùm deinde, dùm ſimulat

Rom. 13.
Lib: 1. epiſt. 3.
Sop.
Matth. 23.
Luc. 12.

Sanctitatem, vt falsam disseminet doctrinam, sicut operarij
2. Cor: 11. subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Vel vt indignus dignitatem Ecclesiasticam adipiscatur, vel aliqua temporalia, in quibus finem constituat. *Væ vobis* (pharisæis dictum)
Matth: 23. *qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipitis iudicium*: & hoc quidem charitati proximi adversatur, illud charitati DEI. ENITITUR superbia contentionem, nam inter superbos semper iurgia, est enim *contentio*
Prou: 13. iuxta Ambrosium *impugnatio veritatis scienter cum confidentia clamoris*: sciens igitur esse quod oppugnat, nec desistit, reus est peccati contentionis, hinc monet Apostolus. *Noli contende-*
2. Tim: 2. *re verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subversionem audientium. Verbis contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quo modo tua dictio dictioni præferatur alterius*, inquit August. id est in disputando non veritatem quærere, sed velle ostendere suam scientiam, & hoc nullum fructum affert, sed odium, invidiam, blasphemias. Tribus autem modis fieri potest contentio in verbis. Primò quando impugnatur falsitas debito modo, & hoc est laudabile, qualiter Catholici commovent contentiones aduersus hæreticos, ab ipsis lacessiti. vt Gloss. in cap. 14. Reg. 1. dicit. deinde quando falsitas impugnatur, sed inordinatè & cum acrimonia locutionis, tunc potest esse peccatum veniale. Tandem quando veritas impugnatur indebito modo & praua intentione, estque mortale, 1. Cor: 11. *Si quis contentiosus videtur esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia* DEI; inter opera carnis damnabilia contentiones numerat Apostolus. Gal: 5. *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, contentiones, &c. qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* PROCREAT superbia pertinaciam, quæ est imprudens tenacitas mali propositi, tres habens species. Prima post correctionem non resipiscere. Ierem: 2. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Et cap. 5. *Percussisti eos & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt*

acci-

accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Secunda ex admonitione peius agere. Sacerdos monet populum vt desistat à malo, illi verò perperam procaciter & malitiosè progrediuntur in malo. Ioan. 8. Iudæos Christus arguebat de peccato, illi ex admonitione tantum progressi sunt in malo, vt monentem occidere vellent. Tertia in afflictione promittere resipiscentiam, afflictione cessante, ad peiora redire. Psal. 77. de Iudæis. d. *Cum occideret eos quærebant eum, cor autem eorum, non erat rectum cum eo.* Sic fecit Pharao Exod.8. Agnitionem veritatis impedit pertinacia. quà manente veritatem Catholicam non agnoscunt hæretici. Fœcundatur postremò superbia discordiâ, quæ in eo differt à contentione, quòd contentio fit in verborum garrulitate, discordia in ipsa voluntate; est enim disgregatio voluntatum in diversa, ex ambitionis & superbiæ pravitate suam trahens originem. Ex genere suo est mortale, dùm quis sciens & volens, dissidet à proximo contra bonum divinum vel proximi, sic enim contrariatur charitati: id in hæreticis perspicuum est, qui ab Ecclesia Catholica discordes sunt contra bonum diuinum, contra fidem & veram religionem seu cultum divinum. Istos cauere monebat Apostolus Rom. 16. *Rogo vos*, inquit, *vt observetis eos, qui dissensiones & offendicula faciunt, contra doctrinam quam vos didicistis, & declinate ab eis.* Quare & ille peccat mortaliter qui discordat à proximo in re quæ ad bonum eius pertinet. cum intentione, vt proximus inde subeat aliquod detrimentum, sicut & ille qui inter homines seminat discordias.

DICES. Quomodo superbia vnum est de vitijs capitalibus? siquidem est super capitalia vitia, & in omnia peccata vniuersalem habet influentiam, vnde & regina ac mater vitiorum rectè nuncupatur. ℞. Considerata superbia quatenus vniuersaliter influit in omnia vitia, non annumeratur capitalibus vitijs, sed illa excedit: prout autem est quoddam peccatum ex

quo

quo multa genera peccatorum oriuntur, id est prout gignit alia peccata, hoc modo inter capitalia numeratur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, dùm vitia extirpamus, virtutes inserere debemus, hæc enim duo iussus facere Propheta, Ierem, 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo* (ait Dominus) *ecce constitui te super gentes & super regna, vt evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*: post eradicationem vitiorum, virtutes plantare etiam Philosophia apud Boët: lib: 3. de consol. metro. 1. docet. dùm ita canit. *Qui serere ingenuum volet agrum.*

Liberet arua prius fruticibus
Falco rubos felicemq; resecet.
Vt nova fruge gravis Ceres eat.

Virtus & vitium sunt sibi opposita, & ex collatione vnius alterum facilius cognoscitur, iuxta illud lib. 2. de cœlo. *Contraria iuxta se posita magis elucescunt.* Si perspexisti vitium superbiæ, considera decorem humilitatis, ita enim superbiæ humilitatem opponit sapiens. Prou: 29. d. *Superbum sequitur humilitas, & humilem Spiritu suscipiet gloria.* Idem Domini sententia continet. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Et quia superbia est vitium hominis inordinatè appetentis propriam excellentiam, per oppositum cognoscimus humilitatem esse virtutem, quâ animus firmatur, ne inordinatè extollatur. Vt tamen agnoscas quæ sit laudabilis humilitas, quæ minùs, considera aliquem humiliari à principio extrinseco, quia ab alio deijcitur, sed hoc modo humilitas, non tàm virtus, quàm pœna potiùs est, nec laudabilis, nec vituperabilis, nisi fortè patienter aut impatienter toleretur. Alius deinde humilis apparet, sed in signis duntaxat externis secundùm fictionem, & est hypocrita, veste ovina lupum abscondens, de quo Eccl. 19. *Est qui nequiter se humiliat.* Alius præterea humilis est, non agnoscens honorem suum, & bona sibi à DEO data pervipendens, semper reputans se non habere fructum spiri-

Matth. 23.
Luc: 14.
2. 2æ. q. 1. 61. art. 1.

spiritualem; proindeq; non vult ex pusillanimitate aliqua bona aggredi: vt ille, cui recusanti ad Eucharistiæ Sacramentum ex quodam torpore accedere. Cyrill. lib. 4 in Ioan. cap. 17. exprobrat dicenti: Ego probo meipsum, & indignum invenio. *Quando igitur quicunq; tu es, qui ista dicis, dignus eris? quando teipsum Christo offeres? nam si peccando indignus es, & peccare non desinis, expers omnino eris huius viuificæ sanctificationis: talis humilitas non est virtus, sed acedia aut ingratitudo.* Alius deniq; humilis est, qui agnoscens suum defectum, ponit se in humili secundùm suum modum, talis humilitas opposita superbiæ laudabilis. 2. 2æ. q. 35. a. 1. Homilia 8. in Luc. Origenes dicit. *Propriè in scripturis vna de virtutibus humilitas prædicatur.* Eccl: 7. iustus prædicatur, *qui se nimium submittit à multa humilitate.* Et hæc virtus post virtutes Theologicas, & intellectuales, quæ respiciunt ipsam rationem, & post iustitiam præsertim legalem, potior est ceteris: q. 161. a. 1. c. f. cuius duodecim gradus ostendit S. Benedictus in Regula cap. 7. Gloss. autem super cap. Matth. 3. tres commemorat, sufficientem, abundantem, perfectam. Sufficiens est subijcere se maiori, nec præferre se æquali. Abundans est, subijcere se æquali, nec se præferre minori. Perfecta autem subijcere se minori. sic Christus fecit. Luc. 22. *Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Hinc monet Ecclesiasticus. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Cap. 3.

QUÆSIER. Cùm non liceat id quod DEI est creaturæ tribuere, ne furtum aut rapina committatur. DEO autem debetur subiectio, quomodo homo homini per humilitatem subijci obligatur? ℞. Non fit vlla iniuria diuino honori, dùm se homo subijcit per humilitatem, nam propter hoc facit, & in eo honorat DEUM, id mandat Apostolus 1. Petr. 2. *Subiecti,* inquit, *estote humanæ creaturæ propter Deum.* Explicat S. Thom: art. 3. d. *Debet omnis homo defectum aliquem in se agnoscens, se alteri per humilitatem subijcere, non tamen cuivis homini promiscuè, sed illi demum, in quo talem defectum non esse putat.*

CATECHESIS II.

DE AVARITIÆ VITIO.

TUrpe satis crimen avaritia, quæ est immoderatus amor habendi, lib:2. offic. ait Tullius. *Nullum est vitium tetrius quàm avaritia, præsertim in principibus, & Rempub. gubernantibus, habere enim quæstui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratum etiam ac nefarium.* Furta, latrocinia, meretricatus, & alia scelera per auaritiam perpetrantur. Rectè ab Apostolo idolorum servitús appellatur: homo enim avarus exhibet creaturæ quod debetur Creatori; id est, fidem, spem & dilectionem, id enim præstat pecuniæ, nam avari simulachrum argentum & aurum. Quare pro solita methodo, tria ista Catechesi dicentur.

I. Quid auaritia & quæ ipsius species?

II. Quæ peccata ex ipsa oriantur?

III. Quantæ præstantiæ opposita ei virtus liberalitas?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, auaritia licet Græcè φιλαργυρία dicitur, non in solo tamen argento & nummis, sed in omnibus quæ immoderatè appetuntur consideratur, vt docet August: lib. 3. de lib. arb. Gregorius autem Homil. 16 in Euangel. d. *Non solùm pecuniæ, sed etiam scientiæ & altitudinis cùm supra modum ambitur sublimitas.* Nam & ille auarus est, qui nimis appetit scientiam: proinde primi parentes nostri appetentes scientiæ DEI æqualitatem in paradiso, crimen auaritiæ commiserunt: & ille auarus, qui cupidè inhiat honoribus, & sublimitatem immoderatè quærit. Verùm hoc de auaritia vt est generale vitium, & in suas species dividitur. Nam auari alij sunt deficientes in dando, alij excedentes in accipiendo. Deficiunt in dando parci, tenaces, & difficiles. Parci sunt qui parum dant, cùm possint abundè tribuere, iuxta illud monitum Tob: 4. *Si multum tibi fuerit,*

fuerit, abundanter tribue. Tenaces sunt, qui nihil dant, qualis ille diues epulo, qui micas panis negauit mendico. Difficiles sunt, qui difficulter dant, & de parvis magnam vim faciunt, ab Aristotele Κυμινοπρισταί, quasi cimini sectores vel venditores appellati. Excedunt in accipiendo seu acquirendo vel turpiter vel iniustè. Turpiter qui lucratur de meretricatu: quod abominabile detestatur scriptura Deut: 23. *Non offeres*, inquit, *mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui*. Turpiter lucratur illiberalium operationum operator, qui propter lucrum vilia & servilia opera exercet, de quo monet Apostolus diaconos, non esse turpe lucrum sectantes, similiter Episcopum non esse turpis lucri cupidum. INIUSTÈ lucrantur vsurarij de gratis concedendis, Leuit: 25. *Pecuniam tuam non dabis ad vsuram*, Luc: 6. *Mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* Latrones viuis vim inferentes Deut: 22. *Latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius.* Spoliatores mortuorum, sicut Darius Semiramidis Reginæ expilare studuit monumentum mortuæ. Aleatores qui amicis vim inferunt lucrando, quos cum furibus & latronibus loco dicto numerat Aristoteles. *Attamen*, inquit, *aleatores, & fures, & latrones, auari putandi sunt, quòd in turpi quæstu sunt occupati, nam aleatores ab amicis lucrantur.*

Luc. 16.

Lib:4. Ethic. cap. 1.

1. Tim: 3. Tit: 1.

Lib:4. Ethic. c. 1.

DICES. Quod honestum est, non debet inter peccata computari, aleis delectari res est honesta: quomodo inter species avaritiæ computatur? ℟. Communiter prætendunt aleatores honestatis speciem ob amici delectationem in lusu alearum, sed huiusmodi honestas euacuatur desiderio lucri, proinde occupatio huiusmodi turpis & illicita: immò & artificum opera conficientium taxillos, fucos, & chartas, si sciunt malè vsuros, quibus vendunt.

DIXERIS. Occupationem alearum, & intentionem lucri non esse malam. ℟. Occasionaliter, sicut apud Iudæos libellus repudij. Deut: 24. ℣. 1. Matth: 5. ℣. 32. & 19. ℣. 8. Marc: 10. ℣. 4. ad duritiam cordis Iudæorum. Porrò S. Thom: 2. 2æ.

 q. 32.

q. 32. a. 7. 2m Inhonestum esse docet. Quare cùm scripturæ turpe lucrum damnant. 1. Tim. 3. ℣. 9. Tit. 1. ℣. 7. 1. Petr. 5. ℣. 2. Sanè aleatores in turpi lucro vt dicit Philosophus occupantur, nam spe quæstûs, inquit, hæc instituta sequuntur & probra referunt, & ab amicis quibus suppeditari æquius est, lucrantur.

QUÆSITER. Quid fieri debet de lucris ex aleis? ℟. Restitutio fieri debet. Et primò quidem, qui lucratur ab eis qui alienare rem non possunt, vt minorennes & furiosi. Deinde qui traxit alium ad ludendum ex cupiditate lucri. Exinde qui fraudulenter lucratur. Qui verò lucratur ab eo à quo tractus est ad ludendum, nec fraudem in ludendo fecit, non tenetur ad restitutionem ei à quo tractus est, quia ille qui amisit non est dignus recipere: neq; etiam sibi retinere potest, sed in eleemosynas debet erogare.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, avaritia speciale seu capitale vitium, est inordinatus amor habendi divitias, de quo Eccl: 5. *Auarus non implebitur pecuniâ, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* August: verò dicit. *Auarus vir inferno similis est, infernus enim quantoscunque devorauerit, nunquam dicit satis est, sic, etsi omnes thesauri confluxerint in auarum.* Philosophꝰ etiam 2 polit. cap. 5. de improbitate avarorum dicit. *Insatiabilis est hominum improbitas, quibus primùm satis sunt duo oboli; cum autem eos consecuti sunt, tùm semper plus expetunt, dùm infinitas opes congesserint. Nunquam enim expletur, nunquam satiatur cupiditatis sitis: nempe; crescit amor nummi; quantum ipsa pecunia crescit* Duabus virtutibus opponitur, & liberalitati, & iustitiæ. Quandoq; est mortale, quandoq; veniale peccatum. Mortale est primò, cùm quis accipit & retinet iniustè res alienas, & sic opponitur iustitiæ, & pertinet ad
2. 2æ. 118, art: 4. furtum, rapinam, vsuram, & fraudem in emptione & venditione. Secundò cum est adeò inordinatus amor diuitiarum, vt præferatur amori & dilectioni DEI & proximi. Veniale est, cùm

cùm propter diuitias (quamvis sit aliquis eorum inordinatus
amor) non agitur aliquid contra charitatem DEI & proximi.
Et quoniam auaritia quatenus capitale vitium, est radix om-
nium malorum: ex hac radice pullulant alia crimina, quasi
proles & filiæ ipsius. Pullulat PRODITIO. quâ avarus in per-
sona proximi fraudem committit, tradendo propter pecuni- *Matth. 26.*
am proximum: sic Iudas avarus fecit. Sic Samsonem propter *Iudic: 16.*
lucrum vxor tradidit Philisthæis. Huius criminis rei effici-
untur, qui bonos propter iustitiam & bona opera apud malos
traducunt, quod Dominus prædicebat discipulis. *Trademini,* *Luc. 21.*
inquit, *à parentibus, & fratribus, & cognatis.* Proditores futuros
prædicebat Apostolus. 2. Tim. 3. *Erunt,* inquit, *homines seipsos
amantes, proditores, protervi: tumidi.* Pullulat ex avaritiæ radice
FRAUS. quæ est executio iniustitiæ in factis vt cum vnus circũ-
venit alium in re aliqua: de hac injustitia conquestꝰ est Iacob
contra Laban. Gen: 31. Rachel & Liæ dicens. *Pater vester circum-
uenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus.* Arguit Apo-
stolus, 1. Cor. 6. *Quare non magis iniuriam accipitis, quare non ma-
gis fraudem patimini, sed vos iniuriam facitis, & fraudatis.* Vetat. 1.
Thess. 4. *Ne quis,* inquit, *supergrediatur neq; circumveniat in ne-
gotio fratrem suum.* Pullulat FALLACIA, quæ est vitium in ver-
bo doloso, quando quis dicit falsitatem, & est mendacium.
Leuit: 10. prohibitum. *Non,* inquit, *mentiemini.* Tria verò ge-
nera mendacij, distinguit Magister Sent: *Officiosum, iocosum, &* *Lib. 3. d. 38.*
perniciosum, in quibus includuntur octo genera numerata ab
August: in lib. contra mendacium. cap. 14. Officiosum men-
dacium est, dùm quis mentitur vel propter suum, vel propter
proximi commodum. Et hoc in tribus membris expletur:
vnum quod nulli obest, & alicui prodest, vt si quis seruet res
proximi, videns iniustè eripiendas, & interrogatus de illis di-
cat se nescire. Alterum, quod nulli obest & alicui prodest, ad
vitam corporis seruandam. Tertium, quod nulli obest, & pro-
dest alicui ad conservandam munditiam corporis seu castita-

tem. IocosuM est, dùm quis iocando mentitur. Et hoc in duobus expletur membris, vnum dùm quis mentitur sola mentiendi libidine, hinc Philosophus d. *Quòd mendax quia talis est secundùm habitum, ipso mendacio gaudet*. Alterum dùm mentitur volens suaviloquio placere. PERNICIOSUM tandem mendacium est, dùm quis mentitur in damnum proximi: in tria membra distributum. Vnum dùm quis mentitur in doctrina religionis contra fidem, vel contra bonos mores, vt faciunt hæretici. Alterum quando mendacium nulli prodest, & obest alicui. Tertium quando vni prodest, alteri obest. Esse autem peccatum omne mendacium, cùm Augustino docet S. Thomas 2, 2æ. q. 110. art: 3. cùm sit contra naturam mentiri: id enim homo loqui debet, quod animo gerit, siue illud sit verum, siue putet verum, verba enim ideo instituta sunt, non vt per ea invicem homines fallant, sed vt per ea in alterius notitiam suas cogitationes ferant, nam *interpres mentis est oratio*, vt lib. 1. de legibus dicit Tullius. Pullulat ex avaritia PERIURIUM, quod prohibet lex Levit. 19. *Non periurabis*, inquit, *in nomine meo*. Est autem periurium iuxta Magistrum sent: dist. 39. mendacium iuramento firmatum. Sunt verò tres modi periurij vt ibidem notat. Vnus, cùm quis voluntate fallendi, falsum iurat, vt cùm homicida iurat se non occidisse. Alter quando quis rem veram, putans esse falsam, animo fallendi iurat esse veram, vt si Platonicus Philosophus, existimans in sua sententia cœlos esse animatos, nihilominus tamen intentione fallendi, iuret non esse animatos, periurium committit, sed DICES. Quomodo periurium esse potest, vbi non est mendaciū: in assertione ista Platonici non est mendacium, verum enim iurat cœlos non esse animatos. ℟. Non est falsum quod dicit, verum enim est physicè, est tamen mendacium, moraliter, dicit enim contra mentem, & quia sub attestatione iuramenti loquitur, periuriū est. Tertius periurij modꝰ dùm quis falsum iurat esse verum, quia verum esse putat, vt si quis existimans iridem

Lib: 4. Ethic.

non

non fuisse ante diluvium, id iuramento confirmet. Sed hîc quoq; Dices. Sicut non mentitur, nisi qui contra mentem loquitur, ita periurus non est, nisi qui aliter sentit animo, quàm loquitur; lingua enim rea non potest esse, nisi mens sit rea, sed tunc mens non est rea, non enim iurat voluntate fallendi. ℟. Hoc ipso mens eius rea est periurij, quia præsumpsit iuramento confirmare, quod perspicuè verum non deprehendit. Quin immò etiamsi res vera sit, sed illi non constat infallibiliter veritas eius qui iurat, sed opinatiuè duntaxat scit esse veram, periculo se exponit periurij, quia indiscretè iurat. Sed hîc Obserua 1. ad iuramentum tria requiruntur vt sit legitimum, quorum si vnum defuerit, periurium est, vt docet Hieron. super illud Ierem. 4. *Iurabis viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iustitia.* Vbi sic ait Sanctus Doctor. *Iusiurandum tres habet comites, veritatem, iudicium & iustitiam, si ista defuerint, non erit juramentum sed perjurium.* Et quidem primò & principaliter perjurium est, si desit veritas, quia sicut falsitas opponitur veritati, ita perjurium iuramento; nam juramentum constituitur ex veritate, & ex ipsa sortitur speciem, siquidem finis iuramenti est confirmatio dicti humani; quæ fit per veritatem, ostendendo firmiter verum esse quod dicitur: profectò perjurium est, vbi est falsitas, atq; deest veritas. Secundariò perjurium est, si desit iustitia, 1. dùm quis iurat illicitum, ex quo falsitatem incurrit, quia obligatus est, vt contrarium faciat. Tertiò si desit iudicium, qui enim indiscretè iurat, exponit se periculo falso iurandi. Observa. 2. Omne periurium peccatum esse, & mortale: peccatum quidem quia aduersatur religioni, irreverentiam enim infert DEO, nam perjurus DEUM testem invocat falsitatis. Mortale est, quia importat contemptum DEI de sui ratione, quem perperam testem falsitatis inducit. Deinde directè est contra præceptum divinum, & contra finem præcepti: non enim ille diligit DEUM, qui inhonorat ipsum, quod perjurus facit. Adhuc

ex

ex radice avaritiæ pullulat INQUIETUDO. quæ est vitium ex
2.2æ: q. 118. a. 8. avaritia oriundum, ingerens homini solicitudinem & curas superfluas: prohibitum vitium à DEO constituente Sabbatum Iudæis, ne nimia solicitudine & cura circa temporalia diffluerent.
Exod: 34. Sex, inquit, *diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere.* Jllicitam esse nimiam solicitudinem circa temporalia,
Q. 55. a. 6. manifestum est. Primò quando quis temporalia quærit, finem in illis collocans, quod improbat Dominus Matth: 6. *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra.* Secundò dùm nimium adhibet studium, quo retrahatur à spiritualibus, quibus magis inservire debet juxta illud. *Quærite primùm regnum Dei.* Tertiò dùm quis adeò solicitè procurat temporalia, vt metuat ne sibi desint: Hinc monet Dominus. *Nolite soliciti esse dicentes quid manducabimus &c.* Et Apostolus. 1. Cor: 7. *Volo vos sine solicitudine esse; qui solicitus est quæ sunt mundi, divisus est.* Sed DIXERIS. Quomodo illicitum est, solicitum esse de futuris & temporalibus, cùm ea sit lex naturalis, in qua cum homine pleraq; etiam bruta conveniunt, vt de formica Prou: 6. pronuntiat sapiens. ℞. Non est illicitum ordinatè solicitum esse de futuris & temporalibus, sed illicitum inordinatè. 1. quando quis tempus non obseruat, quia etiam diebus festis operatur. 2. quando ita solicitus est, vt desperet de divino auxilio, cui
Psal. 54. 1. Petr: 5. innitẽdum in omnibꝰ hortantur Propheta cum Apostolo. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et Dominus dicit. *Scit Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* 3. si confidas per tuam solicitudinem posse te plus habere quàm per divinum auxilium: ait autem Dominus. *Quis vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum vnum?* Nascitur ex avaritia VIOLENTIA. quæ est iniusta occupatio bonorum proximi conscio domino, prohibet autem DEUS per Prophetam Ezech. 46. *Non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam & de possessionibus eorum.* Quod crimen commune & familiare latronibus & raptoribus, 3. Reg: 21. Achab

cum

cum sua Iezabel possedit iniustè vineam Naboth, eumq; interfecit: quod crimen gravi vindicta punietur, Isai. 9. *Omnis violentia prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem.* Nascitur deniq; ex auaritia OBDURATIO quâ quis insensibilis redditur ad succurrendum miseriæ proximi, propter nimiam tenacitatem. Talis erat ille dives Luc. 16. Qui de sua mensa, extrema patienti Lazaro noluit misereri, quem redarguit illud Apostoli: *Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Sed hîc 1. Ioan. 3.

QUÆSIER. Quomodo ex auaritia oriuntur alia vitia, cùm non sit capitale peccatum: nam peccatum capitale opponitur virtuti capitali. porrò liberalitas cui avaritia opponitur, tanquam medio, & prodigalitati tanquam extremo, non est virtus principalis? R. Avaritia est capitale vitium, quantumvis non opponatur virtuti capitali; non enim requiritur vt vitium capitale opponatur virtuti principali seu capitali. Nam virtus perficitur secundùm rationem, vitium autem secundùm inclinationem oppetitus sensitivi: non est autem idem genus ad quod principaliter respicit ratio & appetitus sensitivus. Vnde quamvis liberalitas cui opponitur avaritia non sit virtus principalis, quia non respicit ad principale bonum rationis, avaritia tamen est principale seu capitale vitium, quia respicit ad pecuniam, quæ habet quandam principalitatem inter bona sensibilia, scilicet sufficientiæ, quia *pecuniæ obediunt omnia.* Eccl. 10.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, magnæ præstantiæ & meriti virtus liberalitatis esse cognoscitur, cui beatitudo & regnum cœlorum adiudicatur. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* Quo merito? *Esurivi enim & dedistis mihi manducare. &c. Est autem liberalitas* secundùm Philosophum, *medio-*

critas in dandis accipiendisq; pecunijs, ac potius in dandis. Porrò S.
Lib. 4. Ethic. c. 1. Thomas *liberalitatem dicit esse virtutem, qua benè vtimur omnibus ijs externis bonis, quæ nobis ad nostram sustentationem concessa sunt.* Hinc colligitur liberalitatem esse actum multorum meritorum, cùm virtus appellatur: nam diuitiæ sunt indifferentes
2. 2æ. q. 117. a. 1. ad bonum & malum. Vt sint bonæ, debent per liberalitatem in vsus bonos converti. Ita enim de pecunijs Philosophia apud Boëtium de consolatione d. *Tunc solum pretiosa est pecunia, quando vsu largiendi in alios translata, desinit possideri.* Illud etiam consequitur, nos debere benè vti bonis externis per liberalitatem, quem modum lib. 2. offic. expressit Tullius,
Lib. 2. pros. 5. *Liberalis,* inquit, *est, qui suis facultatibus, aut captos à prædonibus redimit, aut æs alienum suscipit amicorum causa, aut in filiarum collocatione adiuvat, aut opitulatur in re quærenda vel augenda.* Item illud consequitur, per liberalitatem non posse nos benè vti rebus alienis, sed proprijs; quare nec servus liberalis esse potest de bonis domini, nec amicus de amici, nec filius de parentis, nisi in extrema necessitate, aut sibi demandetur. Nec de malè quæ-
Ambr. lib. 1. offic. sitis aut possessis. *Non probatur,* inquit Ambrosius *liberalitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat.* Deniq; liberalitas vt sit virtus meritoria, sine spe retributionis esse debet, nam *hospitalem esse remuneratoris, affectus auaritiæ est,* inquit Ambros. lib. 7. in cap. Luc. 14.

QUÆSIER. Qui sunt fructus liberalitatis? ℞. Plures sunt. 1. gratum efficit DEO. 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* 2. conciliat remissionem peccatorum, Nabuchodonosori Daniel dixit. *Eleemosynis redime peccata.* 3 Paradisi ianuam aperit.
Daniel. 4. Domini sententia. *Parate vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula,* 4. amicos conciliat. Prou: 9. *Divitiæ addunt amicos plurimos.* 5. auget bona ex-
Prou: 11. terna, dicit Sapiens. *Alij dividunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

QUÆSIER. iterum, si liberalitas propter mediocrem dispen-

ſpenſationem pecuniarum meritoria, nonne multo magis prodigalitas, quæ ſuperabundat in tribuendo: nam *ſi ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis ad magis, & maximè ad maximè.* Topic: 2. ℞. Non ſequitur, quia Prodigalitas eſt vitium, cum ſit intemperans ac nimia pecuniarum profuſio, vt docet Philoſophus, lib.4. Ethic c.1. & profundit bona ſua, vbi non eſt opus: nam quemadmodum peccat auarus, qui non communicat bona temporalia vbi oportet, ſic peccat prodigus, qui profundit opes, vbi non oportet: hinc Gregor. *In ipſa*, inquit, *liberalitatè modus adhibendus eſt rerum & perſonarum.* Jlla verò regula ex Topicis, intelligi ſanè debet, vbi prædicatum de ſubiecto dicitur. Vnde non valet: Bibere bonum eſt, ergo magis bibere, magis bonum, nam iſta propoſitio Bibere bonum eſt, non eſt vniuerſaliter vera, ſimile ſit iudicium de bonorum temporalium diſpenſatione.

CATECHESIS III.

DE LVXVRIÆ VITIO.

JNter vitia non invenitur magis infame, luxuriâ. *Intelligimus*, inquit Cicero, *quàm ſit turpe diffluere luxuriâ, delicatè ac molliter viuere: Ignis enim eſt ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Iob: 31. Hinc S. Hieron. exclamat. *ô ignis infernalis luxuria; cuius materia gula, flamma ſuperbia, ſcintillæ praua colloquia, fumus infamia, cinis immundicia, finis gehenna.* Et in hac Catecheſi tria expendentur.

I. Quid luxuria, & quæ eius ſpecies?
II. Quorum vitiorum ſit ſeminarium?
III. Quàm pulchra caſtitas virtus ei oppoſita?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHriſtiane, ſqualor iſte & obſcœnitas luxuriæ, inordinatus eſt quidam venereorum appetitus, atque peccatum eſſe

mortale, nemo in controversiam vocârit, quisquis sana degit
2.2æ.q.153. ratione. Exod: 20. & Deut: 5. divino damnatur mandato. *Non mœchaberis.* Quare hortatur Apostolus. *Mortificate membra vestra*
Coloss. 3. *quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* Vltio horrenda manet luxuriosos tàm in præsenti quàm in fu-
Gen: 7. turo, nam & diluvio deleta fuerunt omnia animatia propter effrænem hominis libidinem: Sodoma & Gomorrha & finiti-
Gen: 19. mæ civitates absumptæ. In futuro quis edisserat quantùm puniendi sint luxuriosi? Apoc: 18. *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Vt luxuria est generale vitium in species suas dispescitur, quarùm prima est FORNICATIO. simplex solutorum, peccatum esse mortale, manifesta res in scripturis, habet enim comminationem pœnæ tùm in præsenti. 1. Cor. 10. *Neq; fornicemur, sicut quidam ex ipsis*
Num: 25. *fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia*: tùm in futuro, quia excludit à regno DEI. 1.Cor. 6. *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles regnum Dei possidebunt.* Quare, *fugite* inquit, *fornicationem.* Et quia morte in scriptura puniendum decernitur, inde etiam colligitur esse noxæ mortalis, Deut: 22. *Moriatur, quia fecit nefas in Israël, vt fornicaretur in domo Patris sui*, quare videant filij familias, quàm se honestè gerant. Est verò duplex fornicatio, sicut quælibet species luxuriæ, mentalis scilicet & actualis. Mentalis est, quando aliquis mente duntaxat & non opere polluitur estque veniale peccatùm, si sine advertentia rationis tentetur, si repellitur protinus, vt advertitur, si verò diu cogitatione teneatur, tametsi non adsit consensus explicitus, & ratio advertat, est mortale. Rationem ex similitudine primorum parentum ductam, assignat Magister sent: lib. 2. dist. 24. *Quia,* inquit, *tunc vir, id est superior portio rationis, sicut debuit, non cohibuit mulierem, i. sensualem motum animæ seu inferiorem portionem rationis*: nam qui tacet, & non cohibet, consentire videtur: & est hic consensus interpretativus;

si ve-

ſi verò etiam adſit conſenſus apertus, & delectatur quantumvis ſola cogitatione, abſq; omni dubio eſt mortale. Altera ſpecies eſt ADULTERIUM. eſtq; violatio tori coniugalis, quando vel ſolutus ad maritatam, vel vxoratus ad ſolûtam, vel etiam vxorarus ad maritatam tranſit: & tunc non ſolùm fides promiſſa DEO in facie Eccleſiæ violatur, ſed etiam infertur iniuria alteri coniugum, & Sacramentum inhonoratur. Eſt graviſſimum mortale, fornicatione gravius morte puniendum. Leuit: 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetravit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur, mœchus & adultera.* Quanquam & illud ſacrilegium quod committitur à perſona cœlibatum vouente, adulterium ſpirituale dici poſſit, perſona enim vouens continentiam, quoddam ſpirituale matrimonium facit cum DEO. Eſt & INCESTUS ſpecies luxuriæ, qui eſt abuſus cognatorum. I. inter conſanguineos & affines, intra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium. Eo gravius eſt hoc peccatum, quo perſona cum qua peccatur, magis eſt coniuncta ſecundùm gradus, qui in confeſſione ſunt exprimendi. Hoc peccatum damnatur Levit: 18. & prohibetur. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt revelet turpitudinem eius.* Et vltra. *Turpitudinem ſororis tuæ, nurus tuæ, vxoris fratris tui non diſcooperies.* Propter hoc ſcelus, 1. Cor: 5. inceſtuoſum Satanæ tradendum decreuit Apoſtolus, quia abuſus fuit novercâ ſuâ. Quarta ſpecies luxuriæ STUPRUM. eſt violatio Virginis & deſloratio, hoc quoq; graue crimen: ſtuprator ergo tenetur vel ducere Virginem ſeductam, vel dotare. Exod: 22. *Si ſeduxerit quis Virginem necdum deſponſatam, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem; ſi Pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis.* Et ſtuprum quidem eſt diſtincta ſpecies à fornicatione, proinde in confeſſione à ſtupratore exprimi debet. RAPTUS quinta ſpecies eſt violatio mulieris omnino renitentis, & hoc crimen addit fornicationi malitiam contra iuſtitiam. Hoc

crimen patravit Sichem Gen: 34. qui rapuit Dinam Filiam Iacob. Concil. Trid: Seſſ: 24. cap. 6. de reform. matrimonij excommunicat raptores, in perpetuum infames & omnium dignitatum incapaces, debentq; raptas arbitrio iudicis dotare. Decreto diuino Deut: 22. morte plectendus raptor. *Si*, inquit, *in agro rapuerit vir puellam, & apprehendens concubuerit cum ea, ipſe morietur ſolus*. Eſt deniq; ſpecies luxuriæ PECCATUM CONRRA NATURÀM, à quo impoſſibilis eſt generatio prolis, & eſt graviſſimum inter omnes ſpecies luxuriæ, ſiquidem in eo legem naturæ homo tranſgreditur, circa vſum rei venereæ. Fit autem peccatum contra naturam quatuor modis, vt notat S. Thom 2. 2æ. q. 154. art: 11. Primò quando procuratur pollutio venereæ delectationis cauſa, abſq; concubitu, & dicitur mollities. Secundo quando fit cum concubitu ad rem non eiuſdem ſpeciei, vt concubitus cum beſtijs, quod & ſagæ cum dæmonibus perpetrant, & vocatur beſtialitas. Tertiò quando fit per concubitum ad non debitum ſexum, vt maſculi cum maſculo, fæminæ cum fœmina de quo Rom. 1. & eſt Sodomia. Quartò quando non ſervatur naturalis modus concumbendo.

DIXERIS. Inter ſpecies luxuriæ, quæ eſt peccatum, non debet connumerari niſi peccatum: fornicatio ſimplex non debet hîc computari, quomodo enim peccatum eſt? omne enim peccatum prohibetur potiùs à DEO, fornicatio autem mandatur. Oſeæ: 1. *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*. ℞. Fornicatio ſimplex non modò eſt peccatum, ſed etiam mortale peccatum, æterna damnatione dignum, vt iam dictum eſt. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*, Hebr: 13. Hoc autem iudicium æternæ eſt damnationis. Oſeæ verò mandatur vt accipiat vxorem fornicationum, non quæ fuerit fornicaria carne, ſed ſpiritu, id eſt idololatra, quia fuit gentilis, iuxta Hieronymum & Lyranum. Mandat ergo DEUS Prophetæ vt illam ſpiritualiter fornicariam, acciperet

peret in vxorem sibi; & faceret sibi filios fornicationum, id est, vt filios eius adoptaret sibi in filios, qui sicut mater erant priùs filij fornicationnm, id est idololatræ. Sed vide aliam solutionem apud S. Thomam, 2. 2æ. q. 154. art. 2. 2m. vbi dicit concubitum illum Prophetæ non fuisse peccatum fornicationis, quamvis fornicatio nominatur: in tantum enim fornicatio peccatum est, in quantum contrariatur rectæ rationi, recta verò ratio, hominis est, secundum quod regulatur diuina voluntate, quæ prima & summa regula: quia itaq; ille concubitus Prophetæ DEI mandantis voluntate regulabatur, peccatum fornicationis non fuit.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, tàm venenosa est vipera luxuria, in quantum est speciale seu capitale peccatum, vt octena sit abundans prole, de qua lacerta Iacob. 1. *Vnusquisq; tentantur à concupiscentia sua abstractus & illectus*, deinde *concupiscentia cùm conceperit parit peccatum*: non vnum, sed tam multa, videlicet Cæcitatem mentis. Inconsiderationem, Præcipitationem, Inconstantiam, Amorem sui, Odium DEI, Affectum præsentis seculi, Horrorem futuri.

CÆCITAS MENTIS, ex doctrina S. Thom. q. 163. art. 5. est deordinatio simplicis intelligentiæ, quominùs aptè apprehendat aliquem finem, vt bonum. Hac mentis cæcitate laborabant illi duo senes impuri, qui falsum testimonium tulerunt contra Susannam, propter concupiscentiam suam, quâ exarserant, quorum vni Daniel cap. 13. d. *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum*. Quemadmodum autem castitas Virginalis elevat hominis intellectum ad clarè percipiendum divina, quod Ioanni Apostolo & Euangelistæ propter Virginitatem ipsius tribuit Hieron: lib. 1. contra Iovinian: ita homines inpuri & luxuriosi obscuratum habent intellectum cæcitate mentis, ad instar iumentorum insipientium, Nam

homo

homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.

DIXERIS, Non videtur peccatum esse cæcitas mentis, sed magis pœna peccati, vt quid inter peccata, filias luxuriæ numeratur? ℞. Contingit pœnam peccati etiam peccatum esse, itaq; cæcitas mentis, tametsi pœna sit peccati, nihilominus est etiam peccatum: ex radice enim & arbore mala, non potest Matt: 7. colligi bonus fructus, & ex peccato quod nascitur, peccatum est: deinde auertere se à DEO quocunq; modo est peccatum, porrò cæcitas ista auertit hominem à DEO, vt est prima veritas & primum intelligibile. Tùm quia homo vltrò auertit se à consideratione talis principij intelligibilis, iuxta illud Psal. 35. *noluit intelligere vt bene ageret.* Tùm quia mens cæca magis occupatur circa alia, quæ magis diligit quàm DEUM, de quo Psal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*: Quocirca cæcitas mentis, cùm ita avertat hominem à contemplatione primi principij intelligibilis, est peccatum. INCONSIDERATIO est impedimentum iudicij, mentis humanæ in rebus agendis: ita inconsideratè impurus & luxuriosus Herodes iurauit puellæ saltanti. Marc. 6. se daturum quidquid petijsset. Quare commune est hoc & familiare luxuriosis, vt inconsideratè agant contra iustitiam. PRÆCIPITATIO est deordinatio consilij in ijs, quæ sunt agenda ad finem, qualis deordinatio in luxuriosis: Terentius in Ennucho. *Quæ,* inquit, *res in se, neq; consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes.* Prou: 15. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium*: nam præcipitatio huiusmodi est contraria dono consilij, vt docet S. Thom. q. 53. art. 3. & de ea dicit, *præcipitatio est vitium, quo quis per impetum voluntatis aut passionis, contemptis gradibus prudentiæ in ruinam labitur.* INCONSTANTIA, vt docet S. Doctor art. 5. *est vitium, quo quis contemnit sapere ea, quæ secundum rectam rationem ante erant iudicata & proposita*; oritur ergo hoc vitium ex luxuria, quando aliquis non est constans in bono proposito, sed

fine

ſine cauſa rationabili ex aliqua paſſione,præcipuè ex amore concupiſcentiæ facit contrarium eius quod deliberauerat, ſed enim *vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis*, Iacob: 1. Dices. Inconſtantia oritur ex ira & invidia. Ergo non ex luxuria. ℞. Quatenus ira & invidia pertrahunt rationē ad aliud, eatenus cauſant inconſtantiam, luxuria vero cauſat inconſtantiā, quatenus totaliter extinguit iudicium rationis. φιλαυτια ſiue amor ſui, eſt ordinatio appetitûs ad delectabilia carnis. 2.Tim:3. huiusmodi philautos futuris temporibus prædicebat Apoſtolus. *Erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes*. Et cap. 3. *Erunt homines voluptatum amatores*: philanti perdunt animam ſuam. ODIUM DEI: ita enim luxurioſus odit DEUM, in quantum prohibet eius concupiſcentiam. Et quamvis omnis peccator vt ſic odit DEUM, maximè tamen & directè luxurioſus, nihil enim in luxuria præter deformitatem prætendi poteſt, cùm nonnunquam alia peccata excuſationi patere videantur, luxuria nunquam, Prou: 6. *Non eſt grandis culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim vt eſurientem impleat animam, qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam, perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium eius, non delebitur*. AFFECTUS PRÆSENTIS SECULI, ita ex luxuria generatur, vt luxurioſus metu amiſſionis voluptatum cárnalium, nolit hinc tranſire. Grande autem vitium finem conſtituere in carnali voluptate. HORROR futuri ſeculi peruadit luxurioſum, qui vt plurimum ideo deſperat futuram vitam, de huiuſmodi genere hominum Apoſtolus Epheſ. 4. d. *Deſperantes ſeipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ*. Sed hîc

Ioan. 12.

DICES. Cùm luxuriá ſit peccatum carnale, filias non poteſt habere, niſi vitia quoq; carnalia: porrò quæ hîc enumerantur, ſpiritualia magis ſunt vitia quàm carnalia, quia pertinent ad defectum rationis. ℞. Equidem iſta enumerata vitia defectum important rationis, ponuntur tamen filiæ carnalis

peccati qualis est luxuria, quia carnalia peccata extingvunt judicium rationis, & tantò magis, quantò longiùs abducunt à ratione.

Hîc CATECHISTA, vt plebi abominandum exhibeat vitium luxuriæ, exponet incommoda quæ adducit. 1. quidem luxuria offendit DEUM, sicut alia quævis iniquitas, quo nihil miserabilius. Iob. 31. *Hoc est nefas, & iniquitas maxima, ignis est ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* 2. Provocat iram & vindictam DEI, Ephes: 5. enumeratis varijs vitijs, & cum eis luxuriâ, concludit. *Propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ.* 3. Luxuriosi difficillimi ad resipiscendum, Oseæ 5. *Non dabunt cogitationes suas, vt revertantur ad Deum suum. quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Hinc Gregor. in Moral: dicit. *Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupaverit, vix eum bona cogitare permittit.* 4. Luxuria infamat hominem. Eccl: 9. *Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur:* rectè quidam. *Qui sequitur bacchum, taxillos & meretrices, infamis semper semper egenus erit.* 5. Corpus enervat. 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in corpus suũ peccat;* inde tot ægritudines diversas, & debilitates luxuriosi patiuntur. Et quemadmodum luxuriæ filia est cæcitas mentis, ita & corporalem adducit cæcitatem: effeminatum reddit hominem, omne robur virile aufert. Oseæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* 6. Substantiam dissipat & egestatem inducit, sicut videre est in filio prodigo, Luc. 15. *Qui totam substantiam suam devoravit cum meretricibus.* 7. Finis perditio æterna. Apoc: 21. *Fornicatoribus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Hebr: 13. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.*

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, amplectere castitatem, quæ est virtus opposita luxuriæ. audi sententiam sapientis Prov: 22. *Qui,* inquit, *diligit munditiam cordis, propter gratiam labiorum suorum, habebit*

ami-

amicum regem. Castis promittitur visio DEI. *Beati*, inquit. *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Est autem castitas iuxta doctrinam S. Thomæ. *Virtus per quam concupiscentiam castigamus, quodam rationis moderamine.* Dicitur castitas virtus, quod de vera virtute intelligi debet, ad debitum finem ordinata. Vnde licet aliqui infideles casti dicantur, qualis fertur fuisse Lucretia, non tamen illorum castitas dici potest virtus, cùm neque vera fuerit castitas, ad finem debitum, videlicet ad DEUM fuerit ordinata. Ad castitatem hortatur Apostolus. 1. Tim: 5. *Te ipsum castum custodi.* Commendat eam multum. 1. Cor: 7. *Volo vos*, inquit, *omnes esse sicut me ipsum, dico autem innuptis & viduis, bonum est eis, si sic permanserint sicut ego*: præfertq; illam matrimonio. d *Qui matrimonio iungit Virginem suam, benè facit, qui non iungit, meliùs facit.* Ratio est, quam ibidem ponit. *Qui*, inquit, *sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, & diuisus est. Et mulier innupta & Virgo, cogitat quæ sunt Domini.* Castitas fortem & virilem fecit Iudith cap. 15. Holoferni caput amputavit, gratulantur ei Presbyteri. *Fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaveris, & post virum tuum, alterum nescieis.* Denique virginitati aureola reposita est in cœlo. Isai: 56. *Hæc dicit Dominus eunuchis, dabo eis in domo mea locum, & nomen melius quàm filijs & filiabus.* Apoc: 14. Virgines sequuntur agnum & decantant soli canticum, quod nemo alius cantare potest.

Matth. 5.

2. 2æ. q. 151. a. 1.

DICES. Virtutes in animo sunt humano, castitas cùm sit in corpore, quomodo virtus? ℞. Virtutis subiectum est animus, materia autem circa quam est aliquid aliud, ita castitas in animo humano tanquam in subiecto consistit, materia tamen est corpus, dùm homo secundum iudicium rationis & electionem voluntatis membra corporis moderatur.

CATE-

CATECHESIS IV.

DE INVIDIÆ VITIO.

QUid operata sit invidia, aperit sapiens cap. 2. *Invidiâ*, inquit, *diaboli, mors intravit in orbem terrarum*, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Homo invidiosus, non modò proximo, verùm sibimet etiam ipsi multum nocet. Iob. 5. *Stultum interficit iracundia, & paruulum occidit invidia.* Vitandos esse invidos docet sapiens Prou: 23. *Ne*, inquit, *comedas cum homine invido, & ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat quod ignorat, comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum.* Tria pro more solito continebit Catechesis ista.

I. Quid sit invidia, quæ ipsius species?

II. Quorum peccatorum sit radix?

III. Benevolentiæ virtus explicabitur?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, scito hominem invidum esse miserrimum, qui nunquam lætus, semper tristis est. Nam ex doctrina S. Thomæ. *Invidia est tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & proprij boni diminutivum.* Simili modo Damascenus, tristitiam de bono alterius vocat invidiam; ex quo constat esse peccatum mortale, semper ex suo genere. quando adest consensus rationis, quia directè est contra charitatem proximi, quæ gaudet de bono proximi, dùm congaudet veritati, invidia verò tristatur: veniale autem quando in sola sensualitate est, sine consensu rationis, quales sunt primi motus, etiam in viris perfectis. Quatenus invidia est generale vitium, in tres species dividitur. Prima dùm quis tristatur de bono alterius, in quantum ex ipso timetur nocumentum, vel sibi ipsi vel alijs. Secunda, dùm quis tristatur de bono alterius

[Margin: 2. 2æ. q. 36. art: 1.]

[Margin: Lib 2. c. 14.]

ex

ex eo quòd sibi tale deest bonum, & vocatur Zelus, qui si circa honesta sit, laudabilis, si zeles virtutem alterius, iuxta illud. 1. Cor. 12. *Æmulamini charismata meliora*: si circa temporalia, quandoq; peccatum, quandoq; sine peccato. Tertia dum quis tristatur de bono alterius, in quantum ille cui accidit, est eo indignus, sed lege divina prohibetur, iuxta illud. Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus*. Art: 3.

DIXERIS. non rectè bonum numerari inter species peccatorum. Zelus autem est bonus, & laudabilis. Psal. 72. *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*. Psalm: 68. *Zelus Domus tuæ comedit me*. ℞. Est Zelus bonus, est & malus. Zelus bonus fuit Phinees. de quo ipse DEus. Numer. 35. *Zelo*, inquit, *meo commotus est*. Et 3. Reg. 19. *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum*. Non hic Zelus numeratur inter species invidiæ. Zelus malus de quo Psal: 36. *Neq; Zelaueris facientes iniquitatem*. Et Eccl: 9. *Non Zeles gloriam & opus peccatoris*; talis Zelus inter species invidiæ numeratur.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, apposité hieroglyphicon invidiæ, canem quidam exhibent: vt enim canis illud etiam invidet alteri, quo ipse potiri non potest, ita & invidus. Eccl: 14. *Nequam est oculus lividi*. Atq; hæc improba mater, quina abundat sobole iuxta Gregor. lib. 31. Moral. cap. 31. Primò enim parturit ODIUM. quo tristatur invidus, non solùm de super excellentia alterius, sed etiam vult simpliciter vlterius eius mala. Et hoc malum vetat lex Levit: 19. *Non oderis*, inquit, *fratrem tuum, in corde tuo*. Nascitur ex invidia SUSURRATIO, quâ occultè læditur fama alterius, vt amicitia cum alijs dissoluatur. Prou: 26. *Susurrone subtracto iurgia conquiescent*. Eccl: 28. *Susurro & bilinguis maledictus multos enim turbauit pacem habentes*. sequitur DETRACTIO. dum invidus famam proximi apertè intendit lædere. Exod. 22. *Dijs non detrahes, & principi populi tui*

non maledices. Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.* Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ vestræ* Est & INSULTATIO. in aduersis proximi, dùm quis ita proximo inuidet bona, vt etiam lætetur de eius infortunio. Ex invidia Iudæi crucifixerunt Christum & insultabant. Marci 15. *Salvum fac teipsum, descendens de cruce.* Quare monet sapiens. Eccl: 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim qui humiliat & exaltat circumspector Deus.* Patitur invidus AFFLICTIONEM in prosperis proximi: hoc modo afflictus erat Saul do bono David, cùm laudibus celebraretur victoriâ de Philisthæo reportatâ. 1. Reg: 18. & dicebat. *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum?*

DIXERIS. Si odium sub affirmatiuo cadit mandato, ita enim in Euangelio Luc:14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem, non potest meus esse discipulus,* mandat Dominus odisse Patrem & Matrem, quomodo odium peccatis connumeratur? ℞. Est duplex odium, bonum & malum, Bonum de quo Psal 138. *Perfecto odio oderam illos.* vbi S. August. *Hoc est,* inquit, *perfecto odio odisse, vt vitia non homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Malum odium de quo Ioan:15. *Viderunt & oderunt.* Odium ergo quod directè est contra Personam proximi, vitium est, & vitijs connumeratur: odium verò peccati bonum & laudabile. Psal. 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum,* Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum.* Parentes odio habere iubet Dominus, si impediunt à regno DEI & amore illius: nec tàm ipsos, quàm pravitatem illorum

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, toxicum est invidia, quâ diabolus mortem in-
Sap. 1. troduxit in orbem terrarum, tu contra aconitum istud an-
q. 27. a. 2. tidotum recipe benevolentiam, quæ est actus voluntatis, quo alteri bonum velis. Actus quidem invidiæ est, tristari de bono proximi, actus verò benevolentiæ est gaudere & optare bo-

bonum proximo. Virtutem istam commendat fidelibus Apostolus 1. Thess: 5. erga eos qui prædicant Verbum DEI. *Rogamus vos,* inquit, *fratres, vt noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantiùs, in charitate, propter opus illorum:* id est, *vt ametis & foueatis quasi filij parentes vestros spirituales.* ait Theophilactus. Nec solum amicis, verùm etiam inimicis, exhibere opus benevolentiæ, scripturæ hortantur. Prou: 25. Rom: 12. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit, potum da illi; prunas enim congregabis super caput eius & Dominus reddet tibi.* S. Hieron: & S. Aug. *Congeres,* inquiunt, *super caput inimici carbones ignis, i. ignitos non iræ, sed charitatis & amoris, qui eum inflamment ad redamandum, nam; Nulla maior est prouocatio ad amandum, quam præuenire amando,* ait August. Non ingruè aliquibus placet symbolum beneuolentiæ sal, ratione durationis, vt enim sal conservat diu corpora, ita benevolentia debet conservare societates: vnde sal hospitibus ante alios cibos apponebatur, ad significandam diuturnitatem amicitiæ & benevolentiæ. Levit: 2. idem symbolum ponitur. *In omni,* inquit, *oblatione tua offeres sal.*

DIXERIS. Dilectionis est bene velle alteri, qui enim diligit proximum bonum ei sicut sibi optat: porrò benevolentia non est dilectio vt lib. 9. Ethic. cap. 5. docet Philosophus. ℞. Dilectio & benevolentia differunt sicut includens & inclusum: dilectio includens, benevolentia inclusum. Et benevolentia quidem est simplex voluntatis actus, quo alicui volumus bonum, dilectio autem addit benevolentiæ vnionem affectus amantis ad amatum: vtriq; igitur competit bene velle alteri.

CATECHESIS V.
DE IRÆ VITIO.

QUàm sit perniciosum iræ vitium, & quantopere cauendum, ex ipsa[] præmonitione scripturæ satis perspici potest

test. Obest enim inprimis animæ irati, cuius excæcat oculum intellectûs, vt quidam dicit. *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Obest corpori, dicitur enim Eccl. 30. *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducunt.* Sed iam in ista Catechesi tria exponuntur.

I. Quid ira, & quæ ipsius species?

II. Quibus mater ista grauida vitijs?

III. Quàm commendabilis mansuetudo iræ opposita?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, sicut caves vindictam ex mandato diuino, Levit: 19. *Ne quæras vltionem.* Prou: 24. *Ne dicas quomodo fecit mihi, sic faciam ei;* non minùs cavere debes iram, est enim appetitus vindictæ, pœnæq; infligendæ, cum nocumento illato; quandoq; mortale, quandoq; veniale peccatum. Mortale est in istis casibus.

1. 2æ. q. 46. art: 4.

1. Dùm appetis puniri eum qui non meruit.
2. Dùm appetis puniri plus quàm meruit.
3. Dùm appetis puniri contra legitimum ordinem, vt ab eo qui caret iurisdictione puniendi.
4. Dùm appetis puniri non propter debitum finem, id est, non propter iustitiam conseruandam, nec propter correctionem culpæ.
5. Dùm appetis puniri in tantum, vt excidas à dilectione DEI & proximi.

Veniale est in istis casibus.

1. Quando motus iræ prævenit iudicium, sed non sequitur consensus.
2. Quando quis nimis ardenter irascitur, sed interiùs solùm.
3. Quando quis manifestat signa iræ exterius.

Et quia ira est peccatum generale, speciebus abundat tribus, iuxta

iuxta Philoſophum, lib. 4. Ethic. Damaſcenum lib. 2. cap. 16. Greg: Niſſ. Prima ſpecies ſeu pars ſubiectiua iræ dicitur FEL. ſeu excandeſcentia à Tullio nuncupata, quæ facilè accenditur levi de cauſa, ſed citò quoq; ſedatur. Hanc iram eſſe malam, & ſignum ſtultitiæ oſtendit ſapiens Prou: 12. *Fatuus*, inquit, *ſtatim indicat iram ſuam, qui autem diſſimulat iniuriam callidus eſt*. Secunda ſpecies MANIA. à manendo dicta, quando aliquis diu in memoria retinet iniuriam illatam: hoc modo iratus fuit Balac rex Moabitarum contra Iſraël, vt iterum atq; iterum mitteret ad Balaam ariolum, qui malediceret populo Iſraël. Num: 22. Tertia ſpecies iræ FUROR. dùm quis ita iraſcitur, vt nullo modo placari velit, donec vlciſcatur, de hoc Prou: 27. *Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti vtroqué grauior.* Gradus ergo iræ ſecundum gravitatem iſti ſunt.

1. Tardè iraſci, & citò miteſcere.
2. Citò iraſci, & citò miteſcere.
3. Tardè iraſci, & tardè miteſcere.
4. Citò iraſci, & tardè miteſcere.

QUÆSIER. Cùm ira à peccato ſecernatur, & Pſal: 4. præcipiatur. *Iraſcimini, & nolite peccare.* cur inter peccata computatur? ℞. Præcipitur ira per zelum, quæ eſt virtus, vt iraſci peccatis & malis operibus: eoque modo ſecundum ordinem rationis, vindictam appetere laudabile, nam ira præveniens ordinem & iudicium rationis peccatum eſt. Eccleſiaſtes quoque cap 7. iram præfert riſui. *Melior eſt*, inquit, *ira riſu*: nempè ordinata ſecundum rationem. *Quia*, inquit, *per triſtitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.*

DIXER. Cùm ira non ſit in poteſtate noſtra; nam nunquam iraſci quis prævalet. Cur inter peccata damnatur? ℞. Ira ſubita, quæ eſt quidam primus motus non eſt in poteſtate noſtra, ceterùm refrenare iram eſt in poteſtate noſtra, & niſi refrenaverimus, ſed conſentiendo ad effectum perduxerimus, eſt peccatum. Hinc Apoſt. Epheſ. 4. *Sol non occidat ſu-*

per iracundiam vestram. i. nolite consentire illi motui iræ, sed compescite illum.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, irasci crede profanum, quia sex peccata ex ira pullulare docet S. Greg: lib: 31. Moral. cap. 31. quæ sunt Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, Blasphemia. Nam ira, vel est

In corde, vel ore, vel opere. { In corde Indignatio, Tumor mentis. In ore, Clamor, Blasphemia, Contumelia. In opere, Rixa.

Et quidem RIXA, *est audax voluntas vindicandi iniuriam factam*, vt ait Mag: Alber. lib. 3. compendij Theolog. cap. 17. vel vt S. Thomas. 2. 2æ. q. 41. art. 1. *Est*, inquit, *contradictio in factis*, scilicet in mutua percussione. Ex ira verò malum istud nasci, ostendit sapiens Prou: 15. *Vir*, inquit, *iracundus provocat rixas*. Gal: 5. vbi inter opera carnis enumerauit Apostolus rixam, concludit. d. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*: ex quo manifestum est, rixam esse mortale peccatum. Damnat malum istud scriptura Prou. 18. *Labia*, inquit, *stulti miscent se rixis, & os eius iurgia provocat*. TUMOR MENTIS, est vitium, quo irascens excogitat varias vias nocendi seu vindictæ, ijsq; animum replet suum. Iob: 15. comparatur ardori. *Nunquid sapiens replet ardore stomachum suum?* q. d. nunquid sapiens cùm loquitur, cùm tanta ira loquitur, vt excogitet varias nocendi vias? In Hebr. pro ardore positum est *Cadim* quod Septuaginta Oseæ 12. vertunt *Æstum*. CONTUMELIA ex doctrina Sancti Thomæ *est inordinatio sermonis, quâ iratus in verba iniuriosa in proximum prorumpit*. Hoc peccatum dignum gehennâ iudicat Dominus Matth. 5. *Quicunq; dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*. Stultorum esse contumelijs & convitijs incessere alios, Prou: 10. ostenditur. *Qui profert contumeliam insipiens est*. CLAMOR est inordinata & confusa locutio vehementer iram

Art. 2.

indi-

indicans: sic irati Iudæi contra Stephanum Act: 7. *Exclamantes voce magna continuerunt aures suas.* INDIGNATIO *est dolor perturbans propter res secundas indigno collatas*, ait Philosophus lib. 2. Rhet. Et S. Thom. 2. 2æ. q. 158. art. 7. *Est vitium quo irascens indignum putat iniuriantem, vt sibi tale quid fecerit.* Et iterum Philosophus lib: 1. magn. moral. c. 25. *Indignatio est quædam ægrimonia de bonis, quæ indigno alicui aliquo pacto eueniunt.* Hortatur verò Apostolus Coloss: 3. *Deponite*, inquit, *iram, indignationem, & malitiam.* BLASPHEMIA, dicit S. Thom. q. 13. art: 1. *Est conuitium in iniuriam illatum Creatoris*: proinde blasphemia est omne verbum in contumeliam DEI prolatum, per quod falsa de DEO dicuntur. Opponitur blasphemia confessioni veræ fidei, iuxta illud. 1 Tim. 1. *Prius fui blasphemus & persecutor, ignorans feci in incredulitate mea.* Esse peccatum mortale, ipsa pœna mortis, quæ ipsi Leuit. 24. constituta fuit, declarat.

DICES. Cùm blasphemia ad infidelitatem pertineat, eamqué aggravat, ut etiam hæreticus garriens contra fidem orthodoxam gravius peccat quàm idiota hæreticus nihil contra fidem dicens, quomodo igitur blasphemia ad iram spectabit, vt inter filias eius computetur? ℞. Peccata dupliciter considerantur, id est secundum originem & secundum consummationem: Blasphemia ergo secundum consummationem ad infidelitatem spectat, quam & aggravat, iam verò secundum originem ad iram ex qua generatur.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, quia mansuetudo est virtus opposita iræ, cùm sit mediocritas circa iram, vt dicit Philosophus, per eam enim secundum rectam rationem moderamur affectum iræ, proinde August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 3. *Mites*, inquit, *sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Et Hieron. super Matth. *Mitis*, inquit, *est, quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet.*

Eam virtutem amplectere Christiane, quæ hominem ordinat ea ratione ad beatitudinem, quia ad cognitionem DEI disponit, remouendo duplex impedimentum, scilicet iram & contradictionem veritatis, cùm & Apostolus Iacob. 1. dicat. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Et Eccl: 5. *Esto mansuetus ad audiendum Verbum Dei.* Et cùm scriptura Num 12. laudat Moses mansuetudinem. *Erat*, inquit, *Moyses vir mansuetissimus super omnes homines.* Dionys. Epist. 8. ad Demophil. dicit. *Moysen propter multam mansuetudinem dignum habitum Dei apparitione.* Ne graveris Christiane ad virtutem istam tendere, cui magnæ promissiones factæ, Matth. 5. & Psal. 36. *Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, Ayguanus dicit. *Nomine pacis intelligitur perpetuitas, quia vbi pax est, ibi nulla contrarietas, cùm autem omnis destructio fiat à contrario, ibi nulla erit corruptio, vbi nulla erit contrarietas, & ibi nulla contrarietas, vbi multitudo pacis.* Si igitur Christiane multitudinem pacis appetis, esto mansuetus. Docet hanc virtutem Christus Matth: 11. *Discite à me quia mitis sum.* vbi Hilarius Can: 4. in Matth. *Per mansuetudinem*, inquit, *mentis nostræ, habitat Christus in nobis.* Virtus ista omnibus acceptissima. Eccl. 3. *Fili in mansuetudine perfice opera tua, & super gloriam hominum diligeris.*

DICES. Patientia potiùs quàm mansuetudo iræ opponitur, quia patiens iniuriarum sine murmuratione sustinet impetus. ℞. Patientia opponitur iræ, quatenus ira est in alio, vt eius cedat improbitati. Nam *patientia est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans* ait Tull. in Rhet. mansuetudo tamen oponitur iræ propriæ, quatenus sedat motus illius, cùm ira sit appetitus vindictæ.

CATECHESIS VI.

DE GVLÆ VITIO.

MAgnopere cavendum est istud vitium, quod homines in belluas transformat, siue in cibo, siue in potu fuerit con-

sum ma-

summatum. *Ventri obediens* (ait Seneca) *loco animalium numerantur non hominum.* Iudicium extremum dùm detonat Dominus, ab hoc vitio sedulò dehortatur. *Attendite*, inquit, *vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Non ignarus pronitatis humanæ ad flagitium istud diabolus, de illo primos parentes nostros tentauit, & superavit. *Vidit enim mulier quòd bonũ esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuq́; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditq́; viro suo, qui comedit.* Iudæi appetiuêre carnes, abominati manna. *Quis dabit*, inquiunt, *nobis carnes ad vescendum?* In ista ergo Cathechesi tria proponentur & explicabuntur.

Epist. 52. *Luc: 21.* *Gen: 3.* *Num: 11.*

I. Quid sit gula?

II. Quot eius species?

III. Quæ peccata generat?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane si vitas exteriorem hostem, vitare necesse est interiorem, quo nomine gulam appellat Gregor. lib.30. Moral. cap. 26. Et quia deordinat appetitum comedendi & bibendi, qua ratione eam definit S. Thomas. 2. 2æ. q. 148. art. 1. manifestum est graue esse peccatum, inter lethalia computatum, tunc potissimum, quando delectationi ciborum & potûs ita inhæres, vt paratus sis deliberatè contra DEI mandata agere, modò delectationes huiusmodi consequaris, tunc enim magis amas creaturam quàm Creatorem, à quo te, ipso spreto avertis, & ad creaturam convertis. Veniale verò est, cùm quis immoderatè concupiscit delectabilia gustûs ita tamen, quòd per hoc nihil ageret contra legem DEI. Plurima parat gula hominibus incommoda, nam præter offensam DEI, quod est omnium gravissimum, deprimit intellectum tàm edendo quàm bibendo. S. Leo serm. 3. de ieiunio decimi mensis. d. *Quotidiano experimento comprobatur, potûs satietate, mentis*

Art: 2.

tis aciem obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari. Gula affectum inficit, dùm à meditatione cœlestium, ad terrena detorquet. Sicut de quibusdam Apostolus Rom. 16. demonstrat. *Huiusmodi,* inquit, *Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Culpat & Moyses Israëlitas Deut. 32. *Incrassatus est,* inquit, *dilectus & recalcitrauit, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Gula enervat sanitatem corporis, Eccl. 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Gula substantiam perdit, Prou: 21. *Qui diligit epulas in egestate erit, & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.*

Dices. Cùm gula non videatur alicui ex præceptis decalogi opponi, nec peccatum censeri debet. ℞. Non opponitur præceptis Decalogi directè, opponitur tamen per reductionem. Nam non omnia peccata opponuntur directè præceptis Decalogi, sed illa tantùm quæ continent iniustitiam: quia præcepta Decalogi specialiter pertinent ad iustitiam. Gula itaq; per reductionem opponitur tertio Decalogi præcepto, in quantum retrahit à fine vltimo, in quo quidem fine vltimo quiescendum præcipitur in tertio præcepto de sanctificatione Sabbati.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, generale vitium gulæ, in quinque species diuisum, declarat S. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 27. vt prima species in substantia ciborum, quæ est Pretiositas attendatur, dùm quæris nimis pretiosa edulia, vt si existens in Polonia cibos quæras, qui nonnisi ex remotis prouincijs asportantur, ijq; magno pretio venduntur. Si non sis contentus carne bubula aut gallinacea, sed cum magna profusione pecuniæ phasianos, attagenes & similes cibos conquiras. Christiano homini non competere pretiositatem ciborum conquirere, docet S. Hieron: in Epist. ad Paulinum. *Qui,* inquit, *Christum desiderat & eo pane vescitur, non quærit magnopere, quàm de pretiosis*

cibis

cibis stercus conficiat. Septuaginta duos discipulos mittens Dominus ad prædicandum Euangelium. Luc: 10. monet non quærere pretiositatem ciborum. *Manducate*, inquit, *quæ apponuntur vobis*. Secunda species, in qualitate cibi attenditur. quando nimis STUDIOSÈ & accuratè cibi præparantur, nova excogitata ratione, croco, saccaro, cinamomo & similibus condimentis esculenta præparantur, de quo Hugo Victor. de claustro animæ. *Superstitiosum*, inquit, *nimis quidam in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, secundum consuetudinem prægnantium mulierum, desiderantes, ita vt eis desudent cocorum artes*, Et Alanus de planctu naturæ. *In eadem*, inquit, *mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, avis eiusdem viscositate ligatur.* Quare gulosior est homo quavis imani bellua: nulla enim ad provocandam aviditatem vorandi incentiva conquirit, quod faciunt gulosi, qui cùm sint opulenti, cuperent omnia in suis ventribus mergere, studiosè comparant varia saporamenta ad avidiùs vorandum: eius modi sunt illa condimenta, quibus adhibitis assæ carnes vorantur, huius generis agresta, & alia, quæ ad pullos gallinaceos voracibus addunt saporem. Tertia species in quantitate cibi expletur, quando nimis in magna quantitate cibus sumitur, & mensura edendi exceditur. Hinc non solùm DEUS offenditur, sed etiam valetudo nimietate cibi opprimitur. nam Hippocrates in Aphorismis d. *Crassa & obesa corpora quæ crescendi mensuram impleverint, nisi citò ablutione sanguinis minuantur, in paralysim & pessima genera morborum erumpere, nec posse corpus viuere aliàs, nisi crescendi capax sit.* Et Galenus. *Quorum vita & ars sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse.* Insectatur hanc speciem gulæ Seneca epist. 62. *Taurus*, inquit, *paucissimorum iugerum pascuis impletur, & vna sylua pluribus elephantibus sufficit, homo terrâ pascitur & mari, quid igitur tàm insatiabilem ventrem nobis natura dedit, cùm tam modica corpora dederit?* Et iterum.

rum. *Quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit nostris sepelitur ventribus.* Ne igitur Christiane excedas modum & mensuram edendi: nam *paucis minimisq; natura contenta est.* (ait Philosophia lib. 2. de consolat. prosa. 5. apud Boëtium) cuius satietatem si superfluis vrgere velis, aut iniucundum, quodinfuderis fiet, aut noxium. Quarta species in tempore consideratur, quando tempus comedendi prævenitur, & hoc potissimùm diebus ieiuniorum, in quibus certa hora comedendi ab Ecclesia præscribitur. Quinta species in ardore vorantis consummatur, dùm quis nimiùm ardenter appetit comedere, vt satisfaciat ventri, & expleat illius delectationem. Hinc S. Greg. *Non cibus sed appetitus in vitio est, vnde & lautiores cibos plerumq; sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.*

DICES. Si præuenire tempus edendi est gula & peccatum totam plebem rusticanam in Polonia condemnabimus, qui passim tempus & horam præveniunt comedendi. Et si aviditas comedendi in vitio, vitium erit complexionis salubritas, ex qua illa aviditas procedit. ℞. Rusticana familia excusari debet per operas impendendas, quæ non patiuntur tempus seruare comedendi. Quantum verò ad aviditatem comedendi, si pro necessitate & exigentia appetitus ordinetur, non est vitium. Si verò ea auiditate comedas, & oblectationi inhærens tanquam fini vltimo, noxa est.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, caput & radix quinque vitiorum est gula. Ineptæ lætitiæ, Scurrilitatis, Immunditiæ, Multiloquij, Hebetudinis mentis circa intelligentiam. INEPTA LÆTITIA est quidam inordinatus affectus vel appetitus cibi vel potûs, per defectum rationis. 3. Esdr. 3. d. *Vinum omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem & non meminit omnem tristitiam & debitam.* Hoc malum ineptæ lætitiæ gula procreauit in cor-

in cordibus Iudæorum in deserto. Exod:32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*: nam præ magnitudine ineptæ lætitiæ obliti DEI, vitulum adorauerunt dicentes *Hi sunt dij tui Israël*. SCURRILITAS est inordinatus actus propter defectum rationis, proveniens ex inordinato appetitu cibi vel potûs: histrionum propria, quam vetat Apostolus Ephes: 5. *Scurrilitas nec nominetur in vobis*. IMMUNDITIA est emissio inordinata quarumcunq; superfluitatum, ex inordinato cibo & potu; quod malum vt supra prohibet Apostolus, eique obviare docet per abstinentiam & carnis mortificationem Coloss: 3. *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem & immunditiam*. Multiloquium est superflua & inhonesta locutio ex abuudantia cibi & potûs. S Gregor. in pastorali, parte 3. cap. 20. d. *Nisi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lingua grauiùs non arderet*: linguâ per multiloquium peccauit epulo, in lingua torquebatur, iuxta illud Sap. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Tantalum quoq; ob garrulitatem tanquam ex nimio potu & cibo natam, in lingua per famem & sitim punitum fabulantur Poëtæ

Quærit aquas in aquis & poma fugacia captat.
Tantalus hoc illi, garrula lingua dedit. ita Ovidius:

HEBETUDO mentis circa intelligentiam, est ipsa deordinatio rationis, per fumositates ciborum & potûs. Sicut enim frugalitas & abstinentia multùm confert ad sapientiam, iuxta illud Eccl. 2. *Cogitaui in corde meo, abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam*: ita gula habetudinem rationis generat, Isai: 28. *Præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt*.

QUÆSIER. Quid de ebrietate Christianus censere debeat?
R. Fugienda magnopere, quæ est species gulæ, condivisa comessationi. Rom: 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus*. Aliquan-

quando est peccatum mortale, aliquando veniale. Mortale in tribus casibus. 1. Dùm quis directè ebrietatem intendit, vel alios vult inebriare. 2. Dùm tantum bibit, quantum potest, non curans sequatur ebrietas vel non. 3. Dùm aduertit se inebriandum, non tamen à potu abstinet, Rationem dat S. Thomas *quia secundum hoc*, inquit, *homo volens & sciens priuat se*
2.2æ.q.150. a. 4. *vsu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat*. Veniale est, dùm quis non credebat se ex potu inebriandum. Est sine peccato, dùm ignorat bibens potentiam potûs inebriantis: non enim ille defectus rationis est peccatum, sed actus causans talem defectum: & ita Nòé Gen: 9. excusatur à peccato bibens vinum, quo inebriatus fuit.

CATECHESIS VII.

DE ACEDIÆ VITIO.

POst vitia capitalia vltimum locum tenet acedia, qui locus ei iurè, quodam debetur: cùm enim sit torpor quidam & desidia, lentissimo gradu, quasi somno graui occupata, post cetera vitia mouetur. Et dicitur acedia quasi ab aceto, quod cùm naturaliter sit frigidū, etiam homines per acediam frigidi redduntur, id est, facile frigent in opere spirituali, ita enim de acedioso pronuntiat sapiens Prou:10. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ita piger his qui eum miserunt*, Nulli vtilis acediosus, sibi noxius. Prou:20. *Propter frigus noluit arare piger, mendicabit æstate & non dabitur ei.* Cuius typum gerebant illæ quinque Virgines fatuæ. Matth. 25. Quare hortatur sapiens Prou: 6. *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Et ista Catechesis tria membra continebit.

Quid

I. Quid sit acedia?
II. Quorum sit fons & origo peccatorum?
III. Quid, de opposita virtute notandum?

QVANTVM AD PRIMVM.

CHristiane, acedia prout est vitium generale, á S Thoma 1.p. q 63. art.2.2m. dicitur esse quædam tristitia, quâ homo redditur tardus ad spirituales actus, propter corporalem laborem. Sic ille piger Prou:26. *Dicit leo est in via, leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.* Prout verò acedia est vitium speciale, capitalibus connumeratum peccatis, ex sententia eiusdem Doctoris, 2. 2æ. q 35. art. 1. & 2. ita notificari potest, vt sit tristitia de diuino bono, de quo charitas gaudet, nam *charitas congaudet veritati*, id est divino bono, in quo servus DEI lætatur. Psal. 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Ex quo constat acediam semper esse peccatum, cùm sit tristitia auersans bonum spirituale quatenus diuinum, & omnis aversio à DEO est actus peccaminosus. Quare acediosi maledicuntur Ierem: 48. *Maledictus homo qui facit opus Domini fraudulenter, vel negligenter*: damnantur sub typo arboris infructuosæ Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*: Et Ioan: 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Et quia acedia vt dicitur est tristitia de spirituali bono quatenus divinum, si tristitia ista perfectè tali bono adversatur, ex genere suo est peccatum mortale: aduersatur enim charitati, qua homo obligatur gaudere de divino bono: tristitia vero imperfectè adversans bono divino, id est secundum motum sensualitatis tantùm, sine consensu rationis, est veniale, nam consummatio peccati mortalis est in consensu rationis, cùm ratio sit principium actuum humanorum.

DICES. Quomodo acedia peccatum dici debet? cùm sit tristitia, tristitia autem est perturbatio seu passio, perturbationes autem nec virtutes sunt nec vitia, nec laudi nec vituperio nobis dantur, vt docet Philosophus. ℞. Perturbationes seu passiones secundum se, nec virtutes sunt, nec peccata, nec laudabiles nec vituperabiles, si tamen applicentur ad aliquod malum, vituperabiles sunt, si ad bonum laudabiles. Et hoc modo tristitia moderata de malo laudabilis, tristitia de bono vituperabilis. Et quia acedia est tristitia de bono, & quidem spirituali ac divino, ideo vituperabilis & peccatum.

Lib. 2. Ethic cap. 5.

QVANTVM AD SECVNDVM.

CHristiane, acedia est scaturigo senarij numeri peccatorum. vt S. Greg: lib. 31. Moral. c. 31. docet, scilicet malitiæ, rancoris, pusillanimitatis, desperationis, torporis circa præcepta, evagationis mentis circa illicita. Et horum omnium rationem assignat S. Thom. 2. 2æ. q. 35. art. 4. 2m. MALITIA est illud vitium, quo acediosus ita tristatur de bono spirituali & divino, vt etiam illud detestetur. ita illi Iob. 21. detestati sunt spiritualia & divina vt dixerint DEO, *recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quis est omnipotens vt seruiamus illi?* Et Malach: 3. *Vanus est qui servit Deo.* In damnatis completum vitium istud, qui ex detestatione diuinorum ipsum blasphemant DEUM. Apoc: 16. Rancor est vitium quo acediosus indignatur contra personam inducentem ad bonum spirituale. Huius vitij rei fuerunt illi Sap. 2. qui iustum inducentem ad spiritualia impugnabant. *Circumveniamus* (inquiunt) *iustum, quoniam inutilis est nobis, & improperat nobis peccata legis, &c.* Sic Iudæi Act: 7. occiderunt eos qui prænunciabant de adventu iusti. PUSILLANIMITAS est vitium, quo acediosus recedit ab his quæ sunt ad finem, quæ subsunt consilijs, vt pote quia ardua sunt. Prou: 78. *Pigrum deijcit timor;* de hoc Seneca

epist: 27. *Non putant, inquit, desidiosi fieri, quidquid facere non possunt, ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam.* DESPERATIO est vitium, quo peccator ex falsa existimatione propter peccata quæ fecit, vel bona quæ omisit, de misericordia DEI desperat, credens DEUM nolle vel non posse sibi parcere: huius vitij actus est recedere ab vltimo fine. Ex acedia scaturire desperationem ostendit Chrysost. d. *Radix desperationis est ignavia:* est enim acedia tristitia deiectiva spiritûs, quæ ita deijcit hominem, vt bonum arduum non æstimet vt possibile sibi adipisci vel per se, vel per alium. TORPOR circa præcepta est vitium, quo acediosus recedit ab his quæ sunt ad finem, seu quæ pertinent ad iustitiam communem, quæ subsunt præcepto, & est remissio in executione boni; nam acediosus, qui de bono spirituali & divino tristatur, torpescit ad præcepta implenda. EVAGATIO mentis circa illicita est vitium, quo acediosus ex fastidio spiritualium & divinorum transfert se ad delectabilia exteriora. Nam *Homo diu non potest esse sine delectatione* dicit Philosophus: cùm ergo non habet delectationem spiritualium & divinorum, mox transfert mentem ad delectationem externorum. Hinc fit quòd homines pertæsi spiritualia & divina, vacare solent alij compotationibus, alij venationibus, tunc cùm divinis interesse oportebat, alij lasciviæ & nefandis voluptatibus, quæ inter pios & cœlestia desiderantes non inveniuntur.

2. 2æ. q. 20. a. 4. c.

Lib. 8. Eth. c. 5.

DICES. Cùm desperatio quæ est horror futuri seculi ex luxuria originem ducat, quomodo nunc ex acedia nasci dicitur? R. Desperatio procedit ex luxuria procedit & ex aceacedia, sed ex luxuria secundariò, in quantum homo nimis detentus carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed eas fastidit. Ex acedia verò principaliter, dùm homo non æstimat possibile sibi bonum arduum, propter nimiam deiectionem provenientem ex tristitia acediæ. His adiunge

q. 153. a. 5.

iunge desperationem oriri etiam ex timore DEI & horrore magnitudinis peccatorum, sed occasionaliter & indirectè, directè autem ex acedia, sicut procedit actus ex habitu.

QVANTVM AD TERTIVM.

CHristiane, præstantissima virtutum charitas, est virtus opposita acediæ: nam sicut acedia est tristitia de bono spirituali & divino, ita charitas per oppositum gaudet de bono divino. 1. Cor: 13. *Charitas congaudet veritati.* Præstantissima inquam, virtutum, non solùm moralium, quarum obiectum est aliquid finitum & creatum, sed etiam excellentior fide & spe, nam charitatis obiectum infinita DEI bonitas. Quarè sine charitate nihil sunt omnia. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, &c. *si habuero omnem fidem ita vt montes transferam*, &c. *charitatem non habuero nihil mihi prodest*: proinde super omnia habendam vrget Coloss: 3. quia 1. Tim: 5. *Finis præcepti charitas.* quam Ambros: lib. 2. in Luc. vocat *formam virtutum*, tùm quia ordinat & confert actus aliarum virtutum in debitum & vltimum finem, id est in DEUM, prout est infinitè bonus, & proprium obiectum charitatis, tùm quia actus aliarum virtutum, suam vim & valorem merendi habent ex coniunctione cum charitate, & sine charitate mortuæ sunt aliæ virtutes, ita enim de fide Iacob. 2. d. *Fides si non habeat opera* (id est charitatis) *mortua est in semetipsa.* Et quia sunt quatuor, quæ tenetur homo ex charitate diligere, id est DEUM ante omnia & super omnia, seipsum, proximum & corpus suum. DEUM, inquam, magis super omnia, tàm obiectiuè, quàm appretiativè seu efficaciter: plus quàm sua, plus quàm suos, plusquam & seipsum. Obiectiuè, quia teneris Christiane DEO plus boni velle quàm tibi aut alicui creaturæ, siue illud bonum sit infinitum, quod actu

q. 25. a. 12. August: lib. 1. de doctr. Christiana c. 23.

DEUS semper habet, siue finitum qualis honor & gloria, debes velle vt ab omnibus honorificetur & glorificetur, iuxta illud. Psal: 113. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Appretiatiuè, quia pluris æstimandus est amor DEI quàm alicuius creaturæ, & amorem DEI debes præferre amori omnis creaturæ, vt ita appretiatiuè & efficaciter diligas DEUM, quatenus si non possis simul diligere teipsum & DEUM, recedas ab amore tui, & persistas in amore DEI. Id colligitur ex illo Ioan. 12. *Qui amat animam suam perdet eam, qui verò odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et si amor tui est tibi impedimento ad amorem DEI, oportet oderis te & diligas DEUM. Luc: 14. *Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Est autem *charitas, quàm solum Deum diligimus propter se, nos verò ipsos & proximum propter Deum vel in Deo,* ait Magister Sent. Et ratio est, quia DEUS est summum, commune & fontale principum omnium, qui beatitudinem participare possunt, nos verò sumus vt participantes, & proximus vt socius in participatione beatitudinis, ideo *Deum super omnia magis diligere efficaciter tenemur,* ait S. Thom. *ita vt nullius creaturæ amor retrahat ab amore Dei,* quod illa verba sonant Apostoli. *Nulla creatura nos separare poterit à charitate Dei.* Quare Christiane ne torpeas in dilectione DEI, sed cura diligas eum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Et cùm hæc verba scriberent Iudæi in limine, in ostijs domorum, tu scribe in tabulis cordis tui, *& meditaberis in eis sedens in domo, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.*

Lib: 3. dist. 27.

q. 26. a. 2. & 3.

Rom: 8.

Deut: 6.

Prou: 3. & 7.

DICES. Non possum capere, quomodo debeat homo magis diligere DEUM quàm seipsum; siquidem quantum diligo DEUM, tantum etiam diligo frui DEO: hic enim scopus beatitudinis. Porrò quantum diligo frui DEO, tantum diligo meipsum, siquidem propter meipsum diligo frui

DEO

DEO. hoc est enim summum bonum quod sibi fauetur. ℞. Aliud est amare DEUM amore concupiscentiæ, aliud amare amore benevolentiæ seu amicitiæ. Si ideo diligas frui DEO, quia tibi ex eo provenit bonum, est amor concupiscentiæ, sed tu debes diligere frui DEO vt amore illi inhæreas, quia & ipsum frui DEO, est amore illi inhærere propter illum ipsum, qui amor est benevolentiæ seu amicitiæ.



INDEX

INDEX RERVM.

In quo litera A significat Articulum Symboli. C. Catechesim. P. Propositionem in Catechesi. Q. Quæsitum. O. Obiectionem. App. Appendicem.

A.


B.


rant

G.

H

I




6

